GVLIELMI BVDAEI, Conſiliarii Regii libellorúmque magiſtri in Prætorio, Forenſia.



LVTETIAE,
Excudebat Roberto Stephano typographo Regio,
Conradus Badius.
M. D. XLVIII.
Ex Priuilegio Regis.

ROBERTVS STEPHANVS LIBRARIVS Regius, Lectori S. D.

GVLIELMVS Budæus homo omnium quos nostra tulit ætas, & doctissimus, & de literis optime meritus, paulo ante quàm è vita excederet, cum sua spôte, tum amicorum etiam qui hoc ab illo desiderari dicerent, hortatu, opus instituerat sane vtilissimum, quo omnia quæ in foro ac iudiciis corruptissimo pragmaticorum sermone significari quoquo modo solent, puris & Latinis verbis exprimi possent. Id opus etsi prope iam ad exitum perductum, imperfectum, subita vi morbi oppressus, cum reliquisset, vt nec quam absoluto inscriptionem vellet esse, satis animo constituisset: Budæi adolescentes egregia illi quidem in Remp. voluntate, sed nô minore erga patrem pietate, veriti nequid de eius fama diminueretur, si liber ab ipso institutus, nec suprema perpolitus manu, in publicum exiret: diu suppresserunt, in eóque perseuerarunt, paternis amicis crebrò vt emitteretur flagitantibus, exorari vt se posse plane negarent. Ad extremum cum super cæteras causas, quas illi quare librum edi oporteret, afferebãt, etiam periculum proponeretur, ne iis qui librum per causam inspiciendi acceptum raptim, & vt fere properando fit, perperam descripsissent, surreptum, quidam mendosissime suo nomine ederet, qua re & studiosis damnum daretur, & Budæo, ipsísque adeo, quorum paternæ opes interuerterentur, iniuria fieret: aliquando tandem cesserunt, & petentibus veniam dederunt: nobísque librum ea lege permiserũt, vt auctoribus adhibitis hominibus doctissimis, quibus & mens & manus patris non ignota esset (neque enim quivis ex Budæi chirographo inoffense legat, quòd is suam quandã nônnihil à vulgari differentem scribendi rationem teneret) descriptum, & cum exemplari diligẽtissime collatum, nostris formis exprimeremus. Quod sane ipsum, quãta potuimus fide ac diligentia præstitimus. Habes igitur studiose Lector, opus sane egregium, & licet auctori posthumũ, nullo tamen minus vtile eorum, quæ multa atque vtilissima Budæus ipse in vita edidit. Nihil enim in hac foresi vita cogitari propemodũ potest, cuius latine pronũtiandi nô multos hic habeas & varios modos: vt tantæ latini sermonis opes nô nisi à Budæo, id est ab homine copiosissimo, cuius omne studiũ in eo semper versatũ sit, vt Linguæ vtriusque facultates quàm amplissimas ad quanque rem commodissime verbis explicandam haberet, congeri & parari potuerint. Huc accedit, quòd quicquid fere moribus institutísque nostris continetur, hoc in libro quasi tabula quadam Apellea, non tenuiter adumbratum, sed omnibus latinæ Linguæ coloribus expressum cernere & intueri liceat: vt siquis rationem nosse velit, quam in iure dicendo, aut aliàs decernendo, cum minorum magistratuum subsellia, tum ipsa curiarum supremarum, quæ Parlamenta vocamus, tribunalia sequuntur, is omnem hic promptam & expositam habeat. Nec minore interim libertate ac stomacho, siqua aut ex temporũ conditione, aut ex hominum culpa vitia inoleuerunt, qualia multa accidere vbique necesse est, vt sunt res humanæ in deteriora ferè

pronæ & procliues: ea proponit, & pro rei cuiuſque grauitate inſectatur, eo quidem mea ſententia conſilio, vt ſiquando à principibus viris, quorum ad res vel conſtituendas vel corrigendas plurimũ auctoritas valet, ea forte qualia proponuntur cognoſci cõtigerit, ab illis remedia quærantur. Quo in genere ſcio à nonnullis ſæpe eſſe profectum. Iam vero ſiquos reprehendendos putat, quorum aliquæ extent in Remp. inſigniores iniuriæ, etſi illos ita deſcribit, vt à peritis rerum ignorari nõ poſſit qui ſint qui deſignentur, eorum tamen nominibus parcit. contrà autem, quos ob virtutem laude dignos arbitratur, eos nominatim appellans, meritis maxima cum æquitate laudibus afficit: vt ita & à vitiis improbos, ſiqui forte ſint generoſiores, qui verborũ contumelia moueantur, deterreat, & ad laudem ac decus bonos extimulet. Sed de libro, quem tute ſtatim cuiuſmodi ſit, noſſe poſſis, nimis multa. Tu igitur optime Lector, eo fruere, & Budæo mortuo, cuius viui ſtudium nunquam in publicis promouendis ſtudiis conquieuit, gratiam habeto. Nos autem non ita multo poſt, eiuſdem Commentarios linguæ Græcæ plus tertia parte auctos, & multis locis correctos ac meliores factos, tibi dabimus.
Vale. Pariſiis, AN. M. D. XLIIII. XVII. Calend. Nouemb.

Gulielmi Budæi, Consiliarii Regii, libellorúmque magistri in Prætorio, Forensia.

CARDINEM causæ in aliquo ponere aut constituere. Vtroque enim Quintilianus vtitur. Est autem Cardo causæ, ipsius causæ firmamentum. Quæ singula non iuuant, vniuersa prosunt. Imperium inhibere, Exercere actum iustitiæ. Dirimere controuersiam, est finem imponere cōtrouersiæ, quod Vacuare vernacula lingua vocat. Cicero 3. Officiorū, Quo magis reprehēdēdos Calliphonem & Dinomachum iudico, qui se controuersiam dirempturos putauerunt, si honestatem cum voluptate, tanquam hominem cum pecude copulauissent. Sic dirimere litem. Vlpia. Possunt tēpora intra quæ quis litem dirimere iussus est, prorogari. Sic acies & iras Sabinæ dirimunt inter soceros & generos. Dirimere sententias eorum qui in lite iudicanda affuerunt, est Numerare & componere inter se sentētias eodem pertinentes, & numerum numero comparare, & (si opus sit) diuidere. Hoc est, si tertia sit pars sententiarum numero minima, quæ ad alterutram propius accedere videatur. Vulgo, Ad concordiam redigere opiniones vocant, & summam colligere. Vt Dirimere suffragia. Varro libr. 3. de re Rust. Vis (inquit) dum dirimentur suffragia, villicæ vtamur vmbra. Id est, dum ex summis suffragiorum collectis, constituetur quis plurima puncta tulerit. In vetustioribus tamen codicibus legitur diribere. De iure autem diuidendarum sententiarum: in Annotationibus in Pandectas plenè diximus ex epistola quadam Plinii oratoris.

Ire ad inquirendum de re controuersa, & Inquirere, Faire l'enqueste. & Inquisitor, qui inquisiuit.

Intercessioni parere, Surseoir l'exploict. & Intercessionis edendæ causa diem dicere, Assigner iour pour dire.

Iusta tibi possessione decedo. Id est, facio te possessorem.

Comitium, vulgo Castelletum vocatur Parisiis: & quocunque nomine alibi forum iudiciale vocetur. Comitiales causidici & cognitores, Du Chastellet. & Formula comitialis.

Expositiones causarū sinuosæ, & alte repetitæ, Lōgs plaidoyers. Et Actiones causidicorū compendiosæ, & rectà ad summā quæstionē progrediētes.

Altercādi vices legitimæ ad tertias nō pducūtur. Id est, nō triplicare licet.

Falsi postulare instrumentum, Maintenir faulx. Et instrumentum falsi compertum & conuictum.

Stati dies dilationum, vt ad octauum, aut ad x v, aut vlteriorem.

Re quæsita & renuntiata, dies reo delato dicitur, aut hominis comprehensio decerni solet.

Res quæsita suspiciosa quidem, sed reum delatum non perstringere visa est. Celluy contre lequel on a informé, ne sen est pas trouué chargé.

Expetere mulctam honorariam cum rei persecutoria, Amende honorable, & prouffitable. Vel litem simul æstimare reo, & honorariam pœnam exposcere. Litem æstimare iniuriæ vel contumeliæ sarciendæ & pecuniæ.

Interrogata, responsa, dictáque testium. Id est, quid quóque modo interrogati, pro testimonio dixerunt. Cic. pro Sylla, Constitui Senatores qui omnia interrogata, responsa, dictáque testium perscriberent.

Mancipium & Nexum à Cicerone distinguuntur ab vsu & fructu. Id est, Proprietas & Dominium.

Commentarii scribarum, siue Commentarius. Id est Registra, quæ Regesta Latinè dici possunt.

Cognoscere chirographum suum vel manum, vulgò Recognoscere dicitur. Cic. in Catilinam, Cognouit & signum Statilius, & manum suam.

In custodiam tradere, In carcerem mittere.

Nexu venditor vel auctor obligatus. Id est, qui ad euictionē præstandā tenetur. Cic. pro Murena, In iis rebus repetēdis, quæ mancipi sunt, is periculū iudicii præstare debet, qui se nexu obligauit. Quæ sint autem Res mancipi, & Mancipio dare, nos satis in Annotationibus in Pandectas explicauimus.

Ad iudicem vel iudices querimoniam deferre, Est inquirendæ rei delatæ veniam postulare atque auctoritatem. Hoc est, vt vernaculè dicunt, Commissionem ad informandum.

Rei ad curiam delatæ quæstio curiæ decreto cōstituta, atque animaduersio. Id est, quòd informatione facta, in criminosos, eiúsque maleficii affines procederetur, vt legibus moribúsque conuenit.

Renuntiatio inquisitoris, Processus verbalis appellatur.

Libellis frequentibus litigātes postulant, vt suæ causæ curia det operam. Id est, Flagitant audientiā. Libello porrecto curia ita subscribendū cēsuit: Qua de re præfectus aut iudex alius cognouisset, atque eiusce rei apud acta instrumētum prolatum esset plenum & absolutum, vel ita penes se instrumētum haberet, vt de causa liquere posset, eam vt rem cognosceret primo quoque tempore, & iudicaret, darétque operam ne litigatori causam daret iterum curiæ eam ob rem supplicandi. Vulgo dicunt, Fiat præceptum iudici vt intra duos menses, aut intra sesquimensem causam iudicet.

Cicero in Verrem, Postulat vt in eam rem iudices dentur ex iis ciuitatibus, quæ in id forum conuenirēt. Nunc dicunt, Vt dentur commissarii intra Bailliuiatum, aut intra resortitum.

Quærere rē, quod nostri dicūt, Procedere extra ordinē. Et eo die res quæsita non est. Id est, curia criminali processui operā nullā dedit. Cic. in Verrē, Non dubitabat Minutius, quin iste, quoniā consiliū dimisisset, illam rē illo die quæsiturus non esset, cum repente iubet dicere. Idē alibi, Dimisit eo tē-

pore quæstionem. Id est, eo tempore curia surrexit.

Vadimonium quoduis promittere non recuso, Cedo quemuis arbitrum, aut iudicem. Id est, do tibi iudicis vel iudicum optionem, huius rei iudicandæ vel arbitrandæ causa.

Testes dicere dicũtur, & Testimoniũ dicere, & Pro testimonio dicere. Cic. in Verrẽ, Cui cõperendinato, quũ tã multi testes dixissent, quicquã illorum veniret in mentem. Idem pro Quintio, Dicent hi quoque testimoniũ. Idẽ, Qui audiuissent quæ in istum testimonia essent dicta. Idẽ in Verrẽ, Qui pro testimonio dixit, te, cum thuribulum inspiciẽdum poposcisses, auulso emblemate, remisisse. Nunc, Deponere absurde dicunt verbo iuris interpretũ.

Appellator, est improbus prouocator. Cic. in Verrẽ, Nihil ægrius factum est multo labore meo, quàm vt manus ab illo appellatore abstinerentur.

Cedere prouocationi, vulgo Deferre appellationi. Liu. lib. 8. ab Vrbe, Videro, cessurúsne prouocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit.

Nomẽ absentis tribus præconiis forẽsibus inclamatũ: Nunc, Ter cõtra eũ defectus datus: post quæ, quarto perẽptorio opus est. Vel sic, Quartum & vltimũ iudiciali præconio inclamatus. Nunc, Appellatus pro vltimo defectu.

Indicta causa damnati rei, ii sunt qui ad diem dictam primum non affuerunt: aut qui satisdato ampliati, ad diem vadimonii non occurrerunt: aut suæ ipsorum custodiæ crediti, & intra pomœria carcere circunscripto, iniussu abierunt. Nunc, Qui vrbem carceris loco habebant.

Palàm in auditorio postulationem expromere iussus inter agẽdam causam. Nunc, Faciat requestam litigando.

Altercationum vices commissæ, vel Causarum actiones cõmissæ. Nunc, Inchoatá placitamenta dicunt.

Iurisdictionis fundamenta subducere dici potest, qui iudicem suum esse negat. Id est, allegat incompetentiam.

In causis agẽdis longius excurrere, vel Altius rem repetere quàm res ipsa exposcat, Diem & horam eximere dici potest, atque eam ob rem à præside reprehendi. Nunc, Materiam abducere in erraticam narrationem vocant.

Oscitans ac dormitans causæ actio aut altercatio, est quæ causæ firmamẽta & argumenta non exactè explicat & prosequitur. Quod idem de iurisdictione dici potest, quæ quædam non prætermittenda præterit, aut in ordinanda lite, aut in sententia pronuntianda.

Lis aut causa incondita, aut hiulca dici potest, aut præpostera, quæ nec rectè, nec ordine constituta est & instructa.

Damnatus reus in orbe numellato, medio foro ter circũactus, & cautere liliato inustus. Nunc, Versatum in pillorio, & stigmate notatum dicunt.

Aure vel auribus minuere, & Auribus minuti, qui vulgò Exauriti dicuntur, vel Exauriculati potius. Hi & Mutili, & Mastigiæ, & Verberones, & Facinorosi dicuntur, & Exilio mulctati.

Capite minuti, qui Decapitati dicuntur.

In quaternum nundinum auctiones promulgare. Nunc, Publicare per quatuordenas quaternas. Potest &, Quaterno trinundino indicere, dici.

Pactorum,& contractuum,ac conuentorum perscriptiones. Nunc, Minutæ & proiectę vocantur:& Perscriptores pactorũ. Verba sunt Ciceronis.

Reus ad causam dicẽdã, obiectáque crimina diluẽda, cõmuni iure admissus. Nunc, Ad litem ordinariã admissus, vel Ad sui iusticam defensionem.

Litigatores vltro citróque ea quæ ad coniecturam pertinent, scribendo, scriptitandi vicissitudine constituerunt, probandáq; probauerunt. Nunc, Partes facta sua collegerunt. Vel sic, Et quæ in facti disceptatione erant, inter se constituerunt.

Interdum huiusmodi iudicis interfatio existit, post litis inspectionem,& ita pronuntiatur: Antequam diffinitiuam sentẽtiam dicere aggrediamur: ex iis quæ in medium prolata sunt, quædam facti disceptationes excipientur, quæ vtrinque probabuntur, si ita partibus visum fuerit.

Circunducere edictum causæ peremptorium, vel Inducere commeatum ab eremodicio datum. Nũc, Purgare defectum & congedium, vel Dispungere,& pro nihilo ducere abeundi veniam.

Apponere sibi petitorem vel defensorem, est collusorẽ aduersariũ quærere,& cum eo imaginem veri certaminis adumbrare,& sententiam auferre. Cic. in Verr. Itaque apponit qui hæreditatem petat Veneri Erycinæ.

Iudicatus pecuniæ, est qui ob pecuniã nõ solutã, in carcerẽ duci iussus est.

Legum authoritatem, vel constitutionũ ementiri. Id est, falsò legem vel constitutionem allegare. Et curiæ authoritatem ementitus est is, qui extare aliquã de re arestum curiæ perhibuit, vel censendo, vel altercando.

Ad nomina non respondere. Nunc, Sinere se inter deficientes, & perdetrectationes absentes adnumerari.

Nomẽclaturã eremodiciorũ ꝓscribere. Nũc, Publicare rotulũ defectuũ.

Inclamare eremodiciorũ nomina. Nũc, Appellare defectus & cõmeatus.

Aresti executio fiet adhibitis & euocatis, quos adhiberi & euocari ius & æquum esse videbitur. Nunc, Appellatis iis qui appellandi erunt.

Cum eadem de re controuersia apud duos aut plures iudices diuersi fori extitit, ne præiudicium ab altero aut ab vno iudice fiat, qui alteri, aut aliis anteuerterit, vel ne discrepantes sententiæ eodem de iure pronuntientur, huc aut illuc pro re nata translatio fit litium omnium. Id est, omnes controuersiæ eodem euocantur.

Cũ de cõsuetudine cõtrouersia orta est, testes decuriãtur,& singulæ decuriæ pro singulis testimoniis cedũt. Nũc, Vna turba ꝓ vno teste numeratur.

Rata gratáque per me futura sunt, quæ per procuratorem meum acta, facta, conuenta, promissa erunt, nõ secus quàm si me præsente, ac verba præeunte acta, facta, transacta essent.

Dies à Cicerone pro tempore soluendæ pecuniæ, aut rei absoluendæ dici solet. Vt quodam in loco, Ait nomina se facturum qua ego vellem die. Id est, syngraphæ eum terminum quem ego vellem, appositurum.

Nuncupata,& verbis conceptis cauta vel excepta sunt, quæ vulgo Expresse dicta in contractibus appellantur.

Desertores causarum Latinè dicendi sunt, qui eremodicij aut rei sunt, aut

damnati.

Recuperatores, hodie Iudices commissarii vocantur. Dabantur olim à prætore, nõ absimiles iis quos Græci διαιτητὰς appellãt. Et Recuperatoria iudicia dici possunt, quæ nunc Commissariorum iudicia nostri vocant.

Descẽdere in causam, & In causã se demittere, & Causæ subscribere. Nũc, Adiungere dicimus. Penitus autẽ descẽdere, vel sese demittere, est quasi liti sese vindicẽ offerre, & authoritatẽ præstare. Hoc est, suo nomine defensorẽ agere: quod Garentizare vernaculo verbo dicimus. Deesse autẽ authoritati rei controuersæ venditor dicetur elegãter, qui rem ab alio vindicari passus est, & in iudiciũ eo nomine vocatus est ab emptore: & vt author laudatus, officio viri boni defuit, nec authoritatẽ emptori suo marte præstitit. Nunc, Deficere garẽtiæ dicunt. Hoc est, emptorẽ suũ destituere proderéque. Cic. ad Atticũ, lib. 7, In quo quidẽ loco manebo, dum spes pacis erit: sin bellum geretur, nõ deerò officio & dignitati meæ, pueros ὑπεκθέμενος in Græciam.

Pro testimonio mentiri, Est falsò testificari. Ex Cicerone.

Literæ vel documẽtũ locupletis authoritatis, authenticũ à iurisperitis appellatur, quasi iustæ & plenæ fidei instrumẽtũ, vt iuriscõsulti antiqui vocãt.

Decidendæ litis in curia agitatæ authorem fieri curiam ipsam oportet. Nunc, Homologare vocant verbo Græco.

Sicut actor Intendere dicitur, & actoris est Intẽtio: sic reus Depellere intentionẽ, & eius est Depulsio. Id est, exceptio & præscriptio. id est ἀντιγραφή. Quintil. lib. 3, Vltima quidem superest ratio aliquo iuris adiutorio elabẽdi è crimine, quod neque negari, neque defendi potest, vt nõ videatur iure actio intẽdi. Cic. De hac muliere nihil dicã, nisi depellendi criminis causa. Id est, propulsandi & diluẽdi. Depellere tamẽ & Depulsio, nõ tantũ defensoris, sed etiam actoris & petitoris. Prima autẽ depulsio est, quã Defensionẽ plerunque vocãt. Secũda est actoris, quæ Replicatio à iurisconsultis dicitur. Et tertia rursus defensoris, & eius vnde petitur, quam Duplicationẽ vocãt iidẽ iuriscõsulti antiqu. Et si porrò pergamus, erit quarta depulsio, quæ Triplicatio dicitur. Quint. Sit enim actoris intẽtio, Hominẽ occidisti: si negat reus, faciet statũ qui negat: quòd si cõfitetur, sed iure à se occisum dicit: nisi aliquid accusator respõdeat, nulla lis est. Nõ fuit (inquit) adulter. ergo depulsio incipit esse actoris: ille statũ faciet. Ita erit quidẽ status ex prima depulsione, sed ea fiet ab actore, nõ à reo. Recusare etiã est depellere, & Recusatio, intentionis depulsio. Cic. in Partit. Rationem subiiciat recusationis suæ. Id est, exceptionis. Quintil. lib. 4, Recusatio quoque plures interim propositiones habet. vt contra petitionem pecuniæ, Malè petis: procuratori enim tibi esse non licuit: sed nec illi, cuius nomine litigas, habere procuratorem.

De controuersia componenda dabo me amicis, & compromissum faciam ex eorum sententia. Id est, faciam quod amici iusserint.

Frustrator, causæ desertor, ludificator, litis dirimendæ detrectator, iuris & æquitatis fugitans.

Tribus perẽdinis reum delatũ vadari, vel Ternis perendinis vadimoniis euocare, & Post quartũ peremptorium præconio promulgare & proscribere.

Nunc, Ternis breuibus dicunt adiornare, & Banno appellare.

Reis absentibus delatis, & indicta causa damnatis. Id est, post eremodicii recte atque ordine ex iudiciorũ publicorum priuatorúmve formula decreti, inclamatis & proscriptis, & inter requirẽdos adnotatis, solenne est, si insonti conscientia freti sint, postliminium diplomaticum impetrare ab integro sistendi iudicio, & quæstioni capitali se offerre, vt & sui, & bonorum adnotatio circunscribatur, si causam iudicibus approbauerint.

Laudat authoritatem rei, is qui titulum possessionis suæ allegat.

Proferre tabulas testamenti, Cicero pro Exhibere testamentum dixit.

Mulctam dicere verbis curiæ, si quid contra interdicta factũ fuerit. Nunc, Vetare nomine curiæ in pœnam certã & grandem. Cic. Mulctam dixit Crassus, põtifex maximus, collegæ Flacco, flamini Martiali, si à sacris discessisset.

Incessere fidem restium, & Eleuare, & Insectati, & Refutare, & Refellere dicũt, quod lingua vernacula Reprociare vocat. Quod ferè est Exprobrare crimen vel infamiam. Dicitur & ab antiquis, Infamare testes, & refutare, & arguere ignominiæ vel periurii. Quintil. Si deficietur numero testiũ, pars diuersa, paucitatem: si abundabit, conspirationem: si humiles producet, vilitatẽ: si potẽtes, gratiã oportebit incessere. Cic. pro Cecinna, Terẽtius alter testis non modo Ebutiũ, sed etiã seipsum arguit. Id est, refellit. Et pro Rabir. An non intelligis quos viros mortuos summi sceleris arguas? Quod idẽ Coarguere dicitur. Idẽ pro Sylla, Illũ multorũ literæ ac nuntii coarguerũt. Et pro Flacco, Vinci, refelli, coargui putat esse turpissimũ. de teste loquens.

Attentare fidem testis, est subornare conari. Attẽtare iudicis religionem aut fidem, est muneribus vel promissis aggredi & corrumpere velle.

Ius, pro titulo à Cicerone dicitur. vt in Paradoxis, Vt mancipia quæ sunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili.

Formularii, Cõceptores, Cautores, Stipulatores, & Astipulatores, Pragmatici, nationis sunt eorũ, quos Practicos & Praxeos peritos nostri vocãt. Ci. pro Quint. Testes rot, quibus omnibus causa iustissima est, cur scire potuerint, nulla cur mẽtiãtur, cũ à stipulatore tuo cõparabuntur. Id est, cũ ab isto, quo tu in vadimonio faciẽdo vsus es. Idem in epist. ad Octauiũ, patrẽ ei obiicit astipulatorẽ, auũ argentarium fuisse. Huiusmodi homines adhibebãtur ab iis qui satis accipiebant, & quibus repromittebatur, aut expromittẽbatur. Trãquil. in Vitel. Tũ fœneratorũ & stipulatorũ, publicanorũmq;, qui vnquã aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix vlli pepercit.

Refrigerare testẽ, est testimoniũ eius, quod graue videbatur, & assensum iudicũ, quasiq; plausũ ciere, interfatione aliqua obturbare, testẽmq; ipsum ad infantiã redigere, quasi mẽdacii suspicione obiecta, aut ad inconstantiã. Trãslatio est ab actoribus scenicis, qui plausu repẽte destituũtur. Quint. lib. 5, Prudẽs verò testis & cõstans, vel tãquã inimicus dimittẽdus statim: vel nõ interrogatione, sed breui interlocutione patroni refutãdus est, aut aliquo, si cõtinget, vrbanè dicto refrigerãdus. Est enim Frigere, non placere, nõ celebrari voce hominũ, non admirationem commouere, non ciere attenrionem. Cic. in Brut. Quare, tibicẽ dixerit discipulo sanè frigẽti ad populũ, Mi-

hi cane & musis. Idem, Nonnunquam frigidus, interdū facetus. Frigidus, id est, nec plausu, nec risu excipitur eius oratio. Quintil. libro 5, Interrogetur autem testis verbis è medio sumptis: vt qui rogatur (is autem est sæpius imperitus) intelligat, aut ne intelligere se neget: quod interrogantis non leue frigus est. Is (quod si eueniat) patronus interrogās ita deprehēsus est, vt porrò progredi nequeat, & obmutescere cogatur, tāquā ad stuporē redactus, & testimonio cōuictus, quod refellere nō potuit. Frigus hoc Græci ψυχρολογίαν vocant: & ψυχρὸν hominem frigidum: id est, qui nec gratiā, nec venustatem habet, vel in habitu corporis, vel in gestu, vel in sermone. Isocr. de regno, docere volēs difficile esse grauem simul & vrbanum, ὁρῶσι γὰρ ὡς ἐπιπολὺ τοὺς μὲν σεμνυνομένους, ψυχροὺς ὄντας, τοὺς δὲ βουλομένους ἀστείους εἶναι, ταπεινοὺς φαινομένους: frigere eos dicit, qui absurdè ad grauitatem se afformant. Frigent igitur testes & indices, qui fidem iudicibus non faciunt, qui animos iudicum non mouent. Refrigerantur autem testes hoc tempore & indices in causis criminalibus, quando testes cum reis compositi, id est, ἀντιπροσώπως interrogati, à reis ipsis probabiliter refutantur vt mendaces.

Præscriptionis lis est, qua excipit reus, actori iudiciū vel actionem dādam non esse. Id est, non esse admittendū. Quintil. lib. 7, Cū ex præscriptionè lis pendet, de ipsa re quæri non est necesse. Nūc, Cū de fine nō admittēdi controuersia est, nō est necesse super principali litigare. Deinde apud Quintilianū sequūtur hæc verba, Ignominioso patri, filius præscribit. de eo solo iudicatio est, an liceat. Præscribere, est exceptionē opponere quæ iudiciū ingredientē summouet. Et opponitur Intētioni, Præscriptio. Quintil. Est autē duplex huius disceptationis cōtrouersia, quòd aut intētio aut præsciptio habet controuersiam: ac fuerunt qui præscriptionis statum facerent. Sic accipitur à Iurisconsul. in tractat. de except. in Pandectis. Intētionis autem & Præscriptionis Appendices & Appēdiculæ, sunt liticulæ quæ subinde agnascuntur principi quæstioni, & Incidentes vocantur, aut Emergentes.

Fraudi esse, vt Captioni esse. Cic. pro Cluent. Quæ res nemini vnquā fraudi fuit. Id est, nunquam pœna dignum existimatum. vel, Nunquam damno fuit. vt Terent. in Heauton. In eādem fraudem ex largitate nimia atque ex parsimonia incides. Id est, vtrūque perinde damnosum est. Capitalē fraudem admittere, est capitali crimine se obligare. Quo Vlpianus vsus est in tract. de AEdili edicto. Liuius, Qui capitalē fraudem ausi sunt. Cic. de Diui. Est enim periculum, ne aut neglectis his rebus diuinis, impia fraude: aut susceptis, anili superstitione obligemur. Captioni esse, etiā est Damno esse. Plaut. Atenim ne quid mihi captioni sit, si dederim tibi.

Testis deprehensus & æstuans, & de gradu deiectus, pro Titubante. Cōtrà, Testis firmus, interritus, cōstans, præsentis animi, & apud se semper existēs. Index autem dici potest præsenti animo indicium fecisse, & cum reo commissus acriter institisse, & propemodum confessionem ab eo expressisse.

Scripturæ caput aliquod circunscribendū contendere, id est, reiiciendum esse. Et reiectanea capita, & pro nō scriptis habēda, quæ reiecta sunt. Dicitur & Circunducere, pro Circunscribere. Cic. in Verrē, Itaque vno nomine cir-

cunſcribere habetis genus hoc aratorum, quòd eos infenſo animo veniſſe dicatis. Id eſt, vt teſtes vobis infenſos à teſtimonio reiicere. Eſt etiam antiquare & inducere. Idē in Finib. Circūſcriptis igitur iis ſentētiis, quas poſui, relinquitur vt. & reliq. Vlp. in tract. de iudiciis, Circūducere edictum dixit. Dicitur & Inductum, quod circunſcriptū eſt. Cic. ad Atticū, Inducendi ſenatuſconſulti maturitas nondū eſt. Id eſt, delendi & antiquandi. De iis quæ inducuntur in teſtamentis, titulus eſt in Pand. Eodem modo, Circunſcribere ſententiam, eſt quod Ad nihilum redigere dicimus. & Appellatio circunſcripta, quæ vel curiæ decreto, vel diplomate regio antiquatur.

Editum ex actis decretum & conſignatum, pro eo quod Leuatum è Graphiariatu vulgo dicunt.

Aſſēſa ſcripturæ capita & cōueniētia. Id eſt, de quibus inter partes cōuenit: quibus Capita cōtrouerſa opponūtur. Cic. in Aca. Etenim qui à vobis ſapiēs inducitur, multa ſequitur ꝓbabilia, nō cōprehēſa, neq; percepta, neq; aſſēſa.

Cauſam ſuam iudicibus probare, eſt quod dicunt vulgò Documētum boni iuris ſui dare, cui opponitur, Apud iudices offendere. vnde Offenſiones iudiciales, res ſunt minus ſecundæ in negotiis forēſibus. Græci ἥττας appellāt.

Offendūt prouocatores in curia, qui in fraudem ſexagenariam incidunt. Quod & de cauſidicis dici poteſt, qui vulgo mulctam habuiſſe dictitantur. Et Cauſidicus offenſator, cuius clientibus ſæpe id contingit. Et litigatores quidam ſubinde offenſantes, & temerarii appellatores.

Is ad quem res, qua de re agitur, pertinebit. Nūc, Pars quæ ius acquiſierit. Simile eſt, Adhibendi autem iis erunt, cum eò ventum erit, ad quos ea res pertinebit, vel quibuſcum ipſi res erit, qua de re tunc agetur. Nunc, Vocatis ab eo vocandis dicunt.

Si quid aduerſus ea quæ decreta ſunt, factū fuerit: pro vt quæque res erit, ita iudices animaduertant. Nunc, Secundum caſuum exigentiam mulctēt.

Reus ad cauſam dicendam admiſſus. Nunc, Ad ſe iuſtificandum.

Litis æſtimationem imminuere, eleuare, refellere, & minoris æſtimandam contendere, ἀντιτιμᾶσθαι, extenuare & eleuare. Nunc, Per attenuationem reſpondere. vel ſic, Licet ex formula litem iniuriarum vltro citróque pluris minoríſque æſtimare.

Ius prodendi ſacerdotis in locū demortui ſufficiendi, Ius patronatus nūc dicitur. Ius etiā nominandi dici poteſt antiquo verbo, quo lingua vernacula vtitur in ſacerdotiis & profanis muneribus: quod & Nomen edere dicitur.

Qui interdicto retinendæ poſſeſsionis experitur, primū vel agit vt aduerſariū poſſeſsione deiiciat, & vt penes ſequeſtrē ipſa ſit poſſeſsio, & regiæ manus iniectione veluti ſacroſancta ſit partibus. Et hæc diſceptatio quaſi exordiū eſt cōtrouerſiæ. Secunda intentio geminā habet diſceptationē: pertinet enim & ad vindiciarū litem, & ad iuſtæ poſſeſsionis iudiciū, etiam ſi cōtrouerſia plerunq; duabus ſententiis dirimitur longa intercapedine diſtātibus. In hoc autē interdicto ita promiſcuæ ſunt intentionis & depulſionis vices, & petitoris, eiúſq; vnde petitur, ſic (vt ita dicā) perſona deſultoria, vt tamen is petitor cenſeatur qui laceſsiuit controuerſiā, interdicto prouocando ad-

uerſarium,quaſi iuris ſui fruendi vtendíque obturbatorem. Prouocare autẽ & interdicto & vindiciis ſic dicere poſſumus,vt olim aiebant, Quãdo tu hoc negas,ſacramento quinquagenario te prouoco.

Poſtulare ius ſubſidiariæ actionis,& cum eo experiundi ad quem res pertinebit,ſeruandi ſui cauſa.Nunc,Saluum recurſum vocant.

Opponere ſe liti vt ſuæ,Agnoſcere litem vt ſuam, & Litem ſuam facere,eiuſque euentum recipere ac præſtare ſolent,qui de euicta re tenentur. οἱ ἀναδεξάμενοι τὴν δίκην,qui cauſæ patrocinium ſuſcipiunt.

Indicere mulctam ni pareatur,hi ſolent qui auctoritate iudiciali quippiam exequuntur.

Vſurpare ius antiquum,eſt Refricare amiſſam tempore poſſeſsionem. Liuius, Mirabantur quídnam incidiſſet, cur ex tanto interuallo rem deſuetam vſurparent.Vſurpare ius,eſt vti aliquo iure,& quaſi poſſeſsionem capere. Idẽ de Diali flamine qui admitti in Senatum è more antiquiſsimo poſtulabat,loquens,cui rei Prætor intercedebat,Prætor(inquit)non exoletis vetuſtate annalium exemplis ſtare ius,ſed recentiſsimæ cuiuſque conſuetudinis vſu volebat,nec patrum nec auorum memoria Dialem quẽquam id ius vſurpaſſe. Idem alibi,Nihil noui facimus,quod populi eſt,vſurpamus. Vſurpare ciuitatem,eſt Dicere ſe ciuem.Cicero in Verrem,Cum imploraret ſæpius,vſurparétque nomen ciuitatis.Id eſt,Cum ciuem ſe eſſe teſtaretur,ne à Verre necaretur.non enim licebat ciuem Romanũ interimere prætoribus & aliis magiſtratibus.Deinde ſequitur apud Ciceronem,Ne morà quidem mortis mẽtione atque vſurpatione ciuitatis aſſequi potuit. Sic apud nos Vſurpare ius initiati verticis,eſt Clericum ſe dicere,ciuilis impunitatis cauſa. Et Vſurpatio canonici iuris,pro eodem dici poteſt.Cic.de lege agraria, Sint igitur decemviri,neque veris comitiis,id eſt populi ſuffragiis, neque ad ſpeciẽ atque vſurpationem vetuſtatis,per x x x lictores auſpiciorum cauſa adũbratis,cõſtituti.videte & reliqua. Ad vſurpationem vetuſtatis dixit:id eſt, ad inanem ſpeciem & imaginariam formulam,vt videantur creati iure à maioribus tradito.Paulus iuriſconſultus,Vſurpatio,eſt vſucapionis interruptio. Oratores autem Vſurpationem,Frequentem vſum vocant.

In hac lite non caput actionis agitur, ſed exceptionis & præſcriptionis cõtrouerſia eſt,aut iudicii tranſlationis.Nunc,Non eſt quæſtio nunc de principali,ſed de fine non procedendi aut non recipiendi.

Homo non modo iuris prudentiſsimus,ſed etiam formularum ac forenſis vſus callentiſsimus. Nunc,Optimum practicum dicunt,qui omnes cauſarũ cardines,articulos,perfugia,ſubſidia nouit,temporúmque momenta.

Concluſiones ratæ ſunt,quæ Argumenta concludentia dicuntur.

Tribus menſibus prouocationis cauſas in curia auſpicari oportet.Quod & Ingredi & Ordiri & Exercere dici poteſt.

Producere diem,Liuius de Manilii iudicio loquens, eſt Rem differre in alium diem.Cicero Dirimere tẽpus, & Proferre diẽ dixit.Diffundere diẽ, eſt In craſtinum rem differre,vt in Annotationibus in Pandectas admonuimus.

Pro-

Iniqua conditione litigare dicuntur, vel Iniquo certamine disceptare, qui cum aduersario præpotente, aut in eo foro nimium gratioso litigant.

Conuentum agere, & Conuentus agere, est quod nos dicimus, Assessiones tenere. Cic. in Verrem, Ex iis oppidis in quibus prætores consistere, & conuẽtum agere solent. De quo vocabulo satis in Annotationibus diximus. Cõuentum agere iudicialem iudices vel curia dici potest, quando aduocatorũ actionibus altercationibusque vacat. Sic Cõuentus forenses aguntur: ἀγοραῖοι ἄγονται) in Actis Apostolicis vndeuicesimo capite.

Senatui placere dicebant, vt apud Ciceronẽ quinta & nona Philip. pro eo quod Græci dicunt δοκεῖν. vnde Dogmata, id est decreta dicta. Ita Curiæ placere dici hodie potest, præsertim in his decretis quæ auctoritate & potestate legibus soluta magis quàm legum antiquarum præscripto cõstant. Quanquã ipsa Curiæ decreta, Aresta videri possunt esse dicta, quasi curiæ placita. Aresta enim à Græcis dicuntur, quæ placent & probantur. Plutarchus librum scripsit περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. Id est, vt olim vertimus, De placitis philosophorum.

Pernegare in quæstionibus dicuntur rei, cum re per tormenta quæsita (sic enim loquebantur) ipsi qui torquentur, negant pertinaciter.

Dissoluere mores, instituta, & formulas, vsúsque iudiciorum. Nunc, Contra consuetum modum & stilum procedere.

Satis testium esse visum est: vel vt Cicero, Satis testium datum esse, cũ res probata esse visa est.

Constitutum iudicium esse dicebant, quando prolusiones actionum peractæ erant. Nunc, Fines non procedendi, vel non admittendi vacuati sunt. Et Post constitutum, id est, Post præludia causæ finita.

AEquum bonum impetrare à iudice non potest is, cui iudex iniquus est.

Tenetur manifesto is qui conuictus est, qui iam inficiari non potest.

Religio & fides in æquo iudice esse debet. Cic. In iudicio (inquit) religio & fides anteponatur amicitiæ.

Iura Cordubam petunt, inquit Plinius auunculus. Nũc, Iurisdictionis sunt Cordubensis. Curtius, Hunc exitum habuit regia Orientis, vnde tot gẽtes antea iura petebant. Nunc, In quam resortiuntur.

Quod priuatus cum priuato egerit, maior cum minore annorum viginti-quinque, ita demum ratum erit, si minoris interierit non irritum fieri.

Quod priuatus cum priuato agat, æquo iure disceptato. Nunc, Quando erit quæstio inter Titium & Meuium. Cic. in Verrem, Quod ciuis cum ciue ageret, iudicem quem commodum erat, dabat. Nunc, Ad suam postam. Alibi, Quinque iudices quos commodum fuit, dedit. Idem, Siculi hoc iure sunt, vt quod ciuis cum ciue agat, certet suis legibus.

In addictione rei auctione vẽditæ, nisi is euocetur cuia res est, addictio nulla est. Id est, Proprietarius.

Iure ac iudicio controuersiæ finium, non armis disceptandæ. Ex Liuio.

Id sine fraude facere ius potestásque esto. Nunc, Impune facere liceat.

Supplicibus libellis curiæ fidem implorare. Nunc, Requestas porrigete.

Disceptatori ad rem inspiciendam à curia misso, libera data mandata, quæ præsentis disceptationis essent, vt in re præsenti cognosceret, & quæ visa essent, statueret. Nunc, Commissario data potestas eorum quæ ad mandatorũ executionem attinent. Is tamen religione non necessaria ductus, integram omnium disceptationem, aut quæ maioris disceptationis esse videbantur, ad curiam reiecit.

Res mancipi, res sunt alienabiles, & quæ sunt in commercio, quibus Nec mancipi opponuntur, quæ (vt Plinius inquit) in mancipatum non veniunt. Cic. pro Murena, In rebus repetendis quæ mancipi sunt, is periculum iudicii præstat, qui se nexu obligauit. Fit mẽtio in codice Iustiniani, in tractatu De vsucapione transf.

In causis quæ testimoniis magis, quàm literarum auctoritatibus constant, interdum ita pronuntiatur, Satis de causa liquere, nec opus fuisse in testium fidem inquirere, quamlibet scripto refutatam & eleuatam. Nunc, Sine inquisitione eorum quæ exprobrando obiecta sunt.

Scripto testibus obtrectare, Bailler reproches. Cicero. Et testiũ fidei. Non testibus scripto, sed testimoniis obtrectare ius est post inquisitiones prolatas. Id est, Contradicere dictis testimoniis, Obtrectare literis auctoritatibúsque prolatis. Nunc, Contradictiones edere, Auctoritatum fidem labefactare.

Obtrectationibus testium vel testimoniorum rescribere, vel instrumento litis. Nunc, Edere contradicta vocant. Cic. pro lege Manilia, Vt hoc vos intelligatis à nullo istorum qui huic obtrectant legi atque causæ, L. Lucullum similiter esse laudatum.

Ad inquirendum missus, optionem sibi sumit, vel allegit, quem Adiũctum appellant, qui tamen partium alteri non iniquus sit. Plautus, Optionem sibi sumito Leonidem. Vel sic, Ad inquirendum datus vir virum legit. vel Inquisitor adoptare iubetur subsignatorem sibi, aut subscriptorem.

Ingredi in causam, Cicero. pro eo. quod Introire in materiam dicunt.

Agnoscere se rei actæ aut factæ mandatorem. Nunc, Aduouere factũ. Causæ dicendæ semetipsum offerre & mandatorem. Agnitionem profiteri rei delatæ, vt iure suo mandatæ.

Ad diem & horam testimonii testibus denuntiati, recte euocatum oportet eum quem contra testimonium dicturi sunt. Nunc, Ad personam aut ad domicilium citati. Denuntiare autem testimonium quid sit, nos in Annotationibus diximus.

Testis autem cui denuntiatum est testimonium, testificari cogi potest, nisi eiurauerit. Est autem Eiurare testimonium, iureiurãdo iustam causam excusare testimonii nõ dicẽdi. Quod Græci ἐξόμνυσθαι, id est, Eiurare appellãt. vt si quis neget se præsentem fuisse, aut ignorare se iuret id de quo testes interrogãtur: aut aliã causam probabilem alleget. De quo verbo nos in Commẽtariis Græcis diximus. Inde Eiurare iniquum iudicem, quo Cicero in Phi-

lip.xII.vſus eſt,Sic me iniquum eiurabant,de me querebantur. Sic Eiurare magiſtratum,eſt Iureiurando affirmare ſe iam non poſſe magiſtratui gerẽdo ſufficere, eſt honore abire, & magiſtratu ſe abdicare: vnde Eiuratio pro Abdicatione ponitur.& Eiurare honorem dicitur,qui honore ſe exuit.Val.lib. 2,His(vt ita dicam) piaculis, Mars imperii noſtri pater, vbi aliqua ex parte à tuis auſpiciis degeneratum erat,numen tuum propitiabatur, affinium & cognatorum & fratrum nota, filiorũmque ſtrage,ignominioſa conſulum eiuratione.Id eſt,Conſularis dignitatis depoſitione,qua ſe abdicare cogebantur cum ſumma ignominia.Plinius iunior,Et quaſi eiurato magiſtratu priuatũ me facere.

Creditor qui nomẽ publicæ vel regiæ auctoritatis habet,petere prius debitum,deinde pignerari debet,ſi pecunia non detur.Id eſt,Ab executione facere exigendi initium iure non poteſt.

Agenti actori præſcribere,quaſi illi lege agere non liceat,μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην παραγράφεσθαι, eſt Actionem depellere aliqua exceptione, & iudiciũ illi non dandum eſſe contendere.

Actionem ſubſidiariam vel petitionem reo dare, qui pro alio dependere coactus eſt:quæ à Græcis ἀναφορὰ dicitur.Id eſt,Ius referendæ in alium actionis.Nunc,Seruare recurſum vocant.

Teſtatò reclamare,& Intercedere quominus aliquid fiat:aut Teſtari rem ſe iudicio executurum,διαμαρτύρεσθαι.Nunc,Proteſtari dicunt.

Præſcriptiones litis conteſtationem morantes aut ſummouentes,diiudicari prius debent,quaſi iuſti certaminis proluſiones.Nunc,Fines non procedẽdi vel admittendi euacuare dicunt.

Res peruerſe conſtitutas in ordinem ac ſtatum decorum reſtituere,pro eo quod Reformare dicunt.

Duo aut plures in totum reciproce conſponſores.Nunc,Alter pro altero, vel Alius pro alio in ſolidum obligati,vt rei promittendi.

Auctori vel cohæredi iudicium denuntiare.Nunc,Summare dicunt.

Denuntiare aduentantem diem ei qui in diem rem præſtare,vel opus perfectum obligatus eſt,vt purgare moram poſtea non poſsit excuſanda ignorantia,ſi pœna commiſſa fuerit.Id eſt,Pacti cõmiſſorii admonere, vt in prædio emphiteutico,quod biennio aut triennio commiſsile eſt.Et Denuntiatio rei committendæ & commiſſoriæ præſcriptionis exercendæ,candide facta,reſtitutionis anſam præcidit ei qui nec ignorationem, nec vim maiorẽ, aut ſonticum morbum excuſare probabiliter poteſt.

Denũtiare auctionis diem ei cuia res eſt.Id eſt,Ad diem decreti citare,hoc eſt,Rei addicendæ plurimò licitanti & vltimò.

Renuntiare procuratori mandatum, vel cognitori ſuo. Nunc, Reuocare procurationem.

Nec legibus hoc,nec moribus factum eſt,nec ex vſu forenſi. id eſt, Nouo modo factum,& ideo irritum.

Procurantes lites regias.Nunc,Gentes regias vocant.

Fundus pecuniariam præstationem domino pensitans,& speciariam.Hoc est,qui pecunia conductus est,aut frumentaria pensione,vel vinaria.

Simulac appellata est curia,absistendum est, non etiam simul vt intercessum est.Est autem Intercessio,quæ vulgo Oppositio dicitur.

Considere curia dici debet, & Iudices numero plures ad causas disceptandas aut iudicandas coacti.Cic.in Verr. Vt primum iudices consederunt. Sic Ouid.in Metamorph.de iudicio armorum loquens,Consedere duces.

Præses de singulis causidicorũ postulationibus aut altercationibus referre solitus est.Nũc,Petit opinionem curiæ.Cic. ad Attic. Nam vt quæque res ad consilium primis postulationibus referebatur,incredibilis erat seueritas.

Secunda actoris & rei actio plærunque admittitur,rarissime tertia.Id est,ad replicationem vsque & duplicationem disceptare licet,non vltra.Vel sic,Intendendi & defendendi vices iterum,non tertium repetuntur in curia.

Recuperatores Palatini, etsi perpetuam sui fori iurisdictionem habent, non tamen ordinariam & iustam habẽt. Apud eos enim lege agi sine actionum delectu non potest.In personam agi potest,non in rem, nisi per interdicti formulam: idque tum demum, cum diplomate mãdata est iurisdictio. Requestarum palatii iudices appellantur.

Hac auctoritate nihil consignatius esse potest, quæ notariorum chirographis subscripta,& signo præfecturæ obsignata est.Nunc,Nihil magis in forma probante,vel authentica esse potest.

Ad exequendum mandatum diplomaticum ii euocandi sunt,quorum interuentu rẽ agi ac disceptari oportet,si res ita nata sit.Nunc,Vocatis vocãdis.

Nõ legibus & iure scripto, sed moribus & iure à maioribus recepto vxores in manum virorum cõueniunt:& ita in maritorũ mancipio sunt,vt sine eorum auctoritate agere nihil possint, quod quidem iure ratum sit. Hoc eodẽ iure erant non vxores tantũ,sed mulieres omnes & apud Romanos, & apud Græcos,vt ex verbis Ciceronis liquet in oratione pro Cecinna,Cui filius agnatus sit,eius testamentũ non esse ruptum iudica.Quod mulier sine tutore auctore promiserit,deberi. Idẽ, Iste vester testis, qui ausus est dicere,fecisse videri eũ,de quo ne cuius rei argueretur quidẽ scire potuisset, ipse nunquã auderet iudicare deberi viro dotem,quam mulier nullo auctore dixisset.Et pro L.Flacco,Emptiones falsas prædiorum,perscriptiones cũ mulierculis aperta circũscriptione fecisti.Tutor his rebus Græcorũ legibus ascribẽdus fuit, Polemocratem scripsisti mercenarium & administrum consiliorum tuorum.

Longius repetita percontatione reum interrogare, & vnde suspicari nihil possit.Quintil.Est pedetentim,quasique per inductionem Socraticam inuito & deprehenso confessionem criminis exprimere.Quod quæsitores callidi & iudices faciunt.

Reum iudicio circunuenire & indicio,est Reum testibus subornatis & indice corrupto,qui seipsum deferat,reum delatum euertere.

Auctor fuit reus,vt testibus in se interrogatis fides habeatur,vt irrefutabilibus & integris.Id est,cõsensit,& vltro poposcit.Cic.pro domo sua,Auctórne es,P.Fonteius vitæ necísque potestatẽ habeat:de forma cõcipiẽda verborum

in adoptione loquens. Sic qui se cœnobiis & sacris sodalitatibus deuouent, auctores sunt vt in semetipsos heteriarchæ mancipii ius habeant.

Iudicata curiæ Latinè dici possunt, vt Curiæ consulta.

Capite & fortunis sibi ab aliquo cauere, aut satis accipere. Plin. lib. 34. de cane æreo in templo Iunonis dicato eximii operis, Verum & noua satisdatione (nam summa nulla par videbatur) capite tutelarios cauere pro eo instituti publici fuit. Sic Cauere obsidibus. Cæsar, Quoniam in præsentia cauere obsidibus non possent. Sic Cauere chirographo, Cauere iureiurando. Capite cauere dici posset de iis, qui corporis comprehensione cauent, quasi opposito pignori corpore. Quanquam & aliter dici potest.

Aduocatio, est in causis inspiciendis & æstimandis aduocatorũ cœtus: quæ Consultatio, dicitur. Cic. in Præt. Vrb. de æde Castoris loquẽs, Quo maximarum rerum quotidie aduocationes fiunt. Aduocatio etiã est quod Cõsilium vocat Lingua vernacula. hoc est, Aduocati, & iurisperiti, in vnum coacti, vt causæ agendæ adsint. Liuius, Filiã obsoleta veste cum ingẽti aduocatione in forum deducit. de Virginio loquens. Cic. pro Sylla, Sed si tuus parẽs aduocationem hominis improbissimi, sella & ornamẽtis suis & cõsulatus honestauit: quid est quamobrem consulares qui Catilinæ affuerunt, reprehendãtur?

Et aduocare viros doctos & iurisprudentes, est Ad causam suã tuendã asciscere. Plaut. in Casina, Contriui diẽ, dum ego asto aduocatus cuidã cognato meo, quem ego hercle adeò litẽ perdidisse gaudeo, ne me nequicquã sibi hodie aduocauerit. Et Aduocati, interdũ testes rogati dicuntur. vt apud eundem in Pœnulo, Factũ à vobis comiter: bonam dedistis aduocati operã mihi. Id est, dũ mihi affuistis danti pecuniã. Deinde sequitur, Cras mane, quæso, in comitio estote obuiam. Id est, Adeste ad testimonium dicendum in iudicio. παράκλητοι Græce dicuntur. Aduocat etiam sibi iudex viros doctos assessuros in iudicandis causis. Cic. pro Quintio, Non eò dico, C. Aquili, quòd mihi veniat in dubium tua fides & constantia: aut quo non in his, quos aduocasti, lectissimis viris ciuitatis summam spem habere P. Quintius debeat.

Vincere iudicio fũdũ, & Auferre iudicio, est Iudicio obtinere. Ci. pro Rosc. Comœdo, Itáne vero? cognitor si fuisset tuus, quod vicisset iudicio, ferres tuũ. suo nomine petiit: quod abstulit, sibi, nõ tibi exegit. Sic Vincere interdictũ retinẽdæ possesionis, est rẽ auferre iudicio possessorio. Idẽ pro Cecinna, Ostẽdo si sine armis, coactisve hominibus deiectus quisquã sit: eũ qui fateatur se deiecisse, vincere spõsionẽ, si ostẽdat eũ nõ possedisse. Spõsio, genus erat iudicii, de quo in Annotationibus diximus. Vinco etiã significat, re probata sententiã fero, vel rem cõpertam ostẽdo, & probo. Ci. pro Cluent. Vnũ denique aliquod à Cluentio profectæ pecuniæ vestigiũ ostẽde: vince deinde virũ bonum fuisse Oppianicũ, hominem integrũ, nihil de illo vnquam secus esse existimatum: tum censorum iudiciũ cum re coniunctũ esse defendito. Vince (inquit) id est, proba, demõstra. Idẽ, Si doceo non ab Habito, vinco ab Oppianico. Id est, continuo manifestũ facio ab Oppianico hoc esse factũ. Et de Orat. Hæc à se peti vincerẽt oportere. Id est, ostẽderent, docerẽt, ἐλέγξαι. Sic autẽ Litẽ vincere dici Latinè potest, vt Græci νικᾶν τὴν δίκην dicunt. Sic Plinius

lib.10, Vincere Olympia dixit. Cicero iterum Auferre verbo vsus est, pro Iudicio obtinere, Quod si ad Roscium nihil perueniret, quod tu à Flauio abstulisses, nisi te in suam litem dedisset cognitorem, ad te peruenire nihil debet, quod Roscius pro sua parte exegit. Cognitorem autem appellat, ad litem factum procuratorem, vt alibi dicemus.

Occupare quæ diuersam partem dicturam putat, aut oblaturam, interdum prudentis est litigatoris. Id est, priorem dicere, vel offerre. Vt Occupare testem, hoc est, prius ei testimonium denuntiare.

Quod duodecimuir Fràciæ à duodecimuiro petet, vel à ptiuato, vel priuatus ab eo, quod iudicium cunque dictabit vel collegæ, vel priuato, vel ipsi à collega, vel priuato dictabitur, curia iudex, quasi Senatus dabitur. Hoc enim iure sunt qui XII. primi in Francia, quasi Principum primores vocantur, & in curia sententiam antiquissimo loco dicunt.

Ad restituẽdas actiones quibus è formula litigátes ceciderũt, momentũ afferũt ætas, & sexus, & militia. Id est, ad rẽ ptinet, minor sit, an mulier, an miles

Animaduersiones pontificiæ, sunt quæ Censuræ vocantur.

Diræ proscriptiones, quas Excommunicationes & Aggrauationes vocãt, quasi animarum supplicia, & execrabiles ignominiæ, interdicta cõmercii & cõuictus. Põtifices autẽ ipsi, dira aut vltima exẽpla animaduersionis suæ statuere in reũ dici possunt, cũ ad deuouẽda hominũ capita descẽdũt. Hoc est, Anathemate plectere caput, atq; animã sacrare inferis, aut Stygiis intẽperiis.

Arbitri duo ita lecti sunt, vt si ita res tulerit, tertium sibi cooptent.

Recognita testimonia, & repetiti testes, & altrinsecus reo cõmissi. Nunc, Recolere & Confrontare dicunt.

Edictum amnestiæ promulgatum in curia cum iure postliminii: id quod fit post bella composita, vt vltro citróque transitiones & commissa oblitterentur atque aboleantur.

Coire, verbum est criminosum: & Coitio, pactio multorum arcana & factiosa. Cic. ad Q. fratrem, Quod scribis in consularium candidatorum coitione me interfuisse, falsum est. Eiusmodi enim pactiones in ea coitione factæ, vt nemo bonus interesse debuerit. Et pro Cluẽtio, Dixi Habito statim de eo qui coisset, quo quis condemnaretur, illum esse liberum: teneri autem nostrum ordinem. Atque ille orare me cœpit, ne se lege defenderem. Et pro Plancio, An dubitatis (inquit) quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit? Lingua vernacula Ducturæ verbo, & Ducere vtitur. Dicunt enim in re iudicanda Ducturas, vel Menaturas interuenisse. Sunt etiam Coitiones quæ Monopolia vulgo dicuntur.

Absentis nomen recipere, est cum quis absens defertur, & inter reos recipitur, & per contumaciam damnatur. Cui opponitur Coràm deferri, & De præsente quæstionem haberi. Cicero in Ver. vsus est. Si quis (inquit) absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese eius nomen recepturũ: & simul vt ad causam accederet, nomẽnque deferret, Agathiniũ cœpit hortari. Idem, Ait, si liceret, absentis nomen deferre se velle.

Elogiũ testificationi addere, est Causam sciẽtiæ addere, vt vulgo dicimus.

Iudices autem non solent elogium sententiæ suæ ascribere. Inde Elogia in testamentis dicta, quæ sunt causæ vel hæredis instituti, vel exhæredis facti. Cicero pro Cluent. Elogium recitasti de testamẽto Cn. AEgnatii patris, hominis honestissimi, videlicet & sapientissimi: iccirco se exhæredasse filium, quod is ad Oppianici damnationem pecuniam accepisset. Inde etiam Elogia reorum dicta. in cap. Diuus. de Cust. & Exhib. reorum.

Operam det executor aresti, vel rei iudicatæ, vt maiestas regia, imperiúmque iurisdictionis seuere conseruetur. Id est, Iustitiæ vis valeat.

Maiestatem iustitiæ, & curiæ auctoritatem comiter conseruare. Nunc, Deferre honorem iustitiæ. Cic. Adiunctum etiã illud est, quod nõ est in omnibus fœderibus, Maiestatem Po. Rom. comiter cõseruẽt. Et pro Rabirio, Darent operam Consules, vt imperiũ Po. Ro. maiestásq; cõseruaretur. Sic accipitur in cap. Nõ dubito: de Capt. & Postliminio reuersis. Maiestas (inquit idẽ Cicero in Partit.) est in imperii ac nominis dignitate. Alibi, Maiestas est magnitudo quædã Po. Ro. in omni eius potestate ac iure retinendo. Retinere autem maiestatem iustitiæ summæ, est cauere, ne cõtumacia aduersus imperium iurisdictionis valeat: & efficere, vt omnes obtemperẽt scriptis legibus, vt imperata curiarum faciant. Valerius lib. 2, Magistratus verò prisci quantopere suam populíque Rom. maiestatẽ retinentes, se gesserint, hinc cognosci potest. Liuius. 4. de bello Maced. Si in sua quisque nostrum matresfamilias Quirites, ius & maiestatem viri retinere instituisset, minus cũ vniuersis fœminis negotii haberemus. Soluere autem maiestatem iurisdictionis aut iustitiæ, est imminuere neglectim, & eius seueritatem cõtemptui haberi sinere. Idem Liuius 2. bel. Punici, Horum improuisus aduentus consules imperii potentes fecit, cum ambitio alterius, suam primum apud eos praua indulgentia maiestatem soluisset. Constituere autem auctoritatẽ iudiciorum, Cicero in Prætura Vrbana dixit, pro eo quod est, Lapsam & solutam confirmare & sancire. Sic Sallust. Maiores nostri parandi iuris, & maiestatis constituendæ gratia, per secessionem armati, bis Auentinum montem occupauere. Maiestatem dicit populi, quia tunc erat potestas eius regia.

Ad diem constitutum & condictum non adesse. Nunc, Diem assignatum consensu partium, vel decreto iudicis.

Hoc non tã iure aut moribus pronũtiatũ aut decretũ, quàm curiæ placito & cõsulto. Hoc est, curiæ authoritate factum, iure scripto & formulis soluta.

Quadruplum in fiscum inferre sententia iussus est, id est, Quadrupli damnatus fisco.

Descendere in causam, & ad causam, est Litis consortem se facere.

Perscribere, est alicui cauere syngrapha vel pacto scripto. & Perscriptiones, sunt Syngraphæ à Græcis dictæ, & Conuenta inter litigãtes transacta. Forenses Appunctamenta vocant. Cicero in Frument. Scribam tuum dicit Verres huius perscriptorem fœnerationis fuisse, id est, Cautorem & cõceptorem. Et pro Flacco, Condemnatus est Polemocrates sententiis omnibus: irritæ vẽditiones, irritæ ꝑscriptiones. Defers ad Pergamenos præclaras perscriptiones & emptiones tuas: repudiant. Sic Terent. Næ ego perscripsi porrò illis quibus

debui. Eſt etiã Perſcribere,In tabulas referre,hoc eſt Regerere. Vnde Regeſta dicta,quæ Regiſtra vernaculo ſermone vocantur. Idem Cicero ad Plãcum, Id ex ipſo Senatuſconſulto poteris cognoſcere. Ita enim eſt perſcriptum,vt à me de ſcripto dicta ſententia eſt,quã Senatus frequens ſecutus eſt. Et in Præ. Vrb. Per triumphum vexit:in tabulas publicas ad ærarium perſcribenda curauit. Et in eundem Verrem,act.5, Primum mihi literas publicas, quas in ærario ſanctiore conditas habent,proferunt,in quibus oſtendunt omnia quæ dixi ablata eſſe,perſcripta.

Officium ſuum detrectãt magiſtratus & iudices, qui nõ exequuntur quod munus eorum poſtulat:vt qui cauſam inſtructam iudicare cũctantur. Officio ſuo decedũt,qui parum officioſe magiſtratu funguntur. Quibuſdã autem iudicibus præuaricationes ambitioſæ & conſpicuè litigãtibus damnoſæ, & ſæpe patrimoniis eorũ exitiales, moribus tamen per conniuentiam receptis magis in hominũ maledicta,quàm in legum animaduerſiones incidũt.

Vir ſummo officio in magiſtratu fungendo præditus,de Strenuo & probo iudice,vel alio magiſtratu dici poteſt.Cic.in Verrem,Homo ſummo officio præditus. Id eſt officioſiſsimus. Τοῦ καθήκοντος ἐπιμελητικώτατος, περιεκτικὸς ἄκρως τοῦ καθήκοντος.

Officium etiam poſt Ciceronis ætatem,eſt ordo hominum, vel miniſterium:hoc eſt, miniſtrorum multitudo:Græcè τάξις. In tractatu Qui ſatiſdare cogantur,in Pand. Si ſatiſdatum pro re mobili non ſit, apud officium deponi debebit. Id eſt apud acta,vel actuarium: παρὰ τῇ τάξει in Pãdectis Græcis. Modeſtinus de Furt. Sempronia libellos compoſuit,quaſi datura centurioni,vt ad officium tranſmitterentur:ſed non dedit. Lucius eos pro tribunali recitauit,quaſi officio traditos. Officium hic ſignificat locum & cœtum hominum in eodem munere officio fungentium. Vlpianus de Quæſtionibus, Potes itaque decreti gratiam facere, & ſeruum per officium diſtrahi iubere. Tranquil. in Veſpa. Sub Nerone trepidum, & quærentem quidnam ageret, aut quo abiret,quidam ex officio admiſsionis abire in Orboniam iuſſerat.

Id facinus apud nos capitali noxæ habetur. Id eſt,capitale eſt. Liuius, Vt eũ fas eſſet occidi,qui magiſtratum ſine prouocatione creaſſet:néve ea cædes capitali noxæ haberetur.

Teſtes cum reo componere, ἀντιπαρασχόντας ἱστάναι. Tacitus, Accita quippe ἐπάξεις, & cum indice compoſita,nullis teſtibus inuiſum facilè confutauit. Id eſt,Commiſſa,Coràm interrogata.

Cauſa par,Cauſa ſuperior,& Cauſa inferior, vel litigator. Id eſt, Pari iure, vel tenuiore nixa. Cic. pro Quintio, At ſi in cauſa pari diſcedere inferior videretur, tamen non eſſet mediocriter conquerendum. Nunc in cauſa ſuperiore,ne vt par quidem ſit,poſtulat,inferiorem eſſe patitur.

Fidem eſſe penes artifices renunciantes ius ſtatuit, duntaxat de iis quæ ſui ſunt iudicii. Id eſt,ex eorum renunciatione ius pendet, vel Ius cõſtat eorum exiſtimatione & arbitratu.

Ius trãſlatitium,vel tranſcriptitium,pro Iure ceſſo dici poteſt, vel Subrogatione quæſito.

De hoc maleficio quæstio à curia cõstituta est. Id est, quod inquireretur de eo, & vt vocant Forenses, Informatio fieret. Dicitur etiam, Decretum curiæ extat, vt ea de re extra ordinẽ quæreretur. Quæsitor autem est, qui quæstioni exercendæ præest, vt apud nos Præfectus rerum capitalium, aut quicunque extra ordinem quærere rem iussus est.

Demere interturbatæ aut interpellatæ possessionis iniuriam. Forenses, Turbationem sublatam dicunt.

Scriptum à sententia discrepat. Id est, Verba non sine subauditione legenda. Cicero Supplere scriptum vocat.

Infirmare testes, id est, Labefactare fidem testium, & refellere. Confirmare verò testes & testimonia, est quod Saluare Forenses vocant. Et itidem Confirmatio tabularum & infirmatio, & quæstionum, id est, tormentis expressarum confessionum, à Cicerone dicitur in libris de Oratore.

Facere causam, & Facere controuersiam ab eodem dicitur id, quo sublato controuersia nulla est. Venire autem id in iudicium dicitur, quod maxime iudicandum est. Interfecit (inquit) Opimius Gracchum. Quid facit causam? quòd Reipub. causa eum ex Senatusconsulto ad arma vocasset. Hoc tolle: causa non erit. vbi causa priore loco in recto posita, vtilitatem significat vel salutem. At id ipsum (inquit Cicero) negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in iudicium, licuerítne ex Senatusconsulto seruãdæ Reip. causa.

Causa labefactata, & Causa pene euersa, Ciceroni est causa multum infirmata: Pessundata autem & iugulata causa, est causa deplorata.

Iterata testimonia & repetita, Recolata vulgo dicuntur.

Causa per discessionem statim iudicata, & pene conflato iudicio. Vulgo Via spiritussancti dicitur.

Pactitia sententia, vel iudicium est pactitium, quod inter partes conuenit, quando de partium consensu, non de consilii sententia lis dirempta est. Forenses, Appunctatum est vocant. Potest & Conflatum conuento partium iudicium Latinè dici.

Carcellus est Parisiis, quod Castellum minus dicitur.

Testimonia sese refellentia, inter se collidẽtia, sibimet ipsa contradicẽtia.

Huius causæ ius à disceptatione prudentum ad testimonia traductum est. Id est, à iuridiciali constitutione in coniecturalem vertit. Cic. pro Cælio, Nullum argumentum in re, nulla suspicio in causa, nullus exitus criminis requiretur. Itaque hæc causa ab argumentis, à coniectura, ab iis signis quibus veritas illustrari solet, ad testes tota traducta est.

Agnoscere quod actum est, idque præstare velle. Aduouere vernaculo sermone dicitur. Cic. Perge verò Crasse (inquit Mutius) istam enim culpam, quam vereris, ego præstabo.

Constituere iudicium vel litem, est quod hodie Regulare partes dicimus, & Formã dare liti. Et Cõstitutum iudiciũ est, quod dicũt Processum formã suam accepisse. Cicero lib. 1. de Orat. Acceperã antequã de rebus diceremus, initio conciliandos eorũ esse animos qui audirent, deinde rem demonstrandam, postea cõtrouersiam cõstituendam, tum id quod nos intẽderemus, cõ-

firmandū. Id etiam Constituere disceptationē dicitur. Idem in Partit. Disceptatio autem cum est constituta, propositum esse debet oratori, quo omnes argumētationes repertæ ex inueniēdi locis cōiiciantur. Cōstituere actionem vnum est ex iis quæ caput litis antecedūt. Hoc est, dandáne sit actio, an neganda. Hoc est, admittendúsne sit actor ad agendū, an repellendus. Idem in eodem lib. Partit. Quare de constituendis actionibus, accipiēdis, subeundísque iudiciis, de excipienda iniquitate accusationis, de æquiparanda æquitate, quòd ea ferè generis eius sunt, vt quanquam in ipsum iudiciū sæpe delabuntur, tamen ante iudicium tractanda videantur. Cōstituere etiam causam iuridicialiter vel coniecturaliter, est quod dicunt Appunctare partes.

Exceptione petitorem excludere, est Non admittendum dicere. Cicero.

Causa cadere, est quod dicunt, Decidere ab instantia.

Iure gentilitatis succedere defuncto, vel hæreditatem cernere, est quod dicunt Partiri nobiliter. Iure stirpis diuisa hæreditas, Est iure plebeio. De quibus verbis diximus in Annotationibus in Pand.

Stirpis iure possidere, Est iure plebeio. Hoc est, non iure gētilitio & clientelari. Stirpis iure obuenire hæreditas dicitur, vel iure gentilitatis, vt Cicero locutus est in libro de Oratore.

Hoc iure sunt prædia in clientela posita, & sic est ius clientelare, vel gentilitium. Id est, Huiusmodi sunt iura feudi.

Lege agere in hæreditatem, Est petere hæreditatem.

Acta & scripta vadimonii, Les exploictz.

Ius inter petitos ambiguum, vel quod ambigitur, Est iuris nodus. Cic. de Oratore, In eo autem iure quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori eius partis quancunque defendat, auctorem aliquem inuenire.

Iurisconsultus fidenter & constanter peritus. Vulgo Resolutus dicitur.

Scriptum ius defendere. Id est, Contextum legis vel responsorum, & scriptum ius æquitate temperare: Plus æquitati, vel non minus æquitati, quàm scripto iuri tribuendum. Quòd si secundum alterum tantùm iudicandum sit, cedat scriptum potius æquitati, quàm æquum & bonū summo iuri. Conniueat ius scriptum æquitate disceptatrice.

Ex commentariis iurisdictionem, non ex cōtextu legum deptomere. Ab æquitate iuris dicēdi auctoritatē, non à scriptis legū aut respōsorū mutuari.

Ordinare litē, Est quod dicunt Instruere, & ordine dirigere. Cic. 2. de Orat. Quæ in ciuium causis disceptationibúsque versantur, ea mihi videntur aut in lite ordinanda, aut in consilio dando esse posita.

Prouocatio de medio sublata, ídque quòde prouocatum est. Nūc, Appellationē, & id de quo appellatum est, ad nihilum redacta. vel sic, Prouocatio inducta, ídque quod pronuntiatum est. vel, Prouocatio, & qua de re prouocatum est, antiquata sunt. Dicas etiā si liber, Infectam prouocationem sententiámque facere: vel Iudicatum infectum factum.

Prouocationis causa in scriptæ litis formulā à partibus auctore curia constituta est: ídque in causa agitur, rectè nécne iudicatū sit, cū eo vt prouocatori liceat, si sibi videatur, rei iudicatæ iniquitatem scripta querela prosequi &

expromere, & instrumento litis addere, duntaxat quatenus ex litis actis liquere de iudicati iniquitate non potest: Quæ extra litem esse grauaméta vocantur. vel, Poterit etiam prouocator, qui rem iudicatam grauatur, prouocationis causas extrarias exponere, & scripto exprimere.

Reiectanea capita. Forenses, Articulos reiiciendos vocant.

Pro non scriptis habenda. Forenses, Ad quæ respectus nullus habendus.

Causæ continentia & firmamenta, & eorum documenta in quibus cardo causæ versatur, ex indice litis instructæ desiderãtur. Forenses, Principales petias non apparere dicunt.

Iuridicialis scriptura, à Forensibus Aduertissamentum vocatur.

Inficialis scriptura aut coniecturalis, Intentum per facta contraria.

Quæstio vel causa inter Iurisperitos controuersa & disceptatissima, Vulgo Iuridica, quasi iuridicialis vocatur.

Commentaria dantur scriptitantibus aduocatis à pragmaticis, quæ vulgo Memorialia dicũtur. Quidam autem scriptitantium accuratè scribunt, quidam defunctoriè, & quouis modo. Id est, ὡς ἔτυχεν.

Penitus & accuratè causã cognoscere litis ĩspectorẽ oportet, id est, relatorẽ.

Testificationes, Inquestæ vulgo dicuntur. Cicero, Seséque chirographa, testificationes, indicia, quæstiones, manifestam rem deferre.

Crimen manifestò compertum. Forenses, Verificatum dicunt.

Homo fori alumnus, vulgo dicunt, Educatus in practica.

Homo qui nondum forensis disciplinæ incunabula & rudimenta nouit. Id est, rerum forensium prorsus imperitus, & (vt ita dicam) in ludo litigiario analphabetus.

Ambagiosa controuersia & sinuosa. Forenses, Processum sacculosum & multæ commentationis appellant.

Iudicis officium est causam ad se delatam ex dictis scriptísque iudicare, non etiam causæ patrocinari. Id est, ius tantùm in consilium cum litis instrumento, non etiam extrinsecus exquisita à seipso causæ firmamenta, adhibere. Forenses, Ius (inquiunt) iudex causæ suppeditare, non etiam ea quæ facta sunt, debet. Ipse autem iudex fortasse pro re nata, paulisper iudicis officio non posito, sed dilato, pacificatoris personam assumere potest, sine imminutione imperii iuridici, aut eius dignitatis.

Indicia & argumenta acria, & causæ hærentia, ita vel è vestigio sequentia, vel antecedentia proximè, vt vrgere reum postulatum delatúmque videantur. Forenses, Indicia propinqua, vel non remota vocant.

Lege agere sententiæ executor solet. & Legis actio, & Lege acta, sunt quæ Expleta Forenses vocant.

Disceptator rem exequi adortus est, adhibitis quos adhiberi ad id, ius æquúmque postulabat.

Commissam fisco mulctam & pronuntiatam, iudex remittere non potest. Id est, iam fisci factam.

Huiusmodi iurisdicẽdi forma in curia frequẽtatur. Vulgo dicũt, Practicatur

Apalæstri causidici sunt, vasti & rustici, qui decẽtia agendi, habitúque & af-

fectu corporis defecti sunt. Vulgo malam gratiam, continentiámque habere dicuntur.

Inconsulti quidam litigatores non tam apto & composito litis instrumẽto gaudent, quàm tumẽti & incondita farragine sacculorum, quæ sæpe iudiciũ moratur, nedum causam instruit. Vulgo Crassam productionem vocãt.

Cautum tamẽ in clausula sententiæ, vt reus condemnatus lege agere ea de re in eum posset, ad quẽ res pertineret. Forenses, Saluũ recursum appellant.

Amplius quærendũ esse curiæ visum est. Id est, curia interlocuta est iterum in reum ampliúsque inquirendum. Quod fit, quando nõ satis res comperta est. Iudicium igitur sustinendum interim, & interfatione aliqua quasi tibicine fulciendum est: præsertim cum causæ iudicium exemplare futurum est. Huiusmodi sunt interdum iudicia curiæ perfunctoria, quibus, velut inani pabulo vel tenui, spes litigantium alitur, & ad tabem sæpe perducitur.

Causæ iudicium in tempus reiectum, & interlocutione ampliatum est. Forenses, Vnum prius quàm procedatur, appellãt. Quod & Sustinere iudicium causæ dicitur, quoad clarius liqueat de causæ summa.

Causa prima actione terminanda, vel disceptationis extemporalis, Forenses, In ipso campo vacuanda dicunt.

Prouocationes scriptarum litium, clausulares sunt, in inquisitionum classes reiiciuntur. Non scriptarum autem litium prouocationes, verbales sunt tantùm, & plerunque extemporales. Forenses, Processus scriptos, & Appellationes verbales vocant.

Diplomatis impetrator, quasi obreptor, lite diplomatica cecidit, & summotus aditu iudiciali.

Conuentus iuridici peregrè acti in vrbe designata, Magni dies vocantur.

Duodecimuiratus iure potentatum possidere, vel Patriciatus iure, vel eo iure quo duodecim primi potentatus patriciales possident. &, In collegium duodecim Primorum Franciæ cooptari.

In officio actuario nomen inter prouocatores aut prouocatos edere, vel profiteri. Forenses, Præsentare se dicunt. Et, Scriba editionum aut professionum. Forenses, Graphiarium præsentationum vocant.

Ad nomina inclamata non respondere, & inter detrectantes, aut inter litium desertores adnotari. In numeros eremodiciorum referri. Forẽses, Deficientes appellant.

Circunducere edictum ob eremodicium pronuntiatum, cum paulò pòst affuit qui aberat.

Executionem morari, & Intercedere lege agenti executori. Forenses, Oppositionem formare dicunt. vel, Exequenti mandatum moram non afferre, Patientiam accommodare, Nihil intercedere, Nihil lege agẽtẽ interpellare.

Nisi intra diẽ prorogatum vel reus vel actor causam suã perinstruxerit, indicémque suũ clauserit, ius causæ iudiciúmq; eo stabit, quod apud acta prolatum inuenietur. Forenses, Res iudicabitur ex iis quæ in sacco reperientur.

Causa liquidè instructa, & vtrinq; acta causæ liquida, iudiciũ primo quoq; tẽpore manent. Id est, solæ iam restant iudicum partes. Gellius, Causa liqui-

dè comperta & cognita. Causa, plena & solenni probatione, locupletique testificatione subnixa. Contrà, Anceps causæ instrumẽtum, nec tabulis nec testibus planum fieri potest quod in causa agitur. vel, Vnius tãtùm testis intercessione res transacta est, quæ negatur. vel, Nodosa iuris est interpretatio, vel sinuosa argumenti enarratio atque explicatio, & enucleatu difficilis.

Reus testatò in ius vocatus est. Forenses, Ascripti sunt recordantes.

Causidicus in patrociniis atque in officiis forensibus celeberrimus. Id est, primi nominis.

Obnoxiè dictum testimonium, vel nimium religiose, aut planè meticulose. Contrà, Fidenter dictum, & iusta fiducia testificantis.

Dies à iudice constitutus, aduersario condicendus est.

Auulsa ab eo de manibus possessio & emancipata. Forenses, Manus suas euacuauit.

Postulanti facta potestas inquirendi in delatos, & testibus maleficii testimonium denuntiandi. Forenses, Informandi, & testibus diem dicendi.

Lege agere executori non licuit per eum, quem cõtra pronuntiatum erat.

Codicilli magistratus in curia recitati, assensúque procuratoris regii promulgati, curia auctore facta, & solennis subscriptio addita. Forenses, Literas publicatas in curia dicunt.

Inquirere capite in reum iniuriæ, aut vis illatæ: aut Inquirere pecunia & mulcta: vel Anquirere, vt antiqui loquebantur. Hoc est, ad finem ciuilem.

Inire cõfusas sententias. Forenses, Opinari turmatim, vel in turba. &, Decuriatim testificari, vel confusim. Quod fit, cum ad probandam consuetudinem ventum est.

Res criminose quæsita, in ciuilem disceptationem vertisse dicetur, cũ reus ad causam dicendam ordine iudiciario admissus erit. Id est, ad processum ordinarium receptus. Quod fit, cum probationes ancipites sunt, & exilia indicia in iudiciis de vi, aut iniuriarum, aut in aliis priuatis delictis.

Causa ab inspectore litis enarrata, & instrumento recognito, ad disquisitionem ventum est. Id est, iam rogantur sententiæ à Præsidente.

Id à iudice perperam factum, & aduersus quod legibus sanctum est, in quas erat adactus à curia.

Proferre apud acta litem instructam, & in sacculis per indicem descriptam. Forenses, Productionem facere.

Præcidere, est aliquid designatè facere. Forenses, Quotare dicunt. & Præcisa capita, Articuli quotati.

Inhibere imperium, & Mulctam grauissimã interminari, ni pareatur. vel & Mulctam indicere capitalem, executores solent & iudices. Inhibere imperium exactorem nominis necesse est, deinde lege agere. Forenses, Præceptum facere soluendi dicunt.

Exactor nominis signo regio insigniti, lege agere & pignerari potest.

Nomen fide publica subnixum, aut regia, pigneratitio iure pollet, & manus iniectionis: vel, præditum est.

Reum in diem incertum ampliare, & fidei suæ cõmittere. Forẽses, Elargi-

ri vſque dum reuocetur.

Eximere reum è cuſtodiarum numero, Citra ſententiam aperire illi carcerem vulgo dicunt. Id quod fit, quando anceps iudicium inter damnationem atque abſolutionem, propius tamen abeſt ab abſoluendo. Eximere verò noxæ, & gratiam reatus facere, principalis eſt auctoritatis: queadmodum & Integræ exiſtimationi priſtinæ reſtituere. Hoc eſt, Notæ atque ignominiæ eximere veniali diplomate, viridi vel crocea cera ſignato.

Legitimi dies dilationum. Id eſt, ſolennes dilationes in omni parte cauſæ.

Ius ſuum obtinere non poſſe apud iniquum litigatori iudicem, aut potenti aduerſario æquiorem, quàm iuſtitiæ ſeueritas poſcat. Forenſes, Iuſtitiam impetrare non poſſe dicunt.

Recitatũ in curia, palámque recitatum edictum, curiámque auctoré fuiſſe perſcriptum eſt, cum exceptionibus tamẽ & modificatione curiæ ſolẽnibus.

Fiduciaria cauſæ cognitio iuridico regio dari ſolet, cum iuriſdictio inter duos iudices minores controuerſa diſceptatur, cum eo tamen, vt veluti maioribus auſpiciis, ſummorúmq; faſcium iure, cognoſcere de cauſa, non ſuis ipſius videatur, & ne eius iudicium, ad futura ſit præiudicium.

Fiduciaria rerum poſſeſſio eſt, quæ mancipatus regii iure, tanquam pignus iudiciale & prætorium poſſidet. Forenſes, Sub manu regia poſſidere vocant.

Dilatio danda ei vnde res petitur, ad denuntiandum auctori quem laudare paratus eſt. vel ad denuntiationem iudicii faciendam, reſque vindicationem defendendam ac depellendam.

Succidaneum ſe litigatorem offerre. Forenſes, Surrogationẽ petere dicũt.

Litigium intermortuum renouare, Cauſam ſitu diuturni ſilentii ſepultam exuſcitare, Controuerſiam carie eremodicii obductam refricare, Longiſſimo interuallo deſertam cauſam repetere impetrato diplomate.

Index prolati litis inſtrumenti, id eſt, Inuentarium, qui & Catalogus dici poteſt. & Ad indicem, vel Ex indice inſtrumentum ſuum recognoſcere. Forenſes, Collationem facere partium ſuarum vocant, id eſt petiarum, vt vernaculè loquar. Dici poteſt, Copias ſacculares & inſtrumentarias recenſere.

Iudex interlocutus eſt, aut inter partes ſcripto cõuenit, vt triduo vtrinque inſtructa cauſa, vel cauſæ inſtrumentum, apud actuarium proferatur aut depromatur. Forenſes, Vt pars vtraq; producat intra triduum. Vel, Iudicis edicto, vel partium conuento inſtrumentorum prolatio planè comperendinata eſt, abſciſſa ſpe prorogandæ diei.

Iudicis decreto cauſa in iuridicialem formulam concepta, & iudicium in perendinum condictum. Forenſes, Ad audiendum ius intra triduum.

Die ad iudicium condicto cauſa peragi atque abſolui non potuit, & rurſus ampliata eſt. Forenſes ad alium diem cauſa remiſſa.

Ferre conditionem, eſt quod Offerre vocant. Referre conditionem, eſt Viciſſim offerre.

Vtraque pars à iudice poſtulauit poſt altercationem, vt de conſilii ſentẽtia ex tẽpore & in re præſenti ius ſibi diceretur. Forenſes, In ipſo campo dicunt.

Pronuntiatum, vt litigatorum cauſidici, actiones ſuas ex tẽpore exceptas,

intra diem tertium emendarent, iisque, si sibi videretur, adderent quæ ad causam facerent, vt inde causa disceptaretur, & iudicio terminaretur. Forenses, Placita corrigere vocant.

Iudex causa cognita facti disceptationē esse & causam cōiecturæ forma ordinandam pronuntiauit. Vel, Iudex causam cognitam inficiali formula cōstituit, consentaneúmq; ordinem facti disceptationi præfiniuit, vt scriberēt rescriberéntq; inficiantium more, de factóque ambigentium, & testificationibus rē agerēt. Forēses, Apunctare contrarios, & ad inquisitiones referēdas.

Litigatores iam nihil morantur iudices, quominus in consilium eant, Per litigantes iandiu licuit iudicibus ius dicere. Id est, Iandiu litigantes testati sunt se nihil vltra proferre velle. Ex iis quæ hactenus acta, conuenta, prolata, consignata sunt, iudicium expectatur. Forenses, Processus in statu in quo est, iudicandus est.

Si negatur esse actio petitori ab eo de quo petit, aut nondum esse, aut iam non esse, aut non esse in eo foro, aut nō eo nomine esse: aut persona vel petitoris vel defensoris controuersiam mouet, primùm constituendum est iudicium, prolusoriáque controuersia dirimenda. Quæ si secundum petitorem iudicatur, tum demum ad illam quam Græci εὐθυδικίαν vocāt, transeundum est: in qua reo, non præscriptionibus & exceptionibus litis moratoriis aut translatiuis, aut similibus intentionem petitoris recusare & summouere licet, sed recta & plena depulsione summam controuersiæ perimere, & causæ cardinem infringere necesse est.

Hæc pars controuersiæ concertata, depugnata, & confecta est. Vulgo Hoc euacuatum esse dicunt. Id est, iam non esse partem controuersiæ.

In cuiusdam modi causa, inter litigantium personas, cognatione aut alia necessitudine coniunctas, non ita limanda est iuris summi subtilitas, vt in controuersiis quæ existunt ex verbis testamentorum: in Prouinciis quæ solennia iusta in testamentis conficiendis obseruant.

Cardinē causæ in aliquo articulo ponere, vel Summā cōtrouersiæ, & deniq; causæ fatum ex eo pendere velle. Est quod aiunt Forenses, Ius ex eo sumere.

Constituere iudicium legitimum & solenne, & iuris planè experiundi potestatem facere, de omni controuersia, & inter omnes personas, iudices iuris æquioris prudentiores non solent. Id est, Processum ordinarium facere. Sed compēdiaria disceptatione, & litis imagine potius, quàm lite rem transigere. Forenses, Summariè & sine figura processus dicunt.

Hæc signa, hæc argumenta non cadunt, aut certè parum quadrant in hunc reum, Non hærent in homine antea integra opinione prædito.

Decedere de sententia in loco, & boni & prudentis iudicis est. Id est, Dictam censendo sententiam mutare re integra, si aliussententiā rogatus consultius censuerit. Cicero, Qui decedere de ciuitate, quàm de sentētia maluit. Tacitus sine præpositione dixit, Nec ideo Thrasea sententia decessit.

Rem iudicatā recognoscere, nos Reuisere vulgò dicimus. Id est, Iterum in consilium mittere. Cic. pro Cornelio, Nos decretum Cn. Pōpeii, nos iudiciū de consilii sententia pronuntiatum recognoscemus? Vsus est & in Verrem.

Nouationem veteris nominis erigere ab hærede. Forenses, Nouum titulum appellant.

Conferre & componere descriptum & exemplum cum exemplari vel archetypo. Forenses, Collationare.

De absente vel absentis causa secundum præsentem iudicatum. Forenses, Causam per defectus iudicatam dicunt.

In iudiciis curiæ multum valet æqui boni interpretatio.

Id maximopere in causa ab vtraque parte contendebatur. Id est, In eo articulo causæ, acris & multa concertatio fuit.

In causis instituendis prima est iurisdictionis constitutio. Forenses, Fundatam esse in primis iurisdictionem oportet.

Hac de re facile te apud iudices damnabo, dũtaxat tibi nõ longè æquiores. Id est, sentẽtiam auferam. Varro, Necnõ emptor potest ex empto venditorẽ illum damnare. Est enim Damnare, conuincere: quo Cicero, pro Cornelio, vsus est. Sic Plinius lib. 34, Verrẽ Cicero damnauerat. A Græcis hoc ductum.

In temporum inclinationibus nonnihil conniuere oportet seueritatem iudiciorum: in conuersionibus autem repentinis orbis Reip. etiam quasi stupere, & quasi consertis manibus tanquam in vi maiore cessare. Id quod sicubi consideratum, certè in summa iurisdictione valet.

Suscipere quod factum est & agnoscere. Hoc est, (vt suprà dictum) Aduouere, & suam eius litem facere. Cic. Ego verò si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer.

Asseruare reum hominẽ custodiis. Cic. Nunc dicũt, Dare illi custodiam.

Id facinus in crimen vocatum est, & regio nomine & priuato. Forenses, Procurator regis cum parte ciuili, conclusiones capit criminaliter. Cic. pro Rab. Hoc tu igitur in crimen vocas, quòd cum iis fuerit C. Rabirius. Et pro Plancio, Atque is quidem adductus ad consules qui tum in crimen vocabatur, se iniquè à tuis tractari querebatur. Sic Vocare in inuidiam, apud eundẽ in Offic. Nec verò criminibus falsis in odium quenquam, aut in inuidiam vocabit. Alibi Vocare in suspicionem, pro eodem Rabirio.

Statuere, est aliquid obiter iudicio & sentẽtia significare, & ex eo exemplo ius condere. Cic. pro Cecinna, Quod si aliter vos statuetis, videte ne hoc vos statuatis, qui viuus discesserit, ei vim nõ esse factam. Id est, si vos iudicaueritis vi nõ esse deiectum de possessione Cecinnã, quia armatis hominibus cessit, omnino hoc iudicasse videbimini, & hoc ius instituisse exẽplo prodito, ei vim non esse factã, qui vltimã vim experiri noluit cũ discrimine vitæ. Sequitur enim post hæc verba, Ne hoc omnibus in possessionũ controuersiis præscribatis, vt confligendũ sibi & armis decernendũ putent. Idem, Sin autẽ vim sine cæde, sine sanguine nullã esse intelligetis, statuetis homines possessionũ cupidiores quàm vitæ esse debere. Simile est, ac si dicas, Curia hoc aresto ius statuit antea inusitatum, id est, Exemplum iudicandi dedit omnibus iuridicis intra fines imperii sui. Idem alibi, Statuerũt Equites Romani eo iudicio improbum ciuem esse, qui, &c. Id est, Exemplari iudicio significarunt se improbum ciuem eum esse existimare, qui huiusmodi quippiam admitteret.

Quod more,& modo,& tempore, & loco factum eſt, fraudi eſſe non poteſt apud æquos iudices.

Quod reus de ſemetipſo interrogatus,de alio dixerit,id illi,de quo dictum eſt,nec noxæ,nec crimini eſſe debet.

Lege actum,vt peruerſè factum,à curia antiquatum eſt.Foréſes, Executio, vt cõtra moré facta,à curia improbata eſt.Peruerſi enim actus ſunt, qui male & inſcitè facti ſunt. Et Peruerſitas,eſt in rebus ineptè adminiſtratis & factis.Cic.1.Offic.Sed & ea quæ multũ ab humanitate diſcrepát, vt ſiquis in foro cantet aut in funere,aut ſiqua eſt alia magna peruerſitas,facilè apparent.

Executor ſententiæ vel areſti perperam agit,ſi cuius rei vltra præſcriptum verborum,diſceptatorem agit,vel diſceptationem ſuſcipit. Vulgo,Excedere terminos ſententiæ dicitur.

Non ſatis eſt iure eſſe præditum, niſi in ordinanda lite cauſam ſuam litigans iudicibus probauerit.Id eſt,niſi docuerit iudices de iure ſuo.

Res capitales,aut aliàs facinoroſæ,ad regiam aduocationem delatæ,ab ipſa proferri debent, de iiſque quæſtionem decernendam curare, nec amicitiæ aut neceſſitudini iura regia populariáque condonare,aut largiri ambitioſé.

Iudicium queribundum intendere ob rerum nouarum molitionem, aut Interdicto querulo experiri.Lingua forenſis dicit,pro Interdicto retinendæ poſſeſſionis agere.

Vindicem ſe cauſæ offerre,euentúmque iudicii præſtaturum, eſt Recipere in ſe cauſæ defenſionem.

Pro vniuerſo conuentu claſſium hoc ſtatutum eſt, vel Pro curiæ conſulto,ſic dici poteſt,vt olim Pro collegio pontificum dicebát. Liuius,Ampliàtam virginem,deinde abſolutam, pro collegii ſententia Pontifex maximus abſtinere ſacris iuſſit.

Actionem criminoſam intendere ob iniuriam aut vim illatam.

Introductis in curiam indicibus vel rei delatoribus, attributi duo è conſilio,qui omnia eorum dicta,interrogata,reſponſa ſecretò perſcriberent,rémque amplius inquirerent euocatis teſtibus & coactis. Id fit ferè in rebus nouis ad curiam delatis,quæ priuatam perſecutionem non habent, ſed tantùm actiones regias procurantium publicáſque.

Conſtituere aut delegare rei inquiſitores,Commiſſarios noſtri vocant.

Edictum in curia cõprobatum,& altercatorio die palàm à ſcriba recitatum, mox aſſurgente aduocatione regia,verbáque in eam ſentẽtiã faciente,Præſes conſurgẽs,tribunalíque(vt aſſolet)perambulato circulans, de conſilii ſentẽtia pronuntiauit, authorem edicti curiã factam eſſe, in margineq; diplomatis replicato ſolennia verba ſubſcriptum iri, Recitatũ, promulgatũ,in actíſque perſcriptum. Id eſt,in acta regeſtum. Interdum autem hoc additur, vt prouinciatim dimittatur eiuſdem edicti exẽpla, & palàm in iudiciis peruulgetur atque paſſim edatur. Cic. Iudicium deſcribi, diuidi paſſim & peruulgari,atq; edi P. Romano iuſſi:diuiſi toti Italiæ, diuiſi omnes in prouincias.

Prouinciã inquirendi ſibi depoſcere,vel rei quærendæ. Noſtri Petere vltro cõmiſſionem dicunt. Inſpectores etiam, enarratoréſque rerum iudicatarũ

executiones peregrè obeundas postulare solent, vt sibi attributas, & quasi desponsas, instituto curiæ, & iure à maioribus prodito. Quo tempore quasi libera legatione fungi censentur.

Ordinator litis, & causæ agitandæ architectus, is est Causidicus qui rem penitus cognouit: & cum consulto opus est, ad consilium referre solet id quod ambigitur, & late exponere.

Dissoluendo ære alieno curia hæreditatis patrimonium vænire vel hominis viuentis & decoctoris iubere solet. Quod dicunt, A curia ordinatum bona vacantia vendi.

Rationẽ cum aliquo contrahere, & Contractum multum æris alieni: verba sunt foro accommodata. Cic. pro Cluen. Cum eo nemo iam rationem, nemo rem vllam contrahebat. Id est, Nemo cum eo rem habere volebat, omnes commercium cum eo defugiebant propter improbitatem hominis.

Moribus, non legibus cognatio & gentiliras prædiorum inualuir. Hoc est, Ius redhibitoriæ actionis, gentilibus & cognatis, moribus indultum.

Et petitor & defensor idem de causa senriunt. Vulgò dicunt, Inter se intelligunt, id est Colludunt.

Status Reip. maximè rebus iudicatis continetur. Cic. Id est, Interest Reip. res iudicatas non rescindi.

Alienare à causa eum qui præest iudicio. Cic. Id est, Præsidẽ iniquum causæ reddere.

Implorare interdum oportet non tantum iudicis officium, legúmque & iuris præsidium, sed etiam sensus iudicum, intimásque cogitationes, vt cum litis instrumento, & apertis probationibus, adhibeant etiam in consilium argumenta è causa nata, & ea quæ similia veri sunt, & coniectura suggerit.

Supplicanti abscisse negare quod flagitat, vel Præcidere spem impetrandi quod postulat, est quod forensi sermone dicunt, Amplius non reuertatur. & vt prouerbialiter dicitur, Vasis vinarii epistomium abscindere, vel verutum.

Vbi iudex rem suam agi existimat, ibi æquus esse iudex vix potest. Forenses, Quando iudex similem causam fouet.

Delibata iurisdictio, est ab aliqua maiore abstracta. Vulgus forense, Eclipsatam appellat.

Scriptitando aut altercando, maledictum, aut dictum est aut responsum. Si responsum, fraudi esse non debet: si dictum, pœnale esse potest. Quintil. de ridiculis loquens, Malè etiam dicitur quod in plures conuenit. Vt si nationes totæ incessantur, aut ordines. Suprà autem dixerat, Nihil enim quod in lacessendo dici potest, non etiam in repercutiendo. Dicere pro Incessere seu Lacessere dixit, Repercutere pro Respondere, id est Respondendo dicere, & paria facere maledicendo. Cic. pro Cælio, Deinde vt ea in alterum non dicas, quæ cum tibi responsa sint, erubescas. Terent. in Eunucho, Tum siquis est qui dictum in se inclementius existimat esse, sic existimet, responsum nõ dictum esse. Responsum δ' ἀπολυτικῶς εἰρημένον. Dictum autem ὑπηργμένον dixit. Quod lacessentis est, id est τοῦ ὑπάρξαντος τῆς κακολογίας.

Causidici quidam turbidi vel immodici, non tam agere causas, quàm satagere videntur.

Nihil moror quominus prouocationis causa inducatur: à qua decedere paratus sum, si sine fraude liceat, ac sine dispendio. Forenses, Acquiescere non recuso sine emendâ & expensis.

Dicā scribere iniuriarū, & Formulam scribere, est Iniuriarū actionē intendere. Quintil. Colaphum (inquit) tibi ducā, & formulam scribā, quòd caput durum habeas. Forenses, Formare petitionē suam dicunt. Cic. Scribitur Heraclio dica. Primùm mirātur omnes improbitatē calumniæ. Idem, Aduenit dies, quo die sortiturum se dicas Syracusis dixerat: paratus ad hanc sortiendā dicam venerat. Hodie quasi sortiuntur causas prouocationum præsides maximi tribunalis, quando album & catalogum causarum faciendum curant, Rotulum appellantes, quasi volumen membranaceum. Terent. in Phorm. Si tu illam attigeris secus quàm dignum est liberam, dicā tibi impingam grandem. Id est, Iudicium libello grandi dictabo. Vocabulum est Græcum.

Translatiua exceptio, est quam Forenses vocant Allegationem incompetentiæ. licet multipliciter accipiatur hæc dictio, quam translationem vocāt. Cic. in Rhet. At cum causa ex eo pēdet, quòd non aut is agere videtur quem oportet, aut non cum eo quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, translatiua dicitur causæ constitutio: quia actio, translationis ac commutationis indigere videatur. Dicere igitur Latinè possis, Hic non caput actionis, sed translatio fori agitur. Id est, De iudice, non de iudicio quæstio est.

Cōfirmatio, infirmatióq́; sunt ea quæ Media à pragmaticis dicūtur & aduocatis. vt à petitore, cōfirmatio & firmamētū intētionis, est mediū petitionis, id est, ratio cōfirmans & continēs petitionis. A reo autē, est ratio confirmans depulsionē intētionis, quod Mediū defensionū vulgò dicitur. In eo enim articulo causæ positū est robur, & quasi fatū cōtrouersiæ: & id maximè est quod cadit in iudiciū, & à Græcis τὸ κρινόμενον dicitur. Licet rhetorici præceptores aliter his rebus vtātur, scrupulosam nomēclaturā partiū exquirētes, vt Quintilianus lib. 3. facit. Cic. in Rhet. Iudicatio est, quæ ex infirmatione & cōfirmatione nascitur controuersia. Vt in causa Orestis, Rectúmne fuerit ab Oreste matrē occidi, cū illa Orestis patrē occidisset. Idē, Firmamētum, est firmissima argumentatio defensoris, & aptissima ad iudicationem. Est autem iudicatio (inquit Quintilianus) propriè, de qua pronūtiatur. Vulgò dicimus, Super quo ius faciēdum est. Verum (inquit idem Quintilianus) hæc affectata subtilitas, circa nomina rerum ambitiose laborat. Verius igitur & breuius, qui statum & continens, id est τὸ συνέχον, & iudicationem idem esse censuerunt. Continens autem id esse, quo sublato lis esse non possit. Vt in illa Orestis causa suprà dicta, Continēs litis est, quòd accusator intendit parricidiū ab Oreste admissum: defensor pro firmamento defensionis refert, eo parricidio se vlcisci debuisse patris sui Agamemnonis cædem à Clytemnestra perpetratā. Horū si alterum probatū non fuerit, iam cōtrouersia non erit, non erit iudicatio.

Ratio recusationis, media defensionis. Cic. in Partit. Resistat oportet aliquo certo statu, aut inficiēdo, aut æquitate opponēda, & rationē subiiciat recusationis suæ. Et Recusare verbum. Idē, Sed distinguēdi gratia, rationē ap-

pellamus eam, quæ affertur à reo ad recusandum depellendi criminis causa. Quæ nisi esset, quod defenderet non haberet.

Summa causarum cognitio, est curiæ. Hoc est, Suprema iudicandi potestas. Quintil. Non debes apud prætorem fideicommissum, sed apud consules petere. Maior enim prætoria cognitione, summa est.

Enumerare, & Per enumeratioñe edere. Vulgo dicũt Per articulos, vel Articulatim præbere. Enumerationis exẽplũ est apud Ciceronẽ in Top. hoc modo, Si neq; censu, neq; vindicta, neq; testamẽto liber factus est, liber non est.

Qua de re agitur. Id est, quod inter partes controuersum est, & de quo ambigitur. Cic. in Rhet. Hoc maximè firmatur laude eorum qui iudicauere, similitudine eius rei qua de re agitur, ad eam rem qua de re iudicatum est.

Controuersum est argumẽtum (inquit Cicero in Rhet.) in quo ad dubium demõstrandum, dubia causa affertur. quod Litẽ lite resoluere Horatius dixit. Cic. pro Murena, iuris doctrinam non difficilem esse ostẽdere volens, vel nõ difficile esse iurisperitũ se ostendere, Quæ cõsuluntur (inquit) minimo periculo respondẽtur. Si enim id quod oportet responderis, idem videare respõdisse quod Seruius. Sin aliter, etiã controuersum ius nosse & tractare videare.

Liquidum nomen controuerso expungere velle iniquum est. Hoc est, Liquidum cum ambiguo compensare.

Certis in rebus iudicatis, rei cõtrouersæ & ĩpẽdiis cõtrouersiæ, accedit æstimatio quãti interfuit eius secundũ quẽ iudicatũ est, litem nullã fuisse. Forẽses, Damna & Interesse vocant. In qua specie victor scripto edere solet quãti, id est, Quod sua interfuit, cũ amplificationibus. Victus autẽ amplificationibus extenuationes rescribere: quod Per attenuationem respondere dicunt.

Certis diebus, eremodicia & commeatus iudiciales inclamitari solent. Defectus & congedia vocant.

Subitaria iuris executio, id est, Citra dilationem.

Præconio citatus, vulgo Per auctorizationem dicitur.

Exclusus exceptione vel præscriptione, id est Depulsus. Cic. Atq; in nostra quidẽ consuetudine multis de causis fit, vt rarius incidant translationes. Nam & prætoriis exceptionibus multæ excludũtur actiones: & ita ius ciuile habemus constitutum, vt causa cadat is, qui non quemadmodum oportet, egerit.

Suspiciones à Cicerone dicuntur quas iurisconsulti appellant Præsumptiones. & Causa suspiciosa est, in qua multæ sunt præsumptiones. vt pro Deiot. Atque hæc confingitis non modò non credibiliter, sed ne suspiciosè quidem. Id est, Prorsus absurdè & calumniosè. Idem pro Cluentio, Timor eius, perturbatio, suspensus incertúsque vultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea suspiciosa, hæc aperta & manifesta faciebant.

Ab instrumenti prolatione exclusus tempore. Lingua nostra Forclusum à productione dicit.

Non modo controuersia vel sententia curiæ, vel decisione litis dirempta, sed etiam omnes fibræ litium subnascentium elisæ aut stirpitus euulsæ.

Tertiæ vices altercãdi aut scribẽdi, quæ Replicationes dicũtur, institutæ sũt ad labefactandã rationẽ recusantis, quã Firmamẽtũ Cicero vocat. Huiusmo-

di enim vices referuntur,quia sine iis intētio stare nō posset. Ea autē quæ sic referuntur (inquit idem) Causarum continētia vocantur. Referre autē vbiq; pro Replicare dicere solet in iisdem Partitionibus: In iis autē causis, inquit, vbi aliquid rectè factum defendis, cū est facti subiecta ratio, sicut ab Opimio, Feci salutis Reip. causa: relatúmq; est, Ne sceleratissimum quidem ciuē sine iudicio iure vllo necare potuisti. oritur illa disceptatio, potuerítne rectè salutis Reip. causa ciuem euersorē ciuitatis indemnatū necare. Rationē autem & firmamētū vocar, quæ nos, Media defensionis. Rationū autē (inquit) & firmamentorū contentio adducit in angustiū disceptationē, quæ in coniectura nulla est. Nemo enim eius quod negat factū, rationē vllā solet reddere. Cōstituta verò disceptatio dicitur quod Forenses dicunt, Conuenit inter partes de facto. Idem, Disceptatio autē cum est constituta, propositū esse debet oratori, quo omnes argumētationes ex inueniēdi locis coniiciantur. Cōstituta etiā disceptatio in iuridiciali statu dicitur, cum certum est, & definitum inter partes, quid in controuersiam vocatum sit, & quid maximè litem faciat.

Perfugia causæ, vulgo Media vocantur, per quæ seruare se quis potest.

Obscurare, est tenebras obducere liti, & præsumptiones clariores narrando, vel aliàs, obscuras facere & extenuare. Cicero, Narratio autē actoris erit, gesti negotii suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori autem præteritis aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarūm erunt euentus, casúsque narrandi. Suspiciones (vt dictum est) præsumptas opiniones appellar.

Venditor qui in rei mancipatione ita cauerit, Huius rei autem nomine id demum præstabo, quod rem in ipsam contraxisse aut repromisisse cōperiar: auctoritatis nomine non tenebitur vltra id quod accepit ab emptore. Forenses dicunt, Qui de suis factis tantum & promissionibus obligatus est.

Adnotare reum ad ius pontificium remittendum. Hoc est, Ad episcopum suum è sententia consilii remittendus est. Plin. ad Traianum, Hos, quia ciues Romani erant, adnotaui in vrbem remittendos.

Dimittere reū, ab eodē dictū est, quod nūc dicūt, Aperire ei custodiæ fores.

Status ei condictus dies. Id est, Certus dies assignatus.

Eo die penes secundum præsidem fasces erant curiæ. Id est, Eo die curiam habuit, & vt nostri dicunt, eo die primus aberat.

Cedere legibus, & iurisdictionis imperio audientem esse. Hoc est, Parere imperatis & rebus iudicatis.

Remoræ forenses, Dilationes sunt aliæ super alias impetratæ.

In medio litis curriculo remorā admouere. Forēses Sistere cursum processus dicunt, vel Morari litē pleno cursu progredientē. Nam & remoras olim credebant ad inhibendū cursum causarū facere. Est enim piscis remora, quæ Græcè echeneis dicitur. De qua Plinius, Quā ob causam veneficiis amatoriis infamis est, & litiū ac iudiciorum mora. Quā lib. 32, remoram Latinè appellari dixit. Quē piscem (inquit) quidā remoram appellauere. Plaut. in Trinū. Remorámque faciunt rei publicæ & priuatæ. Id est, ἀνθολκὴν καὶ ἐποχὴν.

Rei conuicti ad perfugium infularum confugiunt. Infulæ enim insignia

ſunt flaminum & ſacerdotalia,& rei ipſi canonum præſidium implorant cõtra leges ciuiles. Infulæ autem minores,ſunt id ius, quod Tonſura dicitur. Maiores ſunt eorum qui Ordinibus præditi dicuntur. De reo igitur ſecundum infulas pronuntiare,eſt Noxæ ciuili reum eximere, & Animaduerſioni Pontificiæ permittere. Forenſes, Ad eccleſiam remittere dicunt. Infularum autem iure mulctati, vel mulctari, Latinè dici poſſunt, qui Tonſura priuati vulgò dicuntur. & Contra infulas ſecundum iura maleficiorum pronuntiare,eſt Iure Pótificio priuare,Infulari præſidio excludere. Contrà,Legibus ciuilibus eripere,& Pontificiis dedere. Iudicium ſanguinarium transferre ad iudicium incruentum. & Reus à iudicio ſanguinario ad incruẽtum tranſlatus.& Fori tranſlatio infularis.& Rei ipſi expoſcunt tranſlationem fori.

Tranſlatiua cauſæ conſtitutio,id eſt, diſceptatio ſuper tranſlatione fori.

Moris eſt in curia Feſcenninarum cauſarum actiones ad diem Hilariorum reiici.Id eſt,ad pridie Cineralium.

Conniuere ſeueriorem iuriſdictionem oportet, cum res aliqua nata eſt, cui ſummittere aliquatenus faſces iuſtitiæ,intereſt Reip.

Solennes ob cauſas cognitoribus cauſarum & patronis ac cauſidicis,qui ad dies ſtatos non adſunt litigatoribus, quorum cauſas cum ceperunt procurandas aut agendas,indulgeri ſolet vt dies diffundatur, vel cauſa comperendinetur,ne in fraudem deſerti vadimonii incidant. Vt ſi ſontico morbo laborent, ſi nuptui filiam eo die dederint, ſi ad officium vocati ſint, quod honeſte detrectare non potuerint.

Criminoſè actionem intendere.

Iuriscontrouerſia,abſolutè iuridicialis dicitur,in qua ius,non factum ambigitur. Inficialis autem eſt, in qua factum ambiguum eſt. Mixta eſt autem ea in qua facti controuerſia coniunctam habet iuris controuerſiam,vt ſæpenumero euenit.Interdum autem facti quæſtio non tam coniunctam habet, quàm implicitam iuris quæſtionem.Cic.2.Rhet.Negotialis conſtitutio eſt, quæ implicitam habet iuris controuerſiam in ipſo negotio. Id eſt, quæ ſine iuris diſceptatione explicari non poteſt. Idem,Abſolutè eſt iuridicialis,quæ in ſe non vt negotialis, implicitè & abſconditè, ſed patentius & expeditius recti & non recti quæſtionem continet.

Depactus dicitur à Cicerone,qui quouis modo lite deciſa ſe explicauit.

Litis æſtimationem ſcripta diſceptatione adaugere & extenuare. Noſtri dicunt,Declàrationem dare ſcriptó & attenuationem.

Proferre leges vel prudentũ reſponſa,vel ius moribus receptum, Quintilianus Allegare id appellat,ἀντὶ τοῦ δικαιολογεῖσθαι,vt iuriſconſulti.Cic.in Rhet. Deinde poſtulabit,vt legem,qua lege id fecerit,proferat.Idem pro Murena, Sic à me defenditur,vt eius nulla fraus,nulla auaritia,nulla perfidia, nullum petulans dictum proferatur.Et pro Flacco,Prætereo illa quæ prætermittenda non ſunt:nullum eius in priuatis rebus factum auarũ,nullã in re pecuniaria cõtentionẽ,nullã in re familiari ſordem poſſe proferri. Id eſt, Allegari,& palàm obiici,Græcorum more, qui προφέρειν ἐπὶ ὀνείδους dicunt,vt προφέρεις μοι πλεονεξίαν,ἢ δυσγένει.Sic ĩ illa nobili Antoniana,Quid prãdiorũ apparatus?quid

furiosam vinolentiam tuam proferam? Quintil. Nam tum dignitas litigatoris, tum infirmitas allegatur. Plin. Proculo, Adhibes preces, allegas exemplum. Id est, προτείνῃ, προβάλλῃ, προφέρῃς, προβάλλῃς δεῖγμα. Allegatio autem Ciceroni est intercessorum adhibitio, vt in Præt. vrb. Cum sibi ad istum omnes allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclusos videret. Id est, amicorum & deprecatorum submissiones. Idem, Dii immortales, quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnauit! Id est, à Dolabella amicorum ambitu & prehensationibus obtinuit.

Reliqua deinde addidit quæ assolēt. Vulgo dicimus, Reliqua sunt de stilo.

Lexe st, Paterfamiliâs vti super familia pecuniáque legauerit, ita ius esto. Cic. in Rhet. Id est, Quicquid statuerit de facultatibus suis in testamento, quicquid ex bonis suis legauerit, ratum esto.

In reo delato criminis vestigium nullum inuentum, iudicium nullum.

Applicare se ad aliquem, vt fundi acquisiti patronum, & fidem ei dare, & ab eo accipere. Releuare ab eo vulgo dicunt. Quia iacēre fundus clientelaris dicitur, quandiu in fide nullius est.

Vēditor ædiū, nō modo quæ recepit, præstare tenetur, sed etiam quæ natura fert & cōditio cōtractus. Cic. Nā cū ædes venderet, lumina vti tū erāt, ita recepit. Id est, Se ad præstandū obstrinxit. Quod Garātizare dicūt. Plancus Ciceroni, Omnia ei & petenti recepi, & vltrò pollicitus sū. Est enim Recipere idē quod Cauere. Sic accipitur in cap. Emptorē, in tract. de Act. empt. queadmodū recipitur vt nūmos vēditor accipiat, quāuis merx ad emptorē nō perueniat. Id est, Cauetur. Inde fit, vt Recipere pro Excipere vsurpetur. Plau. Posticulū hoc recepit cū ædes vēderet. Vnde Receptitius, ἐξαίρετος. Et receptitius seruus, de quo in Annotat. diximus. Receptitia autē actio antiqua, pro qua vtimur nūc Actione pecuniæ cōstitutæ, à recipiēdo dicebatur, id est, promittēdo.

Captionum forensium aucupes, & obreptionum artifices, Pragmatici versuti & fallaces dici possunt, in articulo improuidos & simplices opprimētes.

Dare eremodicium, est quod Græci διδόναι τὴν ἔρημον. Dare causam desertam. Forenses, Per contumaciam secundum præsentem pronuntiare.

Mores municipales. Id est, consuetudines præfecturarum.

Penitus in causam insinuare. Cic. in 2. de Orat. Vt in iis locis quos proponam paulò pòst, peruoluatur animus, & penitus in causam insinuet. Nostri, Fundum materiæ intelligere dicunt.

Scribere aduocati dicebantur, vt nunc dicuntur. Cic. ad Trebatium Iurisconsultum alludens ad vtrunque significatum, Quòd si scribere oblitus es, minus iam multi te aduocato causa cadent.

Composita iurisdictionis ratio, & recte atque ordine constituta. Vulgo Iustitiam bene ordinatam dicunt.

Iudex qui non cessit prouocationi, Attentasse vulgo dicitur.

Indiciis emētitis in crimen vocatus, vel in criminis inuidiam. Vulgo Aliquantum oneratus dicitur. Vel, Obiter nominatus inter conscios.

In iure alicui litigāti cauere dicūtur causidici, qui causa alicuius percognita, auctores sunt ei litis hoc vel illo modo exercēdæ, & syngrapharū vel acto-

rum iudicialium concipiendorum appunctamenta transire, hoc est, inire & transigere vocant, qui sunt contractus iudiciales. Cic. Nã in iure cauere, cõsilio iuuare, vehemẽter & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Plaut. Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges nouit. Inde Cautores sunt, qui consulti sunt in rebus forensibus. Idem, Nam ipse cautor captus est. Cic. pro Cecinna, Et quo mulieri esset res cautior, curauit vt in eo fundo dos collocaretur.

Conflictum litis detrectare, & Clausulam controuersiæ subterfugere dici possunt, quos dicimus Iungere nolle, id est, Pedem conferre, & quos subterfugiis vti dicunt Forenses. Cic. 7. Philip. Ignominia notandos censuerunt, qui militiam subterfugissent. Idem de Vlysse, Insimulant illum tragœdiæ, simulatione insaniæ militiam subterfugere voluisse.

In diẽm alium atq; aliũ rem proferre, Litem ducere, vt Bellũ ducere, Rem decernere nolle, Diẽ ex die ducere, quod & Diẽ de die ducere, vel proferre dicitur, Seriem dilationũ nectere, prolatare, frustrari, ludificari, Causas moræ alias atque alias comminisci, Ludibriis aliis super alia excogitatis litis curriculum morari, verba sunt accõmodata significandæ tergiuersatorũ improbitati. Hoc est, Τῶν ἀναστρεφομένων, vel potius τῶν ἀναδυομένων, ὧν φυγοδικούντων.

Repræsentata defensionis necessitas, est cum ex tempore respondere defensor cogitur: vt Repræsentata iudicia à Quintiliano dictum. Cic. Titio, Neque expectare debemus temporis medicinam, quam repræsentare ratione possumus. Curtius, Cœperat esse præceps ad repræsentãda supplicia. Sic moribus conuenit spectatissimi iudicis earum causarum iudicium repræsentare, quarum perspicuitas non sinit iuridiciali formula ipsas comperendinari, aut earum iudicium alio quouis modo in longiorem diem proferri.

Per infrequentiam consilii nihil agi eo die potuit, quod quidem attinet ad causas illustriores.

Quæstionem criminis aut iniuriæ postulare libello supplice dato. Liuius, Senatus tumultuose vocatus, tumultuosius consulitur, quæstionem postulantibus iis qui pulsati fuerant, decernente ferocissimo quoque, non sententiis magis, quàm clamore & strepitu.

Exoletæ seueritatis leges & constitutiones, quibus iam non iudicatur.

Summouere pro imperio obstrepentes actionibus causarum, apparitores curiæ solent. Id est, Præcipere vt longius recedant. Liuius, Consules nobilitásque ad impediendam legem consistunt. Summoueri Lectorius Tribunus iubet præter quàm qui suffragium ineant. adolescentes nobiles stabant nihil cedentes viatori. Tamen ex iis prehendi quosdam Lectorius iubet. Consul Appius negare ius esse Tribuno in quenquam, nisi plebeium: illum summouere pro imperio posse, more maiorum.

Oppidani iudices dici possunt ignobiles, & ii quos vulgo Subalternos dicunt, qui non in vrbibus maioribus sunt, sed in locis infrequentioribus. Cic. in Bruto, Sic appellat Oppidanum genus dicendi & inconditum, id est, non vrbanum, sed semirusticum.

Vniuersim curiæ consultum factum, non sigillatim sententiis dictis, sed vniuerse cunctis censentibus. Forenses Viam Spiritus Sancti dicunt. ἀθρόως,

quod vniuersè Cicero, non vniuersim dicere solet. Sic vniuersa curiæ sentẽtia absolutũ vel damnatũ reum dicere possis, quasi confusa omniũ voce. Et vniuersa testificatio est, cum deni testificantur, σύμπαντες, quod Turbatim dicunt Forenses. Cicero pro Sextio, Sed quoniam singulis criminibus cæteri responderunt, dicam de omni statu P. Sextii, vt in hac confusa atq; vniuersa defensione nihil prætermissum esse videatur. Curtius, Tria ferè stadia vniuersus fluit amnis. Id est, nõdum diuisus in plures alueos: ἀθρόος, σύμβας. Cic. in Diuinatione, Non enim singulos perferre sententias, sed vniuersos.

Obsoleti nominis nouationem ab hærede aut rei possessore exprimere, vel Instauratitium nomen exigere, vel A fundi vectigalis possessore cauere pẽsionis nouationem. Nunc, Nouum titulum exposcere dicunt.

Aculeata capita scripturæ reiicienda poscere. Id est, Contumeliosa & sugillantia.

Actoris causæ vel defensoris, auditores, vel consilium pœnituit. Id est, Nihili eius actio fuisse visa est. Sic sæpe victorem forensis victoriæ pœnitet. Et victoria pœnitẽda visa est. Id est, minime gratulanda. Curtius, Malo me fortunæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat. Cic. pro Plancio, Méque vehementer vitæ meæ pœniteret, si in mea familiaritate locus esset nemini nisi litigioso aut nocenti. Sic dicas, Me rei secundum me iudicatæ pœnitebit, nisi accedat litis æstimatio.

Informata iam causa, curriculũ suum iniit, & Ad medios iam actus argumentum litis adductum. Forenses dicunt, Processum formam suam cepisse.

Saluum ius referendæ eiusdem rei nomine quæstionis, ei ad quem res attinere videbitur. Saluus recursus contra quem iustum erit, à Forensibus dicitur. Vel sic, Exceptum in sententiæ verbis, vt is qui soluere iussus est, quos ius & æquum fuerit, eadem de re appellet. Vel, Vt eo nomine seruandi sui gratia experiatur, quícum iustum esse videbitur.

Venditor qui appellatus est auctoritatis præstandæ nomine, rei vendicatæ controuersiam ad leges suas reiiciendam, iure postulare non potest. Id est, Auctor rei quæ vendicatur, certare eius rei nomine in foro eius debet, vnde res ipsa petitur.

Reus qui diem vadimonii nõ obiit, intra dies legitimos præsto fuit ad eremodiciũ circũscribendũ. Hoc est, Ad obliterãdum defectum vel cõmeatum.

AEgre iam causæ succedere, & propè conclamatæ. Nunc, Surrogandum se offerre causæ iam propemodum perditæ.

Adimere, vel negare causæ comperẽdinatum. Id est, ex tempore disceptationem repræsentare. Est autem causæ cõperendinatus, in diem perendinum vel tertium reiectio. Cic. in prætura vrb. Adimo causæ comperẽdinatũ quod habet lex in se molestissimum: bis vt causa diducatur. Et itidem in Bruto.

Inquirendi in causæ iura prouincia huic vel illi attributa vel delegata, vt cum ascripto sibi vel allecto prouinciam obeat. Commissarium & Adiunctum vocant.

Cancellos supergredi curiæ, vel Repagulum supergredi causidici solent in exordiendis prouocationum causis.

Introuocare litigatores vt palàm interrogentur. Id eſt, Iubere intra tribunalis ſeptum ingredi.

Cum cauſarum ambiguitas repræſentare iudicium non ſinit, amplius pronuntiatur. Id eſt, Rem eſſe conſilii pronuntiatur, & ad perendini conſeſſus diſceptationem profertur.

Repagularii diſceptatores, commiſſarii ſunt, ad fores curiæ ius dicentes. Et ſententiæ eorum vel interfata, Acta repagularia vocantur.

Commemorare ſigillatim iura poſſeſſionum in codicillo inuentionis, vel Enumerare ſcriptitando. Articulare vocant.

Cuſtodiæ non criminis inſimulatæ, vel Pecuniæ damnati, Incarcerati ob ciuile debitum vocantur, quaſi addicti.

Paragraphis prænotare capita controuerſa. Vulgo Cruce notare. Potes & Decuſſare capita concertanda dicere.

Profligata iam cõtrouerſia, & penè ad clauſulam perducta. Id eſt, In valuis eſt ſententiæ.

Reus raſo vertice diminutus eſt, vel minutus. Id eſt, Raſi verticis iure priuatus, quam Tonſuram vocamus.

Sacroſancti capitis ius vſurpare. Forenſes, Adiuuare ſe clericatura.

Infularum iuris compos ſententia curiæ. Hoc eſt, Redditus ſuis, ac pontificiis legibus.

Reus vadatò vel ſatiſdatò cuſtodiæ ſuæ permiſſus. Elargitus vulgo dicitur.

Reus liberum commeatum adeptus eſt, nullis vadibus datis. Id eſt, Elargitus ſimpliciter.

Reus libero per vrbem commeatu retentus.

Exponere argumentum litis, & intentionis depulſioniſque ſummam inſpectores cauſæ ſolent, antequam copiæ ſacculares expromantur, & ex indicibus recenſeantur.

Eremodicium ſecundum appellatorem pronuntiatum, vulgo Defectus vocatur in cauſa prouocationis. Eremodicium ſecundum prouocatum datum, eſt commeatus. abire enim è iudicio licet ei, quaſi perperam appellata ſit curia. Vtroque autem nomine eremodicium ſecundum prouocatum datum, ſignificat vtrunque iam dictorum. Congedium & defectum appellant. vt, Si prouocatus in diem longiorem, impetrato diplomate diem breuiorem denuntiarit, quod Anticipare verbo Latino vocamus.

Edictũ ꝓmulgare capitalis ſanctionis. Id eſt, Quod minatur pœnã capitalẽ.

Contra prouocationem admiſſa, vulgo Attentata dicuntur.

Recuperatorium iudicium, ſentẽtia commiſſarii, vel ſubrecuperatorium. Id eſt, eius qui in locum recuperatoris abſentis ſuffectus eſt.

Quæ intentionibus & recuſationibus prætexuntur vel attexuntur, vulgo Qualitates vocantur. quæ primo conſtituenda ſunt: hoc eſt, inter petitorem & defenſorem comparanda, ita vt conueniant.

Perſonæ etiã dici poſſunt, quæ velut exordia ſunt intẽtionũ & depulſionũ.

Conditionem ferre luculentam, & Referre eandem cõditionem vel commodiorem, Facere oblationem vulgo vocant.

Ad recuperatorem repagularium damnaui hominem. Id eſt, A commiſſario pro foribus curiæ ſententiam obtinui.

Circulares cauſarum commentationes in exhedra aduocatorum. Id eſt, Conſultationes quæ fiunt apud Balaium.

Traductio rei ignominioſæ compertorum, vel Traductio damnatorum paradigmatica, vel Supplex & penè ſtigmatica traductorum per ora multitudinis damnatorum confeſſio, præeunte verba apparitore aut ſcriba. Emenda honorabilis dicitur.

Qui codicillos præfecturarum & magiſtratuum obtinuerunt, iurati prius in leges & conſtitutiones adigente præſide, magiſtratus ineunt.

Interturbatæ poſſeſſionis iniuriam demere. Verba ſunt interdicto retinendæ poſſeſſionis accommodata.

Prouocator commentariū querulum edere ſolet, in quo grauatim proſequitur ea quæ iniquè & perperā iudicata eſſe cōtēdit, ea præſertim quæ admonitione indigent, vt abdita & externa. Hoc eſt, τὰ μὴ ἐπιπολάζοντα ἐν τῇ δίκῃ. Cui reſcribere prouocatus poteſt, ſi ſibi viſum fuerit, æquitatémque rei iudicatæ tueri ac defendere. Grauamina vulgo vocantur.

Ea res conſenſu curiæ, vel de omnium ſententia diſcuſſa. Id eſt, Ad nihilum redacta, vt vulgo dicunt.

Summa imis ornamenta continuare, vel Summos imis honores, vel Magiſtratus, vel Gradus continuare. Per ſaltum promouere vulgus iuriſperitorum appellat.

Libello in curia ſubſcripto primus quiſque apparitorum rem quærere iuſſus eſt. Forenſes, Ad informandum commiſſus.

Facinoroſi rei, mutili, verberones, qui per compita antè vapulauerunt: vel, qui ſub verberibus per vicos vrbis acti ſunt. Vulgo, Vagabundi & Exauriculati vocantur.

Hæc quæſtio, vel hoc caput, totam abſorbet controuerſiam. Cic. pro Sextio, Ad tribunatum (quia ipſe ad ſeſe iandudum vocat, & quodammodo abſorbet orationem meam) contento ſtudio curſúque veniam. Vulgo dicunt, Tota ferme lis in eo ſita eſt, & iacet. Et Omnis agendi, ſcribendi, contendendi ratio in eo ferè defendendo conſumitur.

De ea re illo die nihil temerè decerni placuit, ad frequentiorē curiæ conſeſſum conſultatio dilata.

Delectis à curia diſceptatoribus permiſſum, vt quæ præſentis diſceptationis eſſent, in re præſenti ſtatuerent, vt è fide ſua eſſe cenſerent, atq; è dignitate curiæ: deinde curiæ ab ſe acta ſcripto renuntiarent. Id eſt, Data eſt eis nō nuda executio, ſed etiam cognitio cauſæ, & arbitrium eorum quæ in loco arbitranda eſſent, & vt actorum ab ſe verbalem proceſſum facerent.

Cauſam dedititiam auferre dici poteſt is, ſecundum quem iudicatum eſt aduerſario cedente, & damnari ſe conſentiente.

Alias ex aliis prolatandæ litis cauſas comminiſci, eſt Fruſtratorias dilationes petere.

Verū eſto (quod tamen ita à me poſitū velim, ne fraudi ſit confeſſio) ille ad

diem adesse ob vim maiorem nō potuit. Si affuisset, quid causæ dicturus fuit cur, &c. Vulgo dicunt, Citra tamen confessionem.

Reus interrogatus, dixit, si sibi fides daretur haud futurū noxæ indicium sui & criminis, rem manifestam facturum. Si sibi impunitas promittatur, vulgo dicitur.

Disceptator cognoscendæ causæ pro repagulo curiæ datus est, vt litem instructam ad curiam referret. Forenses, Datus est commissarius. Recuperatores autem propriè à Principe dantur, vt causas quasdam iudicent. Id est, Iudices partibus destinati vel assignati.

Dare solet Princeps disceptatores ad cōstituendā cōtrouersiam, & ad clausulam perducendā, non etiā ad dirimendā. Id est, vsq; ad sententiā exclusiue.

Ad inquirendum dati vel iudices, vel alio munere fungentes, vir virum legant, nisi inter partes de certo homine conuenerit. Id est, Commissarius adiunctum sibi deligat.

Aduocatio regia atrox in reum, vel in causam coorta est. Nunc, Graues conclusiones ceperunt, dicimus.

Perpetuæ causæ actiones in altercationes verterunt. Id est, Concitatiores verborum velitationes.

Sæpe iis qui aduersarium suū strenuè depulisse videntur, restat acrior cum aduocatione regia dimicatio.

Castra castris esse collata videntur in campo forensi, quando causa vtrinque suis copiis instructa, proximè discrimen accessit.

Verbis regiis & curiæ pro imperio agere apparitores solēt, deinde rē mandatam exequi. Id est, Curiæ mandata indicere, & cōmissionem suam exequi.

Titulum hæredis, vel legatarii præferre, vel Hæredem agere, Hæredis personam suscipere, Qualitatem sumere vocant.

E litibus lites serere, vt è bellis bella. E lite sata, nō litis fructum, sed litium vim metere. Est penitius in forēses controuersias insinuare & implicari, gliscentibus in dies dispendiis rei familiaris. Sæpe vnam litem eluctatus, statim in plures incurrit quasi manus forenses.

Fit decretum curiæ, vt néve ei qui imprudens fecisset, néve ei qui mandasset, fraudi esset, quod sine dolo malo admissum esset.

Interdū trāseunt in partes regii cognitores, sed defunctoria subscriptione, & quasi præuaricabūdè, non tam liti se offerentes, aut in causam incumbentes bona fide, quàm gratiā ineūtes eorū quos cōtra atroces surrexisse vidētur.

Implorare fidem aduocationis regiæ, Est ad subscribendū liti nominatim euocare.

Minor annis x x v, nec experiundi potens, nec recusandi, nisi auctorem habeat curatorem.

Consilium in hac causa visum est in studia ambitiosa diductum.

Turbulentum interdictum, & Actus turbulentus, vulgo Turbatio possessionis dicitur.

Causā iādiu intermortuā diplomate refocillare. Hoc est, Interruptā sarcire.

In sacerdotii possessionem perperam inuadere. Intrusos nunc dicunt.

Ob quædã secus admissa, curia abstinere iussi, Suspẽsi ab officio cõsiliarii.

Auctoratus litigãti aduocatus ad iudicium eius causæ adhiberi non debet. Nunc, De eius consilio esse, dicunt. Quidam etiam annuis auctoramentis partium eius facti.

Causidici in acta curiæ cõsultáq; quotãnis adigũtur, & in eius obseruãtiam.

Alicuius diei cõsultatum vel iudicium memoriæ eximere, Delere ex actis diurnis, ex Ephemeride curiæ.

Literis regis acceptis, in primum quenque diem supplicationes & obsecrationes decretæ curiali cultu solennique purpura.

Iniuriarum formulam intendere alicui, Agere cum eo iniuriarum.

Homo ingenio controuerso, vel natura controuersus. Cic. φιλόδικος.

Ineptiũt aduocati, qui nihil aut parũ ad rẽ pertinẽtia vel dicũt, vel scribunt.

Tutus & liber commeatus fide curiæ testibus datus, In fidem curiæ recepti testes. Id est, Ad saluum conductum accepti.

Summoti ab hasta vel auctione, hi sunt qui inter licentes non admittũtur.

Testes diabolares, egẽtes, sine lare, sine cẽsu, atq; etiam sine sensu cõmuni.

Cuius nec ope, nec opera, nec consilio in cæde perpetranda quicquam factum est. Id est, Insontis.

Caducum ius in sacerdotio impetrare, vel Iure caduci sacerdotium impetrare, Deuolutum vulgo vocatur. Caduci iure magistratum inire, Est commissum magistratum inire, quod Forefactum lingua vernacula vocat.

Transcriptus litigator, Id est, Subrogatus, Suffectus. Et ius transcriptum.

E symbolis consultorum causa conflata. Id est, Vnusquisque consultorum ad causam commentandam aduocatorum, symbolum suum attulit ad intentionem vel defensionem informandam.

Iudicum iustitiæque fidem multi nequicquam implorant, quod multis in iudiciis obsurduit: in plerisque verò iandiu obaudit, nisi libelli supplices comites habeant ferentarios.

Vltima experiri iudicii certum est. Id est, Non ante sententiam quiescam.

Præses rem sibi compertam ad collegium retulit: deinde solenni more ordinéque ad disquisitionem vocauit, vel sententias sigillatim rogauit.

Homo accisis in foro facultatibus, tamen litium in dies fit amantior.

Aduocatus ob noxam ære quasi castrensi dirutus est. Id est, Postulare, aut causas defensitare vetitus.

Frequentibus libellis curiæ obstrepere, Libellis aures curiæ fatigare. Petere, poscere, postulare, suppliciter flagitare operam curiæ vacuam.

Armamentarium causarum, exhedra scribarum, vnde interdum exprompt æ temerè copiæ, aut sublectæ, ad incitos litigantes redigunt, atque etiam ad egestatem, nullo pro magnitudine calamitatis condolescente. Quæ si in priuata inspectorum custodia interciderint, è chirographis ipsorum experiri non licet, aut certè nemo dat actionem.

Syngrapha iudicialis litis decretoria, à cognitoribus conflata. Id est, Conuentum de iure audiendo per procuratores dictatum. Repetita iterum syngrapha litis decretoria, ad audiendum ius vt antea.

Causarum actiones acroamaticæ. Id est, foribus occlusis, & summota corona forensi.

Altercatorii dies atque oratorii terni in hebdomade, & terni Consiliares, in magno quidem tribunali. Nam in exhedris cæterarum clasſium omnes dies critici sunt. Possunt & dies Disceptatorii pro Altercatoriis dici, & Consultorii & Commentatorii pro Consiliaribus.

Causa alterutrius partis siderata, penè exanimata, exanguis, semianimis, & conclamata dici potest, cum præiudicatum quippiam est secundum alteram summæ rei decretorium.

Causa anceps inter iuridicialem atque inficialem. Id est, vtriusque status æque particeps.

Huius causæ cardo & firmamentum in lubrico & præcipiti vertitur.

Præcidere postulandi, aut postulata impetrādi spem ei in futurum. Id est, Planè supplicantem repellere, & in posterū supplicatione semel interdicere.

Omnia officia causidici in causam cōstiterunt, sed ius interdū ambiguum, ab occasione laborat: agendæ causæ die consessus mihi non satis æquus erat.

Nuncupatiuæ prouocationes dici possunt, quas Verbales dicimus. Differunt ab iis quæ litium scriptarum vocantur.

Iis quibus obrepsit eremodicii dies, subsidii spes in libellis supplicibus, aut in diplomatibus.

Profligata iam litis agitatio, & ad iudicationem vergens dici potest, cum porrò progredi disceptando non licet.

Litem disceptationum ambage perplexam, aut personarum varietate permixtam, recte atque ordine constituere. Regulare partes vulgo dicitur.

Temerè & inconsultè controuersiæ fundamenta iacere, solennis clausula per orationis in causa prouocatoria. Vulgo Cōclusio dicitur. Et prouocatoris quidem in hæc ferè verba concepta, Proinde perperam iudicatum esse, vel lege actum, vel iniquè decretum, vel concessum, vel negatum cōtendo: itáque pronuntiari postulo: eóque nomine, quòd mea interfuit id factum non esse, cum litis sumptibus peto. Qui autē vel iudicatum, vel lege actum, vel decretum defendit, omnia è diametro contraria nuncupat.

Tantum expensum liti ferre, & Tantum accepti damni referre, significat Litis sumptibus, & litis æstimationi imputare. Hoc est, tanti sumptus litis, & tanti id quod interest, æstimare in ratione sumptuum damníque ineunda.

Sacerdos introuocatus per infulas suas adactus est. Id est, per ordines suos adiuratus est.

Rei capitalis compertus, infulati capitis priuilegio seruatus est.

Eiusce rei ergô vindicias tibi intendo, vel Vindiciarum iudicio te prouoco, Iudicium tibi dicto. Forenses, Constituo me queribundum in specie rerum nouarum & mancipii.

Actum habebo quod meo mandato egerit. Id est, ratum habebo. Vel sic, Per me protinus actum erit, quod mea causa ille egerit.

Auctoritatis præstandæ repromisſio in rem planè concepta. Forenses, Euictionem simpliciter auctor promisit.

Auctorem se laudatum,ita vindicem futurũ promisit, vt repromissionem non in rem,sed in personam suam cõceperit. Id est,quatenus per se tantum factum erit,quominus rem liberam habere quæsitori liceat vel emptori.

Libello citare. Forenses, Citatione libellata, libellari vadimonio in ius vocare : vt solent facere qui redhibitorium iudicium intendere instituerunt. Plaut. Vbi tu es,qui me libello venerio citasti?

Dictare iudicium,actoris est: & Accipere,rei. Paul. Item si serui redhibendi nomine emptor iudiciũ accepit,vel ipse eius nomine dictauit, cauendum ex vtraque parte erit. Id est,Si serui nomine noxali actione appellatus est.

Rem præsentem demonstrare, In rem præsentem condicere diem. Veutam facere vulgus Forensium vocat. Ex iure manu consertum vocare dicebant,ibique vindicare,vt in Annotationibus docuimus.

Adespota bona verbo Græco dicũtur, quæ assertorẽ nõ habẽt, quæ Vacãtia vulgo dicũtur,& Espacca, quibus distrahendis aut curãdis curator dari solet.

Iuris ciuilis scientia persecutionum cautionũmque præceptiones tenet. Cic.in Oratore perfecto.

Imaginarii emptores pignorum,quæ iudiciali auctoritate capta sunt,nexu obligantur.

Sacerdotem exaugurare, Resecrare, Infulis exuere, est quod iura pontificia Degradare appellant.

Consponsores data vltro citróque fide sponsoria, vterque pro vtroque repromiserunt. Vulgo Alter pro altero respondens, & vterque in solidum, & inter se cauerunt.

Tentata paulisper intercessio : sed cũ intercessioni non cederetur,ad prouocationis auxilium deuentum est.

Res nõ iure scripto, aut ex verbis legis, sed translatitia interpretatione iudicata est. Id est,quod per extensionem legis dicunt.

Intra annum quàm vis facta est,aut interturbata possessio,interdicto agere licet,aut contendere.

Irrefutatæ literæ & auctoritates,irreprehensi testes,testimonia non eleuata,plena fide præditi sunt in iudiciis,integrámque fidem faciunt.

Cognitores mandato priuatim accepto,aliena fide iurant,id est,eorũ quorum causæ cognitores sunt. Forensi verbo,In animã mandãtis iurare dicitur.

Fide aliena pecuniam sumere,Est alio spondente.vt Cic.pro Flacco,Pecuniam sumpsit mutuam à Sextio Scola primario viro,qui tum credidit P.Veratii lectissimi hominis fide. Sic enim legendum,non fidei, hoc est sponsione. Vnde Fideiussor,qui sua fide pecuniam dari iubet. Plaut. Mea quidem id promitto fide sanum futurum. Cicero in Epist. Et siquid satisdandum erit amplius eo nomine non peti,cures vt satisdetur fide mea. Qua locutione vsus est Iuriscons.in c. Creditur,sub titulo Mandati.

Qui ad inquirendum allegati sunt peregrè, subscriptorem sibi cooptant de sententia litigantium,qui & Optio verbo antiquo dici potest.

Homo sine lare,sine fide,errabundus,præconio in ius citandus est.

Officia põtificia,& iudices canonici manuũ iniectionem nec in homines,

nec in prædia,extra cancellos suos habent, nisi ciuilium magistratuum manus rogent.Quod Brachium seculare vocitant.

Lis lite implicata est, quando gemina controuersia commodè diduci non potest. Forenses, Quando duæ instantiæ vnà & pariter iudicandæ sunt, quia disiungi nequeunt.

Ab hasta,vel auctione proscripta fundus quæsitus. Ctidas lingua Palatina vocat.

Difficultas rei iudicandæ,vel infrequentia consilii diem diffudit.Id est,Iudicium in posterum diem dilatum.

Tacita fiducia & subdola pactione rei alienatio facta. Id est, colludentibus emptore & venditore.

Ob noxam criminosam in iudicium euocatus,Ob secus admissa atroci vadimonio citatus,id est personaliter.Præsto adesse iussus.

Nomina eorum edere quibus denuntiatum est testimonium, Dare parti nomina testium in quorum opinionem & fidem inquirat ad refutandum.

Homo extremi certaminis fugitâs,cum vnum,alterum, tertium mensem variis artibus prolatando,fato causæ exemisset,ad extremum omnibus fugitiuorum subsidiis consumptis,solennem ansam summæ & vltimæ tergiuersationis nactus est,non minus inanem,quàm impudentem.Dicere cœpit res ad se nouas delatas eiusmodi, quæ litem haud dubiè decreturæ sint. Deindè quæ assolent in diplomatibus litium instauratiuis.Tacitus,Eximi vnũ diem supremo certamini orabant.

Eximere autẽ cunctationes huiusmodi,& strophas præcidere iudiciales ita demum posis,si tergiuersanti cõminus instes,& omnium dierum atque horarum sis exactor acer & appellator.Liuius, Quæ res senatui omnem cunctationẽ Macedonici belli exemit. Quod apud Iustinũ iisdem verbis relatũ est. Plin.lib.8.epist.Cũctationẽ nec res ipsa desiderat,& temporis ratio præcidit.

Acerba litigantium contentio gliscens in dies simultate coniuncta,omne commercium componendarum litium ac decidendarum diremit.

Lex sacratæ sanctionis, est quæ à Iurisperitis Lata sententia dicitur. Liuius lib.7.ab Vrbe cond.Lex quoq; sacrata militaris lata est, ne cuius militis scripti nomen,nisi ipso volente,deleretur.Additúmque legi,ne quis, vbi tribunus militum fuisset,postea ordinum ductor esset.Festus,Sacratæ leges dicebantur, quibus sancitum erat, vt siquis aduersus eas fecisset, sacer alicui deorum esset cũ familia pecuniáque. Idem Liu. Sub idem ferme tempus Ligures lege sacrata, coacto exercitu, noctu castra Proconsulis aggresi sunt. Cic. pro Sextio,Fretus sanctitate tribunatus, cum non modò contra vim & ferrum,sed etiam contra verba atque intercessionẽ legibus sacratis se armatum putaret,venit in templum Castoris.Idem in eadem,Cum & sacris legibus & XII. tabulis sancitum esset,néve priuilegium irrogari, néve de capite ciuis, nisi comitiis centuriatis rogari.Hic Sacris dixit,pro Sacratis.Sic Sacræ cõstitutiones vocatæ(vt opinor) à Marcello iuriscõsulto,sub titulo,Quæ sententiæ sine appel. Rescind.& sub titulo De appel. recipiendis vel non.

Magistratu in triennium summotus, Suspensus ab officio vulgo dicitur.

Recognitio rei iudicatæ, Reuisio vulgo vocatur.

Bellaria iudicum, Vulgo Species dicuntur. A Græcis Dicasticon dicitur. Arist. in 6. Politicon, τοῦτο δὲ φέρει μὲν καὶ πρὸς τὸ μὴ φοβεῖσθαι τοὺς πλουσίους τὰς δαπάνας, ἐὰν μὲν οἱ εὔποροι μὴ λαμβάνωσι τὸ δικαστικόν, οἱ δ᾽ ἄποροι. φέρει δὲ καὶ πρὸς τὸ κρίνεσθαι τὰς δίκας πολὺ βέλτιον. vtitur & Aristoph. Sic autem dicitur, vt τὸ θεωρικόν, τὸ ἐκκλησιαστικόν, vt inquit Pollux.

Excitare aduocationem regiam forensi sermone, Postulare subscriptionem cognitoris regii & aduocatorum fisci.

Reus & index prius diuersi interrogandi, deinde componendi sunt, & altrinsecus coràm sistendi.

Trahere in crimē reus dicitur eos, quos consciētiæ reos aut suspectos facit.

In arestorum executione sæpe tot ac tantæ controuersiæ existunt, vt rediuiuæ lites esse magis, quàm litis primæ arcessiones videantur, aut soboles.

Controuersiæ instrumentum percensere, & deinde de iudicio in cōsilium ire. Id est, Sententias consiliarios rogare.

Qui arbitri testamentarii, & supremorum mandatorū procuratores facti sunt à testatore, eos anno secūdum mortem proximo mancipiū habere hæreditariæ pecuniæ, moribus receptum est. Saisitos de mobilibus vulgo dicūt.

Præses eum qui postulabat eremodiciū sibi dari præsente ac tacente diuersæ partis cognitore, quòd se habere defendendæ causæ mandatū inficiaretur, aut litē à partibus decisam esse diceret, vti formulæ beneficio iussit: quod sine captione fiat eius, qui decidisse litē perhibeatur. Expletum auferre vocāt.

Inuenti sunt consiliarii qui ob noxam admissam è collegio circunscripti sunt. Id est, magistratu mulctati. Cicero pro Milone, Senatus credo prætorem illum circunscripsisset. Et ad Atticum, lib. 7, Si fortè tribunus plebis Senatum impediens, aut populum incitans, notatus, aut senatusconsulto circunscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit. Circunscriptum dicit eum, cui imperium & honor abrogata sunt. Sublatum autem, quouis modo de medio sublatum. Tracta à Græcis locutio, qui περιγράφειν dicunt delere, obliterare, expungere, vt in Commentariis Græcis scripsimus.

Primæ, secundæ, & tertiæ contradictiones, vulgo Responsa & Additiones secundæ & tertiæ dicuntur.

Mandata curiæ quoquo versus dimissa, Commissiones vulgo dicuntur. Mandata etiam curiæ iis dantur, qui ad inquirendum mittuntur, ad instruendas causas à coniectura statum sortitas.

Aliud est dilationes legitimas dare & modicè tēperatas, atq; ad causam accōmodatè, quod cōposita seueritas iurisdictionis facit: aliud largiri, & supramodū indulgere improbè poscētibus, quod dissoluta iurisdictio solet plerūq; gratiæ aucupandæ studiosior cū alieno dispēdio, quàm sui vnicuiq; reddēdi.

Translatitio iure sacerdotium petere, quod & Caducum dicitur: vulgo autem Deuolutum.

Ad vtēdū fruēdúmq; iure quæsito admitti, Est in possessionē plenā mitti.

Aduocati quidam scriptum tantum faciunt, vel scriptionibus operā dant, & causis consultandis. Quidam prætereà causas agūt industriè, & altercātur.

Nonnulli altercatores illustres actorésque, nō perinde primas tenēr in cæteris functionibus artis. Sunt qui clari actores aliquádiu cum laborē citò grauantur vt molestum, & nihilo secius industriam suā foro probant in scriptu & cōmentatione causarum, & responsitationibus magnopere compēdiosis.

Qui scriptiones factitāt, prout causæ constitutæ sunt, vel iuridicialiter, vel inficialiter, aut intēdentis formulā sequūtur, aut cōmonefactoriā, aut cōmemorabūdè scriptitāt, id quod in scriptura fit ampliore, argumentóq; fusiore.

Litium vacuitas in quibusdam foris, parum est iucunda circunforaneæ multitudini, quæ subsidiū vitæ non habet, nec animi oblectamenta, in tranquillitate ciuili.

Desiderium suum scripto proferre, Est libellum porrigere. In tractatu de officio Procons.

Causa omnibus iuris præsidiis, magnis auctoritatibus cumulata. Id est, Causa longe superior.

Certis criminibus astringitur hæreditas. Id est, Pœna hæret hæreditati, vt (verbi gratia) in crimine læsæ maiestatis, & repetundarum, & aliis, quorum pœna non ad hæredes, sed ad hæreditatem transit. Sic autem hæreditas pœnæ criminum astringitur, & quasi ob noxam datur, vt olim astringi sacris lege x 11. tabularum dicebatur. Id quod Cicero in 2. de Legibus, docet tribus modis fieri. Hodie autem Hæreditas sacris astricta dici potest, quādo testator annua pia legauit, vel anniuersarias precationes, aut calēdarias, rémque sacram faciendam mandauit, pensitationémque eam ob causam in hæreditatem suam legauit. Sic enim alligata est sacris hæreditas.

Eodem loco res est. Id est in eadē causa est, eadémque conditione. Cicero.

Legem angustam dilatare, hoc est, Ad alias species extendere. Contrà, Legem moribus dilatatam, constitutione coangustare. Ex Cicerone. Hoc est, Legem sensim amplificatam, circunscriptiorem facere. Quam autem Extēsionem dicunt, idem Cicero pro Murena, Prorogationem legis vocat.

Prorogare legē, & Prorogare legi, Latinè dici potest. Lactāt. lib. 6, Huic legi nec prorogari quicquā fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Verba sunt Ciceronis in lib. de Rep. vbi tamen nō prorogari, sed Propagari legitur. Sūt ergo Legis prorogationes, quæ Extēsiones dicūtur. Et Species prorogādæ, vel legi prorogatæ, sunt Casus extēsionis dicti.

Grassari in possessionem, & In possessionem non ingressus, sed grassatus, Intrusus vulgo dicitur. Liuius lib. 6. ab Vrbe cond. Nobiles homines in possessionem agri publici grassari. Tacitus, Ciuilis dolo grassandum ratus. Id est, Euadendum quo proposuerat.

Iudices libenter proferunt iusto lōgius fines imperii ac iurisdictionis suæ.

Excriptum collatum & recognitum Cicero dixit, quod Duplum collationatum lingua vernacula vocat.

Constituta iuris dicendi seueritas. Id est, Confirmata & stabilita auctoritas iudiciariæ potestatis. Cui opponitur Labefactata & Dissoluta.

Fractum ac debilitatum iustitiæ nomen, iurisdictionis summæ auctoritate & imperio, quasi firmo adminiculo sustētari debet, & in gradū reponi. Alio-

qui conniuens seueritas ad facinora impotentioris insolentiæ, labes est, & ruina iuris & æquitatis, omnia secum trahens.

Arestorum exemplari seueritate excitatur quoquouersus robur iurisdictionis quæ iacebat & languebat.

Aduocatio quædam togata, & quædam armata, moribus, iam commodior est, Languentibus legibus de vi publica latis.

Digna res aut causa occurrit in quam omnes nerui seueritatis & cõstantiæ iudicialis ab vniuersa curia cõtẽdãtur, quãdo hoc vel iudicio, vel curiæ cõsulto statuitur, an indoles priscæ curiæ stirpes adhuc habeat, an fũditus ĩterierit.

In iudice seueritas, fides, integritas, religio valere debent.

Frequens delectúmque consiliũ ad eam causam diiudicãdam coactum est.

Ex quo homines meminerunt, id aliter non factum est. Tempus vsus huiusmodi memoriam excedit. Post hominum memoriam ita semper obseruatum est. Possessio antiquior hominum memoria.

Ecquod iudicium Romæ tam dissolutum, tam perditũ, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te vlla salus seruare posset? Cic.

Sponsione aduersarium lacessere, ni testes ita dicerent testimonium, vel ni in hæc verba concepta esset stipulatio, aut ea esset conceptio contractæ rei. Forensi sermone dicitur, Ius sumere paratus sum per dicta testium, vel depositionem testium. Hoc est, Hanc sero tibi conditionem, vt ius causæ, eorum constet fide, qui in re præsenti affuerunt. Cic. Quid cũ palam Syracusis se audiente, maximo conuentu, Rubrius Apronium spõsione lacessiuit, ni Apronius dictitaret te sibi in decumis esse socium? Est autem huiusmodi verborum intellectus, vt is qui sponsione lacessit, sponsione mulctetur, nisi quod contendit esse factum, tandem compertũ fuerit. Dicere igitur possis, In hæc verba spõsionem facere paratus sum, ni, & reliqua. Idem Cic. Institit, oppressit, non remisit: in hæc verba facta est spõsio. Id est, Ita vrgere hominem cœpit, vt ad sponsionem faciendam coegerit his verbis.

Homo rerum forensium imperitus, & insolens litium agitãdarum, in cancellos curiæ temerè se coniecit, id est, Inconsultè se implicuit curiali controuersia. vel, Hos sibi cancellos necessitatis circũdedit. vt Cic. pro Quintio, Etenim rem facilius totã accipietis, si hæc memineritis, & me facile vestra existimatione reuocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circundedi. id est, Si ex eo præscripto probandæ rei pedẽ referre coner, quod mihi ipse præscripsi. Idem in Frumen. Satísne vobis prætori improbo circũdati cãcelli videtur in sua prouincia, imò verò in sua sella ac tribunali? Id est, Satísne in angustum necessitatis hoc iudicio redactus videtur à me? Sic, Iudiciales cancellos sibi circundat is, qui causæ suæ cardinem in eo temerè ponit, cuius probatio difficilis est: vel in aliquo iuris articulo, qui inter iuriscõsultos valde ambigitur. Cui enim licet in causa agitãda latè expatiari, & multiplici præsidio iuris vti, & tamen vel intẽtionis suæ copias & robur, vel defensionis subsidia & firmamẽta, circunscriptius quàm opus est concludit & astringit, is cancellis necessitatis circũseptus, inferiorẽ fortasse causam è superiore facit.

Id decretũ vel curiæ consultũ è dignitate consilii centenarii fuit omnium

opinione. vel E' dignitate atq; existimatione curiæ parum fuisse visum est, si obnoxiè forte factum est, aut iudicatum.

Reus copiose absolutus, à paucis condemnatus est. Cic. Id est, à longe pluribus absolutus est.

Iudicantium quidam causis non hominibus æqui: quidam in alteram partem propensiores: quidam iniqui & à causa auersi: quidam iusto æquiores.

Antiquiorem diem falsò literis subscribere, vulgo Antidatare dicitur. Hoc est, Diem anticipare. Cic. ad Q. fratrem, Quòd antiquior dies in tuis fuisset ascripta literis, quàm in Cæsaris. Iulianus & Vlpianus iurisconsulti Repetitam diem appellant, quasi retrorsus ementitam. Cui falso Prolata dies opponitur, vt Vlpianus locutus est: vt, Editio prolato die facta.

Enucleatè litis argumentum enarrare, & ad consilium referre. De litis inspectore, qui Relator vocatur, dici potest.

Litis instrumentum sigillatim percensere, & Breuiario complecti, quod Extractum pro excerpto nunc vocant. Is etiam Expositor litis, & Enucleator controuersiæ Latinè dici potest, omnia quæ vtrinque prolata ad iudiciū fuerunt, ad indices partium recognoscens, quæ Inuentoria vocantur, & literarum auctoritates perpendens. Cui saccularias copias, id est, causarum instrumentum explicanti, custodes duo altrinsecus apponere moris est, nequid secus admittatur. Euangelistas appellant.

Causis instructis interdū & propediem in consilium mittendis obnuntiationes fiunt consilii diremptrices. Vt siquid acciderit quamobrem iudicium sustinendum sit. Si diploma obnuntiator interdictúmque regium attulerit. Euocationes vulgo vocantur: hoc est, causarum codicillares translationes.

Causidicus frigens, Frigidus, Infans, Parum acer aut strenuus dici potest, qui languide causam agit. Cic. Accusatoribus frigidissimis vtitur Gabinius (id est, in accusatores frigidos incidit) absolutus est. omnino nihil accusatore Lentulo infantius. Infantia causidicorum opponitur Facundiæ.

Maiorum causarum quidam actores delecti sunt, quidam aduocati & subscriptores, qui causam agenti adsunt quasi astipulatores.

Postridie Martinalium, aut post tertium diem cōmitti solēt actiones causarū & altercationes, siquidem dies perendinus in diē tribunalitiū incurrit.

Curiæ decretorū abrogatio, legis impunitatis Promulgatio existimatur.

Curia Areopagi instar eo die fuit. Cicero, Senatus ἀρήοπαγος. Nihil constantius, nihil seuerius, nihil fortius.

Cum id à curia decretum est aut iudicatum, non satis est animaduersum quo res pertinere posset, & deinceps in eius qui primus sentētiam dixit, sententiam pedibus ab iis iudicibus itum est, quibus defungi eo die satis erat. Cic. Cum id in senatu actum est, neque animaduersum est ad quos res pertineret, & raptim in eam sententiam pedarii concurrerunt.

Nulla est auctoris captio, si emptor ante denuntiationem condemnatus est. Id est, Nihil refert venditoris.

Solenne est curiæ cuiusdā collegarū funere indicto, pomeridianum iustitium obseruare funeris frequentandi gratia: & matutino postridie, ante ho-

ram consilium dimittere quàm assolet, eiusdem officii causa.

Compitalitii verberones, & Mastigiæ auribus diminuti. Vulgo Fustigati & Exauriculati vocantur.

Iudices codicillares cum in curiæ collegium cooptandi sunt, sacramento rogãtur, & in leges regias constitutionésq; adigũtur. Id est, iureiurãdo interrogantur, ecquid ambitu nummario codicillos obtinuerint. Cicero ad Atticum, lib. 9, Nos autem in libris habemus, non modò consules à prætore, sed ne prætores quidem creari ius esse. idque factum esse nusquam. Consules, eò non esse ius, quòd maius imperium à minori rogari non sit ius. Prætores autem, cum ita rogentur, vt collegæ consulibus sint, quorum est maius imperium. Quintil. lib. 12, Qui velut sacramento rogati, vel superstitione obstricti, nefas esse putant à suscepta semel persuasione discedere.

Conditione lata non vsus est. Id est, Conditionem non accepit.

Consponsores Ciceroni sunt Correi promittendi, vel vnà fideiubentes.

Proferre auctionis diem, vel Proferre auctionem, Est in diem longiorem pignorum venditionem reiicere.

Ab actuario describere, vel Descriptum ab actis auferre. Forenses Per manus graphiarii accipere dicunt.

De quæstionibus reorum nobilium in Primanorum classe in consilium ire sanctionibus cautum est. Id est, In maxima camera eos iudicari necesse, nisi si ea lege diplomate regio soluti sint. Cicero, Dixit iudicem operam sibi dare constituisse: eo die, quo de Sextio nostro, lege Pompeia in consilium iri necesse erat. Scis enim, illos dies iudiciorum, præstitutos fuisse.

Captiunculas forenses pertimescere, non timidi est hominis, sed prudentis, quæ & Oppresiunculæ dici possunt, cum simplices litigatores à versutis opprimuntur in articulis causarum non quibusuis, sed ad summam causæ pertinentibus, & quasi cardinalibus.

Magna in hoc articulo iactura iuris facta. Cic. Cum tanta sit nobis iactura iuris facta. Antea enim dixerat, Cum tantum de nostro iure decesserimus. Est igitur volentis iacturam iuris facere, vt solent liberaliores litigatores.

Religiosè, lites de rebus magnis sunt instituẽdæ, & summa cum cautione in iudicium deducendæ, quãdo earum exitus ad diẽ, vel potius ad annũ non respondent, nedum aut ad hominum expectationẽ, aut ad responsa prudentum, auctoritatésque consultorum. Est enim litium natura aliquantum affinis aleari, etiam si auspiciis iustitiæ regi creditur. cuius munus est, vnicuique statuere, quid sui, quid alieni habeat, quid iure, quid iniuria possideat.

Lis impedita, perplexa, & sinuosa, non cuiuis inspectori attribuenda. Contrà, Lis expedita & explicata delectu enucleatoris non eget. Sic Causa lucida & perspicua opponitur Obscuræ & caliginosæ.

Causæ quædã laborant opinionibus præsumptis, & iudiciis anticipatis, quæ Præsumptiones à Iurisconsultis vocantur, vt à Græcis προλήψεις. hoc est, Præsumptæ suspiciones. Quædã etiã causæ adminiculis nixæ sunt anticipatarum opinionum, id est, præsumptionibus subleuantur. Sunt & Præiudicia quædam iuris, Iudiciáque iuris anticipata, quæ Præsumptiones iuris vocantur.

Causa iudicis in lite agitur, quãdo sua vice commoueri ideo videtur, quod eodem de iure apud alium iudicem ambigit: quæ causa haud dubiè idonea est ad eum reiiciendum.

Moribus receptum est, & iuri & æquitati consentaneum, vt impetratorum à principe codicillorum inspectio curiæ sit, & cognitoris regii intercessio, & ne aliter auctor fiat curia, & promulganda perscribendáque decernát, quàm si è Repub. esse, è dignitatéque indulgentiæ regiæ videantur.

Quædam sunt quæ mandari à principe non possunt, quia abstrahi vel abiungi à persona regali nequeunt. Id est, delegari.

Rem tantum delibari tum oportuit, non etiam pertractari. Id est, non vtile erat penitus argumentum rei enarrari in eo quod tunc agebatur.

Quædam argumenta aut adminicula, turba valent quæ diducta, momenti quidem illa crebri, sed leuissimi instar habent. Id est, quæ sigillatim posita, animos non impellunt, vniuersè autem coniecta, permouent: & vt vulgò dicunt, Quæ non prosunt singula, multa iuuant.

Quando de finibus mota est controuersia, E' iure manu consertum vocát.

Accersito pictore, controuersorum finium facies in tabula habitúsque ita deliniatur, vt inter partes cõueniat rectè assimilatam esse. Hæc tabula iudicii tempore in cõsilium prolata, iudices in rem præsentem perducere existimatur. Figuram loci vocant concordi partium sententia factam.

In rem præsentem iri decretum est, locíque controuersi fines picta tabula in iudicium proferri.

Inepta & ambagiosa litis actio, à gemino (vt dicitur) ouo repetita, in summum frigus euasit. Id est, in offensionem cõsilii incidit. vel Tumultuosa altercatio in frigentem catastrophen desiit. Id est, plausu nullo excepta est.

Actionem compositam ac disertam cum corona plausu, tum verò consilium assensu prosecutum est.

Causidicorum actiones curiæ iudicium mox excepit, quo iudicio & iudicis sententia vnde prouocatum erat, & quæ ab ea manauerant, circunscripta fuerunt. Id est, ad nihilum redacta.

Pro nihilo ducendum, & loco nullo numerandum quod actum erat censere. Sermone forensi, Respectum non habere.

Exquisitam iuris interpretationem, & limatam iuris subtilitatem æquo & bono posthabere, instituti est curiæ.

Vsurpare commemorationẽ consuetudinis non scriptæ, edicto principali vetitũ est, in iis quidẽ certè prouinciis, in quibus perscriptæ regali mandato consuetudines fuerũt. Id est, Citare aliam præter perscriptas cõsuetudinem.

Pœnariæ prouocationes sunt in prouinciis, quæ moribus potius, quàm iure scripto censentur. Ab aliis autem prouinciis prouocantibus impunitas est plerunque ab arestis curiæ.

Extat auctoritas curiæ ea de re vna & altera insignis memoriæ, Forẽsi sermone, Aresta data in simili casu vocantur. Cicero, His de rebus pridie quàm hæc scripsi, senatus auctoritas grauissima intercessit. Cui cũ Cato & Caninius intercessissent, tamẽ est perscripta. Intercedere auctoritatẽ priore loco did. ii.

xit,quod Interuenire areſtum vulgo dicunt.Sic alibi ad Lentulum, Nullum meum minimum dictum, non modò factum, pro Cæſare interceſsit, quod ille non illuſtri gratia exceperit.Sic & alibi vſus eſt.

Eſt inuenire nonnunquam auctoritates curiæ eadem de re inter ſe è diametro oppoſitas,nedum diſsimiles aut diſcrepantes aliquantulum.

Mancipio & nexu dominus eſt,qui Proprietarius dicitur:& cum eo diſtinguitur,qui vſus & fructus dominus eſt.Cic.Quòd Attici noſtri proprium eſſe te dicis mancipio & nexu,meum autem vſu & fructu, contentus iſto ſum. Verba ſunt Ciceronis ad eũ qui Ciceroni ſcripſerat, Sum χρήσει μὲν tuus,κτήσει δὲ Attici noſtti.

Noua edicta figere,& antiqua refigere.Id eſt,Abrogare.

Quintilianus de altercatione loquens,Iudices vel præſidentes magiſtratus frequenter appellandi ſunt,vt loquendi vices ſeruentur. Id eſt, vt improbos & obturbatores compeſcant.

Idem Quinrilianus, Eſt autem duplex eius diſceptationis conditio, quòd aut intentio aut præſcriptio habet controuerſiam.Id eſt,Litem facit,vt alibi dixit,Intentionem appellans id quod Forenſes Principale vocant.

Lites & controuerſias ſerere dicuntur ii, qui incitatores ſunt litium, hoc eſt ſatores.Liuius,Cum illis adeſſet idem qui litis erat ſator:nec certamen iuris,ſed vim quæri appareret.

Quæſtio dicebatur,quam nunc Proceſſum criminalem Forum vocat.Cic. pro Cluent. Vis illa fuit,& vt ſæpe iam dixi, ruina quædam atque tempeſtas, & quiduis potius quàm iudicium atque diſceptatio aut quæſtio.

Actiones cauſarũ ciuiliũ & altercationes,tribunalitiæ claſsi attributæ ſunt: cauſarum autẽ quæ criminoſè intenduntur,in Tholo agitantur, quam Tornellam vulgo vocant. Itaque altercationes quædam Tholares ſunt,quædam Primarii auditorii.Duobus autẽ iuſtitii curialis menſibus, ſolenne eſt,conſilium certorum iudicum & delectorũ, in Tholum coire ad cuſtodias recognoſcendas & iudicandas:quibus iudiciis curia veluti feriata eſſe cẽſetur, ſed paucorũ numero defungitur.Hi autẽ à Tholo denominantur, quandiu munete illo funguntur. Illic autem quæſtionibus præeſſe bini præſides ſolent.

In poſſeſsione collocare.Cic.pro Poſſeſſorem facere.

Suis tabulis compertus criminis vel conuictus. Hoc eſt, Suis regeſtis conuictus,ſuis calendariis.Cic.in Verrem, An tuis tabulis ſolis cauſam te dicturum putaſti?Id eſt,tuis domeſticis rationibus.

Quæ iudices pontificii decernunt,iudicant,pronuntiant de rebus non ſui fori, etiamſi ad tertiam deinceps & gradatim ſententiam peruenerit eorum cognitio, vt ſi reali actione, ſi decimarum in fide regia aut regiorum poſitarum nomine, apud ſe diſceptari paſsi ſint: omnia vt irrita, infecta, vitioſa, merito moribus eſſe cenſentur.

Proſcripta atque edicta die euocatus,Per affixa vulgò dicunt.

Forenſes præcones,vulgo Audientiarii vocantur.

Eremodiciũ præconio forenſi inclamatũ,& pronũtiatum, nõdum tamen ſolenni formula iudicatum:aut ſi iudicatum,nondum etiã petitori ex ephe-

meride addictum, vulgo Deliberatum in manus partis dicunt, quasi adhuc re quodammodo integra.

Omnia iura pretio exæquare, flagitiosi est iudicis: & Pecunia delectum causarum discriménque tollere. Ex Cicerone.

Mandare iurisdictionem diligentissimè, & summa cum animaduersione hominúmque exploratione, non modo muneris est principalis, sed etiam magistratuum, qui obire per se munia iudicandi non possunt.

Ab intercedente, à prouocante rem auferre, vel nomen exigere ius esto, si sententia aresto geminata est. Quod tamen absque captione prouocatoris fiat. Post factum enim iudicatum, certandi de prouocatione ius erit denuo, vel ius integrum erit.

Apparitores assignare Parthenonibus aut aliis cœnobiis, qui regio diplomate in tutelam præfectis prouinciarum dati sunt. Custodiam custodiētem appellant. Cic. in Verrem, Hoc quoque attendite, apparitores à prætore assignatos decumanum habuisse, hoc est qui aratores cogerent ad decumas soluēdas, eósque in ius ad prætorem vel ad recuperatores vocarent.

In primis videndum est, quæ in verba recuperatores dati sint. id enim maxime refert ad vim rei iudicatæ perpendendam, ne vt sutor vltra crepidam, sic delegatus vltra mandata quicquam pro potestate.

Causa multis ac magnis auctoritatibus nititur. Id est, documentis authenticis instructa est, vel magnarū auctoritatum fide. Cicero pro Sextio, De cōsulibus loquor, quorum fide Respub. niti debuit. Id est, ἐστήρικται. Quintil. Nō subest vera vis, nec penitus immissis radicibus nititur. βέβηκεν. Cic. Vtrum factum negabis? quî potes? an vt tanta auctoritate literarum, tot testibus conuincâre? Dicas igitur, literas consignatas auctoritatésque proferre, monumenta & perscriptiones fidei ratæ & locupletis. Literas & titulos vocant.

Mea hæreditatis petitio certo testamento nititur, tua cognatione nixa est non admodum probabili. Idem. Hic testamēto, ille proximitate nititur, ἰσχυρίζε(ται), ἐπερείδεται. Simile est, In summo iure, ego æquo & bono nitor, δικαιολογοῦμαι. Sermo forensis Fundari dicit. Subniti autem non tam niti, quàm τεθαῤῥηκέναι & insolescere significat, aut cum fastidio cōfidere, vt quidā iuris sui fiducia feroces, aut præiudicio liticulæ exordialis animo erecti, ad lites decidendas autem accōmodare fastidiosè grauantur. τῇ ἑαυτῶν δίκῃ ὑπερθαρροῦντες. Liuius, Enimuero indignum ratus Marcellus, se, qui Annibalem subnixum victoria Cannensi, ab Nola repulisset, his terra marique victis hostibus cedere, &c. Cicero de Orat. Qui eius artis fiducia, quasi difficillima sit, subnixi ambulant. ἀπηγκωνισμένοι. Translatio est à gestu eorum qui brachio in normam flexo ambulant. Plautus, Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriosé. Alibi, Quis hic ansatus ambulat. σοβαρῶς βαδίζει.

De loco superiore aliquid dicere aut decernere, & pro imperio ac potestate. Hoc est, In qualitate iudicis, vt vulgo loquuntur.

Multi rei delati, sed de paucis supplicium sumptum.

Regalibus verbis & curiæ quippiam edicere vel vetare, vel imperium inhibere. Sermo forensis, A rege & curia impetrare, vel interdicere.

Iustitium militari iure vel legatorum impetrare. Literas status vocant.

Aduocati ad rē quæ agitur, non recte pertinentia circuncidunto, & ad cardinē causæ protinus accedūto. Verba sunt præsidis ad causidicos exordientes.

Nego in ea re quæ nūc agitur, quippiā vel opera, vel ope mea, vel mandato meo factum esse, vel cōsilio. Vulgo, Nec confortū, nec auxiliū dedisse dicūt.

Stipulatus est sibi, posteris, hæredi, eíve ad quē res ab eo pertinebit. Forens. Sibi, hæredibus, & causam à se habituris.

Citare, In ius vocare. Plaut. Vbi tu es, qui me libello venerio citasti? ecce me sisto, ades contrá. Vulgo dicunt, Fac petitionem tuam.

Cic. Proferam testes, proferam legatos, excitabo laudatores. Ad hoc iudicium summos homines deprecatores huius periculi missos videtis. Laudatores Cicero vocat, qui Purgatores à iuris canonici cōditoribus dicuntur. Et quod Purgare se septima manu dicunt. Latinè dici potest, Cum septimo laudatore ad causam dicendam venire. Numerus tamen legitimus laudatorum olim erat denarius, vt ex eodem nouimus. Sic enim in Verrem scribit act. vltima, Primum vt in iudiciis qui decem laudatores dare nō potest, melius est ei nullum dare, quàm illum legitimum numerum non explere.

Reus callidus & versutus ad inopiā consilii redactus, & iamiam deprehēdēdus, fraudis rimā mirè reperit, diúque fugitiuus vix reprehēdi potuit. Quod vbi factum est, nō leui vsura versuram se fecisse iudicialem sensit. Vulgo dicunt, Magno illi fuga stetit propter litis impendia & vlteriores accessiones.

Excitare cognitorem fisci, vel subscriptores, qui in eādem causam descendant & incumbant: Implorare adiunctionem, excitare deprecatorem, vel intercessorem, qui personam publicam in speciem induat, & iudicio iam parato moram afferat: qui deprecetur ne ea in re diiudicanda, quæ priuatam speciem præferat, quippiam statuatur publicè ad exemplum pertinens.

Comprobare diploma, Interinare sermone vernaculo dicitur. δοκιμάζειν. Ferè autem diplomata in iudicium prolatā, nō antè comprobantur à iudicibus pro potestate, quàm impetratores ipsi diplomatum argumēta iudicibus approbauerūt, vel (vt Cicero loqui solet) probauerūt. Hoc est, Probabilia esse docuerunt. hoc est, iuri & æquitati cōsentanea, nec ementita expositione rei impetrata. Est enim Probabile, δοκιμαστὸν & δόκιμον, quod certum & legitimum modum habet, nō exuperātem rationem. Cicero in Partitionibus, Probabile autem est genus orationis, si nō minus est comptum & expolitū, si est auctoritas & pódus in verbis, si sentētiæ vel graues, vel aptæ moribus hominū. Idem in Verrem, Non enim vereor, ne hoc officium meum P. Seruio iudici non probem. Id est, Nō vereor, ne ille improbet quod facio. Et pro Ligario, Qua in legatione & ciuibus & sociis ita se probauit, vt decedēs Cōsidius prouincia, satisfacere hominibus non posset, si quenquā alium prouinciæ præfecisset. Hoc Valerius Approbare vocat. vt lib. 6, Lex enim (inquit) tātum tibi oculos meos præfiniuit, quibus formā tuā approbes, & placere desideres. Verba sunt mariti ad vxorem. Et de Pithag. lib. 8, Opulētissimis vrbibus effectus suorum studiorū approbauit. Potes etiam dicere, Edicto promulgādo curia auctorē se subscribendam censuit. Vel ei rei statuendæ, aut decernēdæ ex

diplomate regio,conceſſus curiæ fundus fuit.Curia decretum ſuum rei ſanciendæ vel conſtituendæ interpoſuit.Verificare vocant ſermone forenſi.

De iure ambiguo ac difficili iudicium conſtitutum eſt,id eſt, Controuerſia eſt iuris parum certi inter peritos.Cic. pro Corn. Simul & vos non ignorantes Iudices admonebo , quo de iure iudicium hoc conſtitutum ſit , de eo nunquam eſſe dubitatum.De iure mutandæ ciuitatis loquens.

In cauſis iudicãdis,præſertim maioribus & paradigmaticis,æqui & boni momenta cum iure ſummo expendere,non cuiuſuis eſt ius dicẽtis, etiã in prouincia ſua maximi, ſed ſummæ tantũ diſceptationis, & prouocatione ſuperioris:qualis eſt curiæ noſtræ iuriſdictio,quæ ſecundũ principẽ, minimè obnoxiam & propemodum liberam habet iuris & æquitatis interpretationem.

Res mancipi ſunt,quæ ita alienari poſſunt, vt mancipio dentur , & earum auctoritas præſtetur , quod Garentizare Forenſis ſermo vocat. Quæ autem huiuſmodi cõmercium natura ſua non habent , nec mancipi ſunt ſermone priſco.Cic.pro Murena,Quòd ſi in rebus repetendis quæ mãcipi ſunt, is periculũ iudicii præſtare debet,qui ſe nexu obligauit,profecto, &c. Huiuſmodi ſunt ſacerdotia,& magiſtratuum munera atque honores.

Quando te in iure conſpicio,hoc tibi denuntio, vel Hanc tibi conditionẽ fero.Ac ſi dicas, Non mihi te in ius vocato opus eſt, cum in iure nunc adſis. Verba ſunt priſcæ formulæ,vt auctor eſt Cicero in oratione pro Murena.

Cauſæ interdum diplomate ex iis locis, in quibus nulla præſto eſt , nec in promptu eſſe poteſt aduocatio,transferuntur ad fora conſultis frequentata, ne cauſis quaſi clientulis ſua deſint patrocinia.

Præpoſtero ordine interdum reorum patroni præcipites priore loco cauſam dicere aggrediuntur.Id eſt,Actori vel inſimulatori anteuertere.

Reus defenditur iuſtam ob cauſam id feciſſe , cuius inſimulatur . Hoc eſt, Allegat id pro defenſione ſua.

Cauſam meam arbitris permittere non recuſo.Id eſt,Iudices tibi cauſæ fero.Cic.Primùm quæro, nunquid cauſam tuam Senatui permittas, quod facit Cæſar?Id eſt,Nunquid ſtare vis Senatus iudicio?

Areſtorum exordia & præfationes , vel perſonæ exordiales, vulgo Qualitates vocantur.Vocantur & Præſcriptiones.Cic.Metello, Iam illud Senatuſconſultum quod eo die factum eſt , ea præſcriptione eſt , vt dum id extabit, officium meum in te obſcurum eſſe non poſsit.

Edicere verbo forenſi,eſt Præceptum facere, προκηρύττειν, διατάττειν. Ci.in Vatiniũ, Quæro edixeritne Mẽmius prætor ex lege Licinia,vt adeſſet die x x x. Edicere,Edicto vetare. Idẽ de Reditu ſuo , Vt quominus occultè veſtrũ malum gemeretis,nihil diceret:ne apertè incõmoda patriæ lugeretis, ediceret. Apparitores igitur verbis curiæ edicunt,id eſt, decreta curiæ denuntiant vel imperioſa,vel interdictoria. Et Edicta dies,eſt decreto præfinita.Idẽ in Ver. Vendere cœpit neq; proſcripta, neque edicta die. Edicunt pro imperio ſibi mãdato executores,aut pro iuriſdictione ſibi mãdata recuperatores.Hoc eſt, pro poteſtate ſibi edictis aut mandatis data. Edicit prætor,vnde Edicta prætorum, διαγράμματα, προκηρύγματα. Edicere,eſt progrãmate ſtatuere,& pro-

mulgare. vt Philip. sexta, Tumultū decerni, iustitium edici censeo. Id est, Publicè propositis libellis significare. Plin. in Paneg. Itaque non tā pro tua gloria, quàm pro vtilitate communi; edicto subiecisti quid in vtrunque vestrum esset impēsum. assuescat imperator calculū cū imperio ponere. Sic exeat, sic redeat, tanquā rationē redditurus, edicat quid absumpserit. Id est, Publicè testetur, & notum faciat. Cic. in Pisonē, Edicere est ausus cum illo suo pari, vt Senatus ad vestitum rediret. Et in Frumen. Legémque his rebus, quam videretur, edicerent. Id est, Proscriptione legem exponerent, legē proscriberent.

Dictio sententiæ, ἀπόφασις. Cic. in Rhet. Iudiciale genus habet in se dictionem sententiæ. Id est, Censendi officium. Sic Dictio testimonii. Terent.

Perfugia forensia sunt cōmenta detrectantium legitimam disceptandi rationē. Et perfugia intercludere, est huiusmodi rimas fugitiuorū obstruere. Quanquam & perfugia quædā sunt legitima, id est legibus concessa. Cic. pro Cælio, Perfugiis nō vtor ætatis, cōcessa omnibus iura dimitto. Id est, Nō excuso ætatem, non vtor ætatis patrocinio, quod tamen omnibus cōmune est. Idem in Verr. Num tibi intercludere videor perfugiū fortunæ? Id est, Obstare quominus ætatis excusatione vtaris? Dicere igitur possis, Si tibi cū improbo litigatore, cū athleta veteratore forense certamen sit ineundū: quæ nunc est licentia litigantiū, nō antè ad catastrophen fabulæ forensis euades, quàm omnes ærūnas prolatationū, omnes frustrationum molestias, omnia tergiuersationū excluseris perfugia, omnia causificationum cōmenta exhauseris.

Perfugium delibati nouacula verticis Tonsura vulgò dicitur.

Non iudicio atque disceptatione expugnare ac vincere quod contendas, sed vi, armis, oppressione auferre.

Præscriptio pro Præscripto & modificatione in foro dicta, quæ & ipsa dictio est Latina. Cic. pro Cælio, Vincat aliquādo cupiditas rationē, dū modo in hoc genere præscriptio moderatióq; teneatur. προσδιορισμός Græcè dicitur. Ponitur & pro præscripto quod transgredi nō licet. vt in Acad. Hāc normā, hanc regulam, hanc præscriptionem naturæ, à qua qui aberrauerit, eū nunquam in vita quid sequatur habiturum. ταύτην τῆς φύσεως ὑπογραφήν. Huiusmodi sunt præscriptiones arestorū quasi exēplaria iuridicis præscripta, curiæ quasi obnoxiis, vel discipulis, quos sēsui seruire vltimæ iurisdictionis oportet

Et nomina & æs alienum æquo iure ad hæredes transeunt, vulgo Debita actiua & passiua nominant.

Constituere locum & tempus inquisitores partibus solent, quo testimonium denuntietur testibus.

Custodiæ facinorosæ in carcere palatino arctius compingi solent, & quasi è vinculis causam dicere. Quæ ob noxas leuioreis aut ob nexū impactæ sunt in carcerem, licentius asseruantur: vt quibus in pratensi ambulatione spatiari diurnis horis licet.

Legum ac iurisdictionis tutela cum salute Reip. nodo Gordii cōiuncta est.

Homo litium metuens descendere in causam diu cunctatus est, etsi suam rem agi non contemnenda ex parte non ignoraret. Id est, Nomen in consortium litis dare.

Quæ nuncupata verbo in rebus contrahendis & distrahendis & pronunciata sunt, ea rectè præstanda sunt. Id est, Quæ expresse cauta sunt & promissa. Cic. in offic. Igitur iudex ita pronuntiauit, venditor cum in vendendo eam rem sciisset, & non pronuntiasset, emptori damnum præstare oportet. Quia contractus bonæ fidei (inquit) poscebat vt emptori vitium ædium venditor nominatim diceret, quod tamen ipse tacuit, iudex ita pronuntiauit. Idem, Nam cum ex XII. tabulis satis esset ea præstari quæ essent lingua nuncupata: quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret: à iurisconsultis etiam reticentiæ pœna constituta est.

Hic articulus, causæ fatum secum trahit. In hoc articulo, causæ summa periclitatur. Huius articuli iudicatio litis summam decernet. Qui in hoc articulo lapsus erit, causa cadet. Sermone forensi dicunt, Hoc punctum importat causæ lucrum. Vt eremodicia quædam litium sunt decretoria, ob quã causam grauatè à iudicibus decernuntur.

In hac causa reus non re magis quàm opinione periclitatur: quod fit in iudiciis infamantibus. In hac controuersia non de pecunia tantum, sed etiam de existimatione sua dimicant, vt nonnunquam euenit, vt victum ignominia vnà cum damno excipiat.

Res omnis ita acta, sic tractata atque transacta est, vt nihil non auspiciis curiæ factum sit. Id est, Auctoritate curiæ res administrata.

Attributa vel nuncupata aresti executio homini legis actionum callentissimo. Id est, Prudenti & exercitato executori. Attributa instructæ litis inspectio inspectori perspicaci, & facundo litium enarratori, qui cõmentaria causarum conficere scitè didicit. Id est, Extractus facere, vt vulgo vocant.

Causæ instructæ & iudiciũ iam manẽtes, apud officium scribarũ proferri à litigantibus solent. Moris est autẽ, vt decuriarũ principes, id est classium ductores, qui bini in singulis esse debẽt, delecto die in vnũ coeant, ibíque causas ex sacculorũ epigrãmatibus recenseãt. Tum earum descriptionẽ decuriatim prius, deinde viritim faciãt. Id fit alternis ferè mẽsibus pro causarũ numero, aut tertio quoque mense. Describere causas in classes, atq; in singulos inspectores, dici potest. Id est, Diuisim attribuere. Cic. in Philip. Quorũ bona quãtacũque erant, statim suis comitibus compotoribúsque descripsit. Idem pro Sextio, Cuius negotii publici cogitari, optari, fingíque ratio potuit, quæ non esset attributa atque descripta? Sic in Catil. Descriptas & distributas partes vrbis ad incendia dixit. Conscribere pro eodẽ ab ipso dici solet. Vt pro Planc. Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione deuincta, seueritatẽ Senatus excitauerunt. Hæc profer, huc incumbe Laterensis, hæc doce, decuriasse Plancium, conscripsisse, pronuntiasse, diuisisse, sequestrem fuisse. Idem, Tu doce sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse. Sic Plutarchus Græcè, τὴν λεύκωμον μὲν διέγραψε χώρας τῆς αἰχμαλώτου, καὶ δωρεὰς ἄλλας ὡς ἐβούλετο.

Agnatæ liticulæ vel subnatæ, ἐπιγινόμεναι, appendices sunt, & veluti soboles matricis controuersiæ. Incidentia vocantur in foro.

Causidici audentiores cum prouocationũ iudicium repræsentandũ ex formulari constitutione contendunt, reclamãte aduersario, & extẽporalem esse

firmabo ac docebo. Id est, Eorum testimonio qui adhuc meminerunt.

Iure id ciuili & Pontificio perscriptum. Hoc est, Vtroque iure id scriptum est. Cic. Quanquam hoc si minus iure ciuili perscriptum est, lege tamen naturæ, communi iure gentium sancitum est, vt nihil mortales à diis immortalibus vsu capere possint.

Accipere iudicium & subire paratus siquis secum experiatur. Id est, Non recusabit iudicium, Paratus est ad defendendum.

Petere dicendi locum, vel agendæ causæ locum & potestatem. Cic. Id est, Postulare audientiam.

Edictum est palàm regia & curiæ auctoritate. Foreñsi sermone, Præceptum est ex parte regis.

Arbitrium, Actio, Iudicium, à Cicerone interdum pro eodem dicuntur. Vnde Arbitrium tutelæ & pro socio. Quanquam ipse in oratione pro Roscio ita scribat, Aliud est iudicium, aliud est arbitrium: Iudicium est pecuniæ certæ, Arbitrium incertæ. Ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus: Ad arbitrium hoc animo adimus, vt neq; nihil, neque tantum quantum postulauimus, consequamur. Sed de hoc satis in Commentariis Græcæ linguæ diximus.

Diploma vel edictum regium recitatum, pronuntiatum, perscriptum. Pro eo quod curiali sermone, Lecta, Publicata, Registrata.

Soli principi vt legibus soluto, licet suo stare iudicio, nec de consilii sententia iudicare: etsi id facere non solitus est. Vidimus enim eum in curia post omnium sententias disquisitas, priuato iure, id est censentis, differentem, & tamen in partis longè maioris sententiam, frequẽtissimæ curiæ consultum concipientem.

Libidinosæ sententiæ sunt, quæ pro libidine censentium feruntur: quæ nec certi definitiq; iuris ratione temperatæ sunt, nec exemplorum vetustatem, nec literarum fidem, monumentorúmque auctoritatem secutæ sunt.

Instauratiuum iudicium, & instauratitium dici potest, quæ Reuisio vulgo dicitur. Vt cum minoris ætatis patrocinio is qui condemnatus est, aut maiore aliqua causa ad instaurandam controuersiam ab integro admittitur.

Actio interiit, quæ Tempore perempta esse dicitur.

Nego id ius fuisse, verba esse possunt prouocatoris. Post expositam enim rei iudicatæ aut decretæ, aut lege actæ iniuriam, in hanc sententiam actionis suæ epilogum prouocatores claudere solent, Itaque id nec ius, nec æquum fuisse aio: iniuriáque vel iudicatum vel decretum vel lege actum contendo: prouocatoriámque clausulam in hæc verba concipio.

Emẽtiri curiæ auctoritatẽ, est Aresta falso citare. Ex Cicerone ꝓ Domo sua.

Hic reus aliquando lege publici iudicii interrogatus est. Forensi sermone, Aliàs in carcerẽ coniectus est propter suspicionem criminis, & oneratus est crimine capitali. Cic. pro Domo sua, Quis me vnquã vlla lege interrogauit? quis postulauit? quis diẽ dixit? Significat se indicta causa damnatũ esse. Quod nunc, Sine forma processus aiunt. sequitur enim, In me, cui dies dicta nõ est, qui reus nõ fui, qui nũquã sum à tribun opl. citatus, dãnati pœna esse potuit?

Recitare deserta vadimonia vel iudicia, Appellare defectus, Forẽses vocãt.

Postridie Martinalium causidici & cognitores in verba curiæ quotannis adiguntur, quorum quidem nomina recitata sunt.

Senatus centenarius causas iudicando ius statuere censetur. Hoc est, eius aresta habent vim legis intra fines ditionis suæ. Cic. pro Domo sua, Ius igitur statuetis esse, cuiuscunque vestrum sedes, aras, focos, deos penates subiectos esse libidini tribunitiæ? Id est voluntati temerariæ. Et rursus, Videte iudices quid statuatis in mea causa de omnium fortunis. Dicitur & Ius constituere. Idẽ pro Cluent. Nunc quid agatur Acci, & quid abs te iuris cõstituatur, vide.

Adhibitis quos adhiberi æquum est, Denuntiato iis quibus denuntiari ius est. Vulgo Vocatis vocandis dicunt.

Id poscit arbitrium bonæ fidei, id est actio.

In primis à capite periculum propulsandum est. Vulgo Seruare vitam & honorem dicunt.

Causas prouocandi exponere, nec tamen solenni more perorare. Id est, Prouocatoriam clausulam addere: quod faciunt ii, qui euentum iudicii pœnarii metuunt. Vulgo vocant, Concludere ad male iudicatum. Quæ solennis est clausula perorantium in causis prouocatorum.

Non vt quisq; reus iudiciũ accipere recusat, continuò fateri censendus est quod in se intenditur. Id est, Non si legis ac iuris indulgẽtia reus excipiendo vsus sit, aut temporis præscriptione petitionem depellere institerit, idcirco agnoscere rem debitã putandus est. Cic. pro Cluent. Siquis apud me te Tite Acci, reum velit facere, clames te lege pecuniarum repetundarũ non teneri: neque tua hæc recusatio, confessio sit captæ pecuniæ, sed laboris, sed periculi nõ legitimi declinatio. Quod ideo dicit Cicero, quia Senatores tantũ, & quibus in Senatu sententiam dicere ius erat, ea lege tenebãtur. Recusare igitur iudicium intelligit eũ, qui legis exceptione vtitur accusationis depulsoria.

Amico gratulandum est de re magna in curia ambigenti, cui obuenit perspicax litis inspector, & acutus enucleator, nec hominum, sed causarum amicus. Non omnium enim horarum dierúmve ea est felicitas, nec cuiuis obuia opportunitas.

Inspectam otiosè & accuratè litem, & iuris æquitatis libra, momentísque perpensam, ad consilium bona fide referre & expromere. De huiusmodi inspectore dici potest, cui si hoc accesserit, vt simul vt sentẽtiam rogatur, princeps (vt moris est) sententiam eadem probitate dicat atque diligẽtia, dignus est qui iudex optimus numeretur.

Quædam cum causa coniuncta sunt, quædam à causa seiuncta, ideóque reiectanea, vt argumento litis non affinia, & forensi sermone, Ad instantiam nihil pertinentia. Cic. pro Cluent. Tibi tamen Acci pauca, quæ ab huius causa seiuncta sunt, respondebo. Est enim quiddam in causa, quod Cluentius ad se: aliquid quod ego ad me putem pertinere.

Inuidiosus reus est, qui vulgo Diffamatus dicitur. Hoc est, qui inuidia sceleris infamiáq; flagrat, fortasse falsa opinione hominũ, sed tamen peruulgata. Cic. Habetis iudices, quæ in totam vitam de moribus Auli Cluentii, quẽ isti

inuidiosum reum volunt esse, annos octo meditati accusatores collegerunt. Inuidiosum cur dicat, ex exordio orationis eius clarum est.

In iudicium nihil præter inuidiam afferre. Id est, Tantùm iudicibus denũtiare reum esse inuidiosum & diffamatũ, nec elogiũ ac testimonia proferre.

Quærere, de iis dicitur qui quæstionem tormentariam adhibent. Cic. pro Cluent. Seruum illum in quæstionem ab hoc adolescente postulauit. hic nihil est ausus recusare. aduocantur amici & hospites Oppianici, tormentis omnibus vehementissimis quæritur. Et infrà, Quæstio illo die de amicorum sententia dimissa. Et rursus infrà, Habetur de integro quæstio. tum ex hoc omnium sententia constitutum, satis videri esse quæsitum. Id est, non vltra torquendum esse seruum. Quæ verba tamen significare possunt etiã id quod vulgo dicunt, Processum criminalem perfectum, tum scilicet cum testes repetiti sunt, & cum reo compositi.

In tabulis sine die ac consule perscriptis nihil est auctoritatis. Id est, Nulla fides huiusmodi literis constat.

Causa mea eo iure nititur, quod nunquam ambiguum in curia, nec controuersum fuit. Id est, Certo iure causa mea constat.

Reus criminũ inuidia magnopere laborat, & penè oppressus est: sed amicitiis, propinquitatibúsque subleuatur ac sustentatur.

Eo die causa perorari non potuit, horologii sono oppressa.

Causa ab actore vel prouocatore perorata, prouocati defensio ab hora consilii dimittendi occupata est. Causa vtrinque perorata, id est, post vtriusque cõclusionem, tertia actio, quæ replicatio dicitur, ab horæ sono intercepta vel interclusa est. quare eo die disceptatio discerni non potuit.

Aduocati interdum & cognitores recitatione causarum nec opinata deprehenduntur, cum causæ ab ipsis receptæ in diem expectationi suæ anteuertentem incurrunt: id quod fit interdum compendio fortuito aut insperato causarum in album editarum. Multa enim nomina citata prætereuntur cognitorum, & causidicorum interfationibus res actas agere vetãtium, & lites compositas affirmantium. Oppressi hoc modo aduocati, in procinctu inopinato nec copias suas explicare, nec arma expedire commodè possunt. quare Deprehensi dicũtur. Plin. in 6. Epist. Quid enim iucũdius, quàm sub alterius inuidia, quandiu velis, in alieno auditorio quasi deprehensum, commodè dicere? Sic Quintil. Deinde deprehenduntur, & causam quam discere noluerunt ex suis litigatoribus, ab aduersariis discunt. ἀπαρασκεύαστοι. Alibi, Vt neque deprehensus orator, neque destitutus litigator esse videatur. Lingua vernacula Supprehensos vocat.

Haud ita pridẽ capitali pœna sancitũ est, ne quis falsi crimine se obligaret. Hoc est sanctione regia legis Iuliæ pœna aucta. Liu. Venisse tẽpus, quo & infandam cõmilitonum cædem vlciscerẽtur, & in omne tẽpus graui documẽto sancirent, ne quis Romanum militem in vlla fortuna opportunum iniuriæ duceret. Est interdum Sancire idẽ quod plectere, punire, arcere, summouere. Ci. 3. de Legib. Noxiæ pœna par esto. Quisq; plectatur: vis, capite: auaritia, mulcta: honoris cupiditas, ignominia sanciatur. Dicere igitur Latinè pos-

ſis, crebris mulctis nuper in curia inſtitutum eſt, tergiuerſantium improbitates, reorúmque fugacium ſtrophas iudiciales ſancire: nec tamen magnopere hactenus profectum eſt ad litium aut minutionem, aut compendium. cuius rei culpa eſt penes ſingulos curiæ diſceptatores, vt improbaui aliquando, ſic inanem gratiam clemētiæ captantes, & corollaria dilationum alia atque alia elargientes, diuerſæ partis diſpendio.

Peritus conſcriptor curiæ areſtorum, quæ etiam iudicia dicuntur. & Conſcribere areſta, pro Conficere & componere, ac eorum formulam concipere. Cic. in Tuſcul. Conſolationis librum in medio dolore conſcripſimus. Et pró Cluēt. Iam videtis Iudices, nefariam mulierem hanc ipſam quæſtionem eadem manu conſcripſiſſe. Sed iſtam quæſtionem dicite quis obſignarit. Sic Conſcribere plebiſcita. Idem pro Domo ſua. συγγράφειν.

Non liquere in præſenti pronuntiarūt, iudiciúmq; interim, dum amplius inquiritur, ſuſtinēdū. Sic dici poteſt cum antegreſſa eſt iudicium huiuſmodi formulæ ſententia, quam Antequam procedatur, forenſi verbo vocant.

Quo quidque animo factum ſit aut propoſitum, in maleficiis animaduertendis diligenter ſpectandum eſt. Hoc eſt, voluntate & propoſito examinā da ſunt maleficia.

Curia plerunque ſuperioribus ſuis iudiciis conſtare ſolita eſt, præſertim memoriæ non exoleræ. Quod tamen non perpetuum eſt, nec ſemel iudicatum, nec in omni genere præiudicatum: non enim omnia curiæ decreta, omnium oportet eſſe & cauſarum & temporum.

Qui audientiam à curia magno ambitu efflagitatam impetrauerit, videat etiam atque etiam ne alius quiſpiam ſubrepat, & aditum prior auditorii occupet: ſicque ille interim excluſus, doleat nequicquam ſe diu ſaxum iudiciale voluiſſe. Tametſi in eo campo ſolent ſecundi loci petitores, in alieno auditorio nonnunquam (vt ſunt fortuitæ occaſiones) proximum (vt vocāt) pluteum, vel plutei ſtragulum pignerari, cōpetitoribus anteuertendo. Id quod euenit, ſi matutino quodam prioris cauſæ cognitione intermiſſa, per curiæ infrequētiam, aut alia de cauſa inſpector, qui occaſioni imminebat, delibandæ tantum cauſæ ab ſe inſpectæ veniam impetrauerit. Quod pignus eſt ſecundæ audientiæ. Id eſt, ἀσφάλισμα τῶν δευτερείων.

Ab actore, vel à reo dicere. Cic. pro Cluentio, Non modo dicendi à reo, ſed ne ſurgendi quidē poteſtas erat. οὐ μόνον τῷ φεύγοντι συνεξετάζεσθαι οὐκ ἐξεγένετο, ἀλλ' οὐδ' ἐξανίστασθαι. vel οὐχ ὅπως ὑπὲρ ἀποκρίνεσθαι τοῦ φεύγοντος ἐξῆν, οὐχ ὅτι ὑπὲρ ἀπολογίας ὑπὲρ τοῦ κρινομένου.

Iniqua conditione diſceptat in iudicio, qui cum præpotenti aduerſario rē habet: vt priuatus cum magiſtratu. Ex Cicerone.

Non fuit iudicium iudicii ſimile iudices, non fuit, in quo non modus eſt habitus, non mos conſuetudóque ſeruata, vis illa fuit. Verba ſunt Ciceronis ſignificantis iudicium nullum fuiſſe.

Nec impuberi, nec adoleſcenti, iudicio cōtendere legibus permiſſum eſt, niſi auctore præeunte.

Non petendi tantum libelli dimiſſorii, ſed efflagitandi.

Sedere, verbum iudicibus accommodatum. Cic. pro Cluent. Potuisse ab eo reum condemnari, qui nō perpetuo sedisset. Idem, A quibus si quis quæreret, sedissentne iudices in C. Fabriciū: sedisse se dicerent. Alibi, Quendam paucos dies sedisse ex subsortitione dixit. Hoc est, disceptationi causæ interfuisse.

Sedere munere non suæ classis, Est inter iudices sedere in alienæ classis cōtrouersia. quod fit interdum propter infrequentiam, aut cum in locum reiectorum ex sua classe in aliam vicissim assiscuntur, ne cessare classes numero defectæ cogantur. Cic. pro Cluent. Vno iudicio mulcta est ab eo petita, quòd non suæ munere Decuriæ ex lege sedisset. De Decuriis iudicum Romanorum, è quibus iudices Prætor sortiebatur & reiiciebat, satis in Annotationibus in Pandectas diximus.

Petit quis ab aduersario suo mulctam, quem ideo mulctam commisisse cōtendit, quòd subdole aut fugaciter secum egisse eum dicat. Nunc, Concludere ad emendam dicunt.

Prouocatoris aduocatus, si iudicium grauari exponenda repergit, & aleam auditorii iacere constituit de sentētia consultorum, perorare primam actionem prouocabundè solet. Hoc est, Nec rectè, nec ordine rem esse iudicatam defendere.

Alia lege delatus, & alia Damnatus. Id est, alio crimine. Cic. pro Cluent.

Subscribere iudicii causam, Est quod nunc dicunt, Sententiæ suæ causam reddere. Cic. pro Cluent. Video Iudices, animaduertisse Censores in iudices quosdam illius consilii Iuniani, cum istam ipsam causam subscriberent.

Quod iuris in vltimis voluntatibus hominum constitutum est, nō transferendum est ad alias species. Vulgo dicunt, Non debet extendi. hoc est, Iuri translatitio locus non est in aliis speciebus.

Iudicia interdum & curiæ & præfectorū, non tam causarum sunt, quàm tēporū. Decreta curiæ & consulta, non tam dignitatis curiæ, quàm necessitatis expressæ, & hominum fortasse. Id est, Iurisdictionē interdum nonnihil seruire tempori necesse est, & personarum ratione temperari. Cic. pro Cluentio, Et illa oratio potius temporis mei, quàm iudicii atque auctoritatis fuit.

Secularis possessio est, quam Immemorialem vocant, quia superior sit hominum memoria.

Leges & morem receptum postulationis suæ prætendere. Allegare.

Circunscripta iurisdictio, & Imperium circunscriptum ac definitum, vulgo Limitatum dicitur.

Ascripta nomina prouocatorum, id est, In codicem relata.

Appellare ducem, est quod dicimus In ducatum erigere alicuius potētatū, & Ducis nomine afficere. Vtroq; enim modo Cicero in oratione pro Deiotaro vsus est. Et de Arusp. responsis, de Clodio loquens, Consules sceleris sui socios ærario, prouinciis, exercitu armauit: reges qui erant, vendidit: qui nō erāt, appellauit. Id est, Quorundā regna publicauit, quosdam dynastas reges fecit. Salutare etiam ducem vel regē id dicitur. Tacitus lib. 3, Sed Tiberius bellum pro confecto interpretatus, id quoque Blæso tribuit, vt imperator à legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta Rep. gau-

dio & impetu victoris exercitus conclamabantur. Conceſſit quibuſdam Tiberius id vocabulum, vt tunc Blæſo. Appellare autem & Salutare, pro eodem ponitur, quia Græci vtrunq; eodẽ verbo ſignificant, προσαγορεύειν αὐτοκράτορα dicentes. Cic. Philip. 14, Sed hoc primum faciam, vt imperatores appellem eos, quorum virtute & conſilii felicitate maximis periculis ſeruitutis atque interitus liberati ſumus.

Pro conſeſſu vniuerſæ curiæ aliquid decerni vel ſtatui, ſignificat id conſultum factum fuiſſe claſſibus in primum & maximum conſeſſum coactis.

Falluntur ſæpe, qui nimium cauſæ ſuæ confidunt. Falluntur & nonnunquam, qui nimium diffidunt.

Ab hæredibus ſecundis legare, ſignificat à ſubſtitutis.

Lis è lite iudicata ſubnaſcẽs, vel redundãs, Eſt quando lis oritur iam finita, vt ſi actionis ſubſidiariæ ius ſaluum eſſe iudex ei voluit qui ſoluere iuſſus eſt.

Inire conſilium de cauſa inſtructa iudices dicuntur, quando litem cognoſcere & iudicare ingrediuntur. Iniſſe conſilium vniuerſum curia dici poteſt, cum omnes Decuriæ coeunt ad deliberationem aut iudicationem.

Indicẽ vel teſtem ex altera parte coràm ſiſtere in quæſtione, Eſt cum reo componere. Ex Cic. pro Cluent.

Sordidati rei traductionem ignominioſam, & interdum ſtigmaticã, Mulctam honorabilem ſermone Forenſi vocant.

Luculenta iactura iuris facta hoc conuento tranſacto. Hoc eſt, Magnum vulnus cauſæ inflictum hoc conceſſo.

Citare præiudicia curiæ cum die & conſule, & Proferre auctoritates curiæ. Id eſt, Allegare areſta in eadem aut ſimillimà ſpecie, multum ad iudicium facit. Plerunque enim conſtare ſibi curia videri vult in iudiciis, idémque cũ maioribus eadem de re ſentire.

Occurrere vltro exceptionibus & præſcriptionibus actor dicitur, quì reo anteuertit per anthypophorã, & præripit rei defenſiones. Quod genus apud Rhetores Occupatio dicitur. Et pars eſt exordii Quintiliano. & Occupare defenſionem dicitur, qui eo genere vtitur. Non inutilis etiam (inquit) videtur ratio occupandi quæ videntur obſtare, vt Cicero dicit, Scire ſe mirari quoſdam, quòd is qui per tot annos defenderit multos, læſerit neminem, ad accuſandum Verrem deſcenderit. Alibi in ſexto, Huius loci eſt (inquit) occupare ea quæ dicturum facturúmve aduerſarium putemus.

Offendere apud curiam is dicitur, quia à curia condemnatur. Cui opponitur, Cauſam ſuam curiæ probare, hoc eſt, probabilem oſtendere, & iure nixã. Cic. Veriſimilius tamen eſſet eum potius iudicium corrupiſſe, quí bis apud eos iudices offendiſſet, quàm eum qui bis iis cauſam probauiſſet.

Poſcunt interdum aduocati ex actionibus ſuis ius præſentaneum reddi, id eſt, ex tempore.

Cõſurgitur ſtatim in conſiliũ, quãdo præſes obire tribunal ingreditur poſt cauſidicorũ altercationes. Cic. pro Cluent. Stalenũ ipſe adduxit. conſurgitur in cõſiliũ, cũ ſentẽtias Oppianicus palàm ferri velle dixiſſet vt Stalenus ſciret quid cuiq; deberetur. Varia iudicũ genera, nummarii pauci, ſed omnes irati.

Determinata tũ demũ est facti controuersia, quãdo capita reiectanea iudicata sunt, aut inter partes ita scriptiones cõparatæ & constitutæ, vt iam plane constet quid cõtrouersiã faciat, & quibus de rebus testimonia denũtiãda, inquisitióq; vtrinq; facienda sit. Hoc est, Cum multiplici facto constantis cõtrouersiæ, seu multa cõplexæ quæ non iuris, sed facti sunt, tanquã orbis quidam ita circunscriptus est, vt intra eũ orbẽ fines rerum in iudiciũ deductarũ cõprehensi sint: illáque causæ determinatio dici potest, quam verbo forensi, Scripturarũ concordiam appellant, qui scriptitandi rescriptitandíque terminus est. Cic. lib. 5. de Finib. Exposita igitur determinatione rerũ expetẽdarũ, cur ista se res ita habeat, deinceps demõstrandũ est. Determinationẽ appellat definitionẽ & circunscriptionẽ summi boni. Hoc est, διορισμὸν ἢ περιγραφὴν. Suprà enim dixerat, Explosæ igitur eiectǽque sententiæ, quoniã in hunc orbem quẽ circũscripsimus, incidere nõ possunt, adhibẽdæ omnino nõ fuerũt.

Disceptator partibus datus, aut inquisitor, loci ac tẽporis delectum habeat, vti è re esse ambigentium fidéque sua videbitur. Sermone forensi, Vt faciendum videbitur pro commodo partium. Apud Gellium verba huiusmodi extant antiqui senatusconsulti: Quòd verba facta sunt de philosophis & rhetoribus, de ea re ita censuerunt, vt M. Põponius prætor animaduerteret, curarétque, vt è Rep. fidéque sua videretur, vti Romæ ne essent.

Subprædes & subuades dare & accipere, vernaculè Contrapleges vocantur.

De iis quæ aresto appellata sunt, omnino referri quæstio nõ potest. Id est, Quæ nominatim in iudicio curiæ comprehensa sunt.

Si auctio bonorũ facta est, bonáq; decreto addicta plurimo liceti, ea tãtum auctione venisse cẽserur, quæ in præconio auctionis, & in renũtiatione appariroris appellata sunt & nũcupata. Cic. pro Cecin. Lex iubet vsum & auctoritatẽ fundi esse bienniũ, ac vtimur eodẽ iure in ædibus, quæ in lege nõ appellãtur. Idẽ in Topicis, de loco à cõparatione ducto loquẽs, Quod in re pari valet, valeat in hac quæ par est. Vt quoniã vsus & auctoritas fundi bienniũ est, sit etiã ædiũ. At in lege ædes nõ appellãtur. In lege (inquit) vsucapionis quæ biẽnium fundo statuit ad vsum suũ faciendũ, ædium vocabulũ nõ ascriptũ est, & nominatim nuncupatum. Appellare autẽ est nomine suo rem designare. Vsum autẽ & auctoritatem antiquo verbo vocat, ius rei vsu captæ, quod nũc Præscriptionem vocamus, quia est exceptio rei vsu & tempore quæsitæ.

Procurator cum mandatũ plenum ædium alienandarũ haberet, tamẽ dominũ, fundum futurũ emptori stipulãti spopondit. Id est, Ipsum cũ præsens erit, verbis suis denuo vẽditurũ: &, vt sermone vernaculo dicimus, Curaturũ promisit & effecturũ, vt ratũ habeat dominus, & loquatur. Est enim Fundus auctor rei & comprobator. Plaut. in Trinũ. Nunc mihi is properè conueniẽdus est, vt quæ cum filio eius egi, ei rei pater fundus sit potior. Gell. lib. 8, Hæc ego dixi, non vt eius sententiæ legísque fundus subscriptórq; fierem, sed ne Caii Cæsaris opinionẽ destituerem. Cic. pro Cornelio, Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri: quoniam hoc magnopere verbo delectare. Idem, Videbat enim populos de iure suo, nõn de nostro fundos fieri solere.

Promere officium iudicis in hoc articulo, viro bono conuenit. Forenses

dicunt, Hic debet fungi officio iudicis.

In actionibus in rem omnes pari iure sunt, in quibus ad suum forum euocandi causas, vel reuocandi ius non est. Actionum in rem conditio omnes æquat, & qui codicillorum forensium ius habent, & qui minime: & qui ius eximium habent fori, & qui non habent.

Hæredes trãsuersarii plerūq; æquo iure sunt: recta autē serie hæreditatis obuenieris, suū semper ætatis nomine ratū est filiorū maximo præcipuū, dūtaxat ī patrimonio gētilitio. Cuius modus requirēdus est à iure municipiorū.

Iudices, aut alio magistratu fungentes accitu curiæ in vrbe interdum retentos videmus. Id est, Personaliter euocatos.

Quibusdam per ætatem, aut aliam ob causam capere magistratum iudicialem non licet, nisi lege soluantur.

Nouarum rerum capita antea intacta, scriptione commemorare. Vulgo Articulare noua facta dicunt.

Iudices tribunalitios animis adesse oportet, cum causæ aguntur: præsidem verò ipsum, aut eū qui eius loco sedet, maximè id quod agitur agere, vt qui ius redditurus sit protinus, aut aliâs causam disceptaturus.

Lex non scripta, sed nata. Cic. pro Milone. Id est, Naturalis.

Causa non de iure, sed de facto ambigitur. Id est forensi verbo, In contrarietate sita est.

In persona controuersiæ nobilitatem vsurpare, Sumere qualitatem nobilis, vel Nobilem se dicere. Sic Tutelarem personam vsurpare, vel Curatoris testamentarii personam suscipere. Id est, Qualitatem executoris.

Dempta interturbatæ possessionis iniuria, verba interdicto retinendæ possessionis accommodata.

Conquisitor etiam pro Inquisitore dicitur. Hoc est, qui cōmissarius ad informandū, sermone Forensi vocatur. Plaut. in prologo Amph. Vt conquisitores singuli in subsellia eant per totam caueā. Et rursus, Hoc quoque etiam mihi in mandatis dederat, vt conquisitores fierēt histrionibus, qui sibi mandassent, delegati vt plauderent. Alibi, Post ad prætorem ibo, orabo vt cōquisitores det mihi in omnibus vicis. Cicero etiā vsus est in oratione pro Milone. Vrbani conquisitores, & regionarii, duo nunc & triginta sunt Lutetiæ.

Res est mihi cum versipelli aduersario. Id est, Qui nunc hanc personā, nūc illam induit, qui nouam qualitatem suscipit: vt qui suo nomine victus, tutorio nomine litem instaurat. Dici etiam potest, Negotium mihi obtigit cum desultore forensi, qui in vna persona victus, ad aliam cito transilit.

In re perdita, & pigneratione vel a uctione decoctoria, ius occupationis valet. Lingua vernacula forensium, Casum disconfecturæ vocat.

Mutare quod factum est, vulgo Reuocare dicitur.

Interfari, & Interfatio, de iudice dicitur, vt Interloqui.

In petitione in rē concepta, atq; in intētione criminosa, idem Accio quod Titio ius esto. Id est, Omnes æqua cōditione sunto eius fori sequēdi, quicum iudicio experiri instituerint. Sermo est è veteri sumptū prouerbio, quo Varro in Satyra vsus est, cui Testamētū nomē indidit, vt refert Gellius lib. 3. quod

dici solitum erat de rebus aut hominibus nihil inter se distantibus.

Reus, ad extremũ quæstionis, in noxa nõ cõpertus. Vulgo Innocẽs inuẽtus.

Sententiæ quædam planè nullæ sunt, quædam nullarum similes, quædam iniquæ & iniuriæ.

Iniuriosum iudicium alicui contumeliosúmque intendere.

Absens de tribunali citatus est & inclamatus. Id est, E consessu curiæ eremodicii nomine vociferatu nuncupatus est.

Digna res quæ referatur ad consultos Basilicanos, Causa digna quãobrem numerosa aduocatio & celebris consulenda sit.

Enarrator litis princeps rogatur sententiam; solétque vtroque versus censendo fusius disserere.

Iudices Põtificii vocationẽ habẽt, nõ etiã prehẽsionẽ, vt iudices regii & iuridici priuati, quos populares verbo suo Græci quasi profanos appellãt. Quibus si comprehensis opus sit fori sui maleficis, mutuãda manus est viatoria à iurisdictione regia. Gell. ex Varrone lib. 12, In magistratu habent alii vocationẽ, alii prehensionẽ, alii neutrũ. Vocationẽ, vt Cõsules & cæteri qui habebãt imperiũ. Prehensionẽ, vt Tribuni plebis, & alii qui viatorẽ habent. Neq; vocationẽ, neq; prehensionẽ, vt Quæstores, & cæteri qui neq; lictorem habent, neque viatorem. Liuius lib. 3. ab Vrb. cond. lictorẽ, Consulis fuisse docet: viatorẽ, Tribuni. Ardens igitur ira Tribunus, viatorẽ mittit ad Consulẽ, Consul lictorem ad Tribunũ, priuatum esse clamitãs, sine imperio, sine magistratu.

Ambagiosa controuersia, & sinuosa, & argumẽti perplexi, cum acris & perspicacis commentationis indiget, tum facunde atque enucleate exponenda est iudicibus ad consilium coactis. quam dicere possis Delio natatore egere, qui nec magnitudine rerum memoria complectendarũ obruatur, nec difficultate explicandarum deterreatur.

Iudex post causam cognitam non facile è iudice pacificator fieri debet, & persona sua deposita, litis compositorem agere. AEgrè enim id fieri potest, vt motus sensúsque animi sui interloquendo non prodat.

Iustum arestum curiæ esse non potest sanctione regia, in quo decernendo præses vnus cum decimo, quod minimum sit, conscripto nõ affuerit & præfuerit, cum interim disquisitio sententiarum sigillatim facta sit.

Excitare sibi gẽtilem appositum petitorem in iudicio redhibitorio. Vulgo Suscitare retractorem colludentem dicunt.

Moris est aduocatis scriptitantibus, non modo legum, morũ, formulǽque forẽsis præsidium implorare in auxilium suæ causæ, sed etiam fidem iudicũ, intimósque sensus & prudentiam, veluti supplementum ieiunæ scriptionis. Huiusmodi est enim ferè vltimæ manus clausula.

Qui intẽdunt recuperandæ possessionis interdictum, conqueri solent, manum hominum & operas contra legum interdicta comparatas aduersus se fuisse, ab iísque exturbatos esse se possessione antè non controuersa.

Reus suspicionibus dãnatus, id est Præsũptionibus, suspicionibus deditus.

Litigiorum inuitamẽta sunt dilationum largitiones, frustrationum & calumniarum impunitates, dissoluendi æris alieni remoræ.

Disceptationes suas recognoscere litigatores,atq; intra perendinum diem proferre irrefutato iussi. Id est, Intra tres dies altercationes suas emendare, & apud acta edere, citra contradictiones.

Munire arcem simplicitatis atque innocentiæ, significat Robur addere iurisdictioni atque seueritati.

Præfractè iudicare, significat Nihil summi iuris remittere. Cui opponitur Legis acerbitatem mitigare.

A se crimen in alium deriuare rei plerunque solent.

Non modo iniuria hominem afficere, sed etiam cõtumeliose afficere. Hoc est, Sugillandi causa & infamandi.

Damnatus est reus falsi compertus, non lege Cornelia, sed recenti sanctione de falsariis lata. Id est, Insequendo sanctionem recentem. Cic. Ciuitas ei data est Syllani lege & Carbonis.

Tabularium, locus est in quo acta publica, tabulæque, id est literæ & documenta asseruantur: Graphiarium nunc dicitur, Scribarum locus. Cic. pro Archia, Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas incenso tabulario interiisse scimus omnes? Tabulas, δημοσίας γραφὰς dixit. Idem pro Rabirio, Tabulæ enim sunt auctoritates, & monumẽta rerum actarum, & quæ instrumenta in iure dicuntur. Idem de Orat. Nam & pro tabulis, & contra tabulas, & pro testibus, & contra testes, & pro quæstionibus, & contra quæstiones, separatim dicere possumus. Tabularum significatio latè patet, quam nũc prosequi non necesse habuimus. Tablinum, pars atrii erat in ædibus priuatorũ, de quo Vitruuius in sexto, Tablinum, si latitudo atrii erit pedum x x, dẽpta tertia, eius spatio reliquum tribuatur. Si erit à pedibus triginta ad quadraginta, ex atrii latitudine, tablino dimidium tribuatur. Plin. lib. 35, de imaginibus stemmaticis loquens, Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines quæ gẽtilitia comitarentur funera. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur & monumentis rerum in magistratu gestarum. Pinacothecæ etiam verbo Græco dicuntur, quasi armaria tabularum pictarum, quas Vitruuius lib. 1. & libro 6. ad Septentrionem spectare debere dicit, ne corrumpantur imagines. Plin. loco supradicto, Et inter hæc pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienásque effigies colunt.

Memoria rerum duplex, Tabularia & Consignata, quæ & Literarũ memoria dicitur: & Memoria hominum, id est, Testimonia. Cic. pro Archia loco suprà citato, Est ridiculum ad ea quæ habemus, nihil dicere: quærere quæ habere non possumus: & de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare. Quod Cicero dixit propter incensum tabularium.

Sedes pignorum ac fortunarum, significat Domicilium alicuius. Cic. An domicilium Romæ non habuit, qui ante ciuitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum Romæ collocauit?

Literæ auctoritatem publicarum tabularum obtinentes, vel fidem obtinẽtes publicam, vulgò Authenticæ dicuntur.

Litis processus hunc tenorem hactenus habuit. Id est, Hac ratione & serie

lis agitata est.

Vereor ne hîc publicam aliquã auctoritatẽ, vel testimonia locupletiora iudices desiderent. Id est, Vereor vt satis probatimus quod facit cõtrouersiam. Cic. pro Archia, Est ridiculum, cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii iusiurandum fidémq;, ea quæ deprauari nullo modo possunt, repudiare: tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare.

Iure, iudicio, æquitate, arbitrio, æquo, iniquo iudice superiorẽ causam habere, vel Litem vincere. Id est, Nullo non modo aduersarium superare, & apud omnem iudicem.

Honorarium iudicis officium dici potest, quod vulgo Nobile dicitur. Cic. pro Cecinna, Alterũ genus est vehementissimũ, quod non honorariã operã amici, sed seueritatẽ iudicis desiderat. Honorariã operam amici vocat arbitrium domesticũ & compromissarium. Sic in 5. Tuscul. Quorũ controuersiã solebat, tãquam honorarius arbiter, iudicare Carneades. Hic etiam Disceptator domesticus, ab eodem appellatur in supradicta oratione.

Præscribere & Præstituere agẽdi vel defendendi modũ, est quod Coarctare in Foro dicitur. Cic. ꝓ Cecin. Si aut mihi præscribit iudex queadmodũ meũ ius persequar, aut ipse quod ad se delatũ sit, non audeat iudicare. Idẽ, Etenim prætor is qui iudicia dat, non præstituit petitori qua actione eum vti velit.

Codicillis regiis recitandis & promulgandis frequens conuẽtus curiæ fundus & auctor fuit. Vulgo dicunt, Literæ in curia verificatæ & homologatæ.

Auctio in iudicio constituta, significat Decretum esse, & iudicis sententia pronuntiatum, bona ob æs alienum hastæ subiicienda esse. Cic. pro Cecinna, Cũ esset hæc auctio hæreditaria constituta, Ebutius iste versabatur in his rationibus. Idẽ, Cum esset, vt dicere institueram, hæc auctio constituta Romæ, amici Cecinnæ suadebant, nullã esse rationẽ huiusmodi amittere occasionẽ.

Præsides inter causas actitandas & defensitandas, identidem causidicos admonent actionum suarum summas in verborum cõpendia conferre. Quod nequicquam sæpe faciunt, horum an illorum culpa?

Fidelis & officiosi pragmatici munus est, assiduitatem curandæ atque vrgẽdæ causæ, sedulitatémq; præstare. Is est qui controuersiam suscepit diligẽter obseruandã, quasi custos cognitoris & causidici causæ. Custodem nunc dico, qui ἀντίγραφον conficit, & exactor est fidei & diligentiæ. Dicitur & Assiduitatis officio fungi is, qui accurato officio fungitur, nihil remittens, & causæ semper instans, vt Cicero pro Cecinna loquutus est.

Religio & fides in teste laudantur. Vnde Graues, religiosi, & compertæ fidei testes.

In auctione liceri prædium alterius mandato, cum sibi emere præ se ferat, & tamen postea bonam fidem agnoscere. Dicitur & Dare operam amico in auctione publica. Cic. Cum is liceretur, quem Cæsenniæ dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo posset suspicari.

De fundo possessorẽ moribus deducere, est quod aiunt Furnire querelam. Cic. pro Cecinna, Placuit Cecinnæ de amicorũ sentẽtia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cecinna moribus deduceretur.

Iudicium dictare alicui, vt ex formula & consuetudine à iudice interdicatur, In ius est vocare, & litem intendere interdictoriam. Cic. His rebus ita gestis prætor interdixit (vt est consuetudo) de vi hominibus armatis, sine vlla exceptione, tantum vt vnde decessisset, restitueret.

Vereor temeraria prouocatione aut inconsulta periculum mihi sexagenariæ mulctæ creare, vel In fraudem incidere temerè prouocantium.

Césere homo ausus est in iudicio capitis, cũ è numero eius quæstionis non esset. Id est, Cũ nõ esset eius processus vnus, vt in Foro loquũtur. Cic. Venisse eũ cõstat in cõsiliũ publicæ quæstionis, cũ eius consilii iudex nõ esset: & in eo cõsilio cũ causam nõ audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere.

Iudex pronuntiauit nondum de causa liquere, nec antè decerni litẽ posse, quàm de iis inquireretur, quæ obiecta refutabundè vtrinque testibus essent.

Ius suũ tenere & obtinere, est quod dicimus Cõseruare. Cic. Vt ꝑ interdictũ ius meũ teneam. Idẽ Philip. 10, Loquere cũ sapiẽtissimo homine genero tuo, sæpius, quàm tu ipse tecũ. tum deniq; amplissimi honoris nomen obtinebis. Id est, frueris possessione amplissimi huius nominis, & consularis viri. Sic de Orat. Tantũ in eo fuisse pono & orationis & ingenii, quo & magistratus personã, & cõsularẽ dignitatẽ obtineret. Id est, tueretur, vt alibi dixit. Obtinere etiam alioqui Possidere & Retinere significat, & ἐπέχειν. Vt ipse ad Lẽtulum, Cum tu Hispaniã citeriorẽ obtineres cũ imperio. Cæsar, Nam paucis antè annis eam prouinciã obtinuerat cum imperio. Cic. Philip. 1, Ne prætoriæ prouinciæ plus quàm annũ, ne consulares vltra annũ obtinerentur. Obtinere etiam est Vicem præbere, & Instar esse. Idem pro Sylla, Quorũ alter apud me parẽtis grauitatem, alter filii suauitatem obtinebat. Hoc est, loco & numero parentis erat. Sic dicere possis, Anticipatam testium senio aut morbo causariorum testificationem, quæ sæpe fit ante litem institutam diplomatica venia, fidem obtinere inquisitionis factæ iudicio iam constituto in formã cõiecturæ, duntaxat quod attinet ad eos testes qui iterum interrogari nequeũt. Examen in futurum, hoc est, Testimonia repræsentata vocant.

Cic. pro Cecinna, Qui homines inermes cũ ad constitutũ experiundi iuris gratia venissẽt, armis, viris, terrore, periculóq; mortis repulerit. Id est, qui ad diẽ & horã condictam aut prædictam à iudice venerãt, ad ius suũ obtinẽdũ & disceptandũ. Sic pro Quintio, Siquid in cõtrouersiã veniret, vt intra parietes, aut summo iure experiretur. Paulus Iuriscons. In ius vocare, est Iuris experiũdi causa vocare. Homo autẽ experiens, est Homo solers. Cic. 6. in Verrem, Tu P. Cacurii promptissimi hominis & experientis, & in primis gratiosi, supellectilem omnẽ auferre non dubitasti. Et pro Cluent. Vir fortis, & experiens, & domi nobilis. Et in Frument. Homo gnauus & industrius, experientissimus, ac arator diligentissimus. ἐμπείρως ἔχων. vulgo Expertus dicitur. Ouid. in Metamorph. Neritius Macareus, comes experiẽtis Vlyssei. τοῦ ἀγχινόου πολέχροιος. Expertus verò pro Explorato & spectato passiue accipi solet. Cic. pro Cornelio, Cuius igitur audita virtus, dubitationi locũ non daret, huius præsens, experta atq; perspecta, obtrectatorum voce læderetur? Liuius lib. 3. ab Vrb. cond. Despõderat filiam Icilio acri, & pro causa plebis expertæ virtutis. Et in

Præfat. bel. Punici, Haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico bello conserebat.

Plus tibi ego largiar, quàm quod iudicio petisti. Vulgo dicimus, Luculentiorem tibi feram conditionem.

Sedulo egit aduocatus, qui causam tuendam receperat. Vulgo, Debitum officium absoluit.

Quod legibus, quod moribus factum est, in quo nulla captio est, quo iure rescindi potest?

Amplius cognoscendum ac deliberandum curiæ visum est, iudiciúmque sustinendum, aut comperendinandum. Terentius alludens ad morem censentium in iudiciis, Dic Crito. c. Ego amplius deliberãdum censeo. Sic, Ego amplius inquirendum censeo. Hoc est, Statuendum vt partes vtrinque testimonium quaternis aut senis testibus denuntient.

Res parũ animaduersa fuit ĩ extẽporali iudicio. Id est, Præpropere perpẽsa.

Cic. pro Cecinna, Huius rei vos statuetis nüllã esse actionẽ: nulli experiũdi ius cõstitutũ? Hoc perinde est, ac si diceret, Videte etiam etiámq;, ne sentẽtia vestra hoc iuris introducatis in iudiciũ, nullum esse admittẽdũ, qui agere eo nomine posthac velit, quasi indigna res sit quæ in cõtrouersiam deducatur.

Captiosum viris bonis quippiam constituere, & improbis compẽdiosum. Cic. pro Cecinna, Periculosum est dissolui hoc interdictũ, captiosum omnibus rem vllam constitui eiusmodi. Quo verbo etiam Vlpianus vsus est.

Vt nunc est iudiciorum de vi exercendorũ ratio, ad conniuẽtiam iniuriarum propensa & remissa, plus est ad ius suum obtinendum fiduciæ in aduocatione strenua & armata, quàm in togata & consiliaria.

Fundere verba ad controuersias diiudicandas, non æquitatem iurisprudentia instructam in consilium afferre.

In verbis summi iuris trutina expẽdendis, nõ legum sanctionúmq; voluntate, iudicandi rationẽ morémq; constituere, iustitiæ nõ est litare, cuius scopus est, quod suũ est, cuiq; tribuere æqui boníque suffragio. Cic. Iuris & æquitatis iudicium cũ erit, caue in ista tam frigida ac ieiuna calumnia delitescas. Id est, in ista angusta atque inani defensione, vt alio loco dixit. Et rursus alio loco, Infirma atque nugatoria. Idem, Si verbis & literis, &(vt dici solet) summo iure contenditur: eiusmodi iniquitati solent & boni & æqui nomen dignitatémque opponere. Idem, Tum aucupia verborum, & literarum tendiculas in inuidiam vocant: tum vociferantur, ex æquo & bono, non ex callido versutóque iure rem iudicari oportere.

Ius est, pro Iustum est, iuri consentaneum. Cic. Nec fieri potest vt quisquã iuris numeretur peritus, qui id statuat ius esse quod non oporteat iudicari.

Iuris experiundi aditum intercludere ei qui iudici non paruit, aut qui in eremodicii fraudem incidit. Forcludere vulgo vocant.

Adulterino iure damnari. Cic. pro Cecinna, Quod est enim ius ciuile? quod neq; inflecti gratia, nec perfringi potẽtia, nec adulterari pecunia possit. quod si non modò oppressum, sed etiã desertum, aut negligẽtius asseruatum erit, nihil est quod quisquam sese habere certum, aut à patre acceptũ, aut relictu-

rum liberis arbitretur. Hactenus ille. Ex cuius verbis si ius æstimare velimus, quotam hodie partem iuris Ciuilis Pontificiíque germanam habemus, & puram ab enarrationum aliarum super alias adulterio? At eas, si diuis placet, Decisiones & Theoricas sermone forensi vocant: quasi certas, ratas, germanásque iuris dicendi normas, cum spurium inde ius & nothum, in dies euarians, atq; ab antiquo degenerans natum esse videamus. Et hac ratione vnicuique suum tribuere iustitia existimatur.

Fundus vsucapione & rata auctoritate quæsitus est, cum tẽporis longi, & fidei bonæ præscriptione summoueri eius petitor potest. Idem Cic. Fundus à patre relinqui potest: vsucapio fundi, hoc est, finis sollicitudinis ac periculorum litium, non à patre relinquitur, sed à legibus. Aquæ ductus, haustus, iter, actus, à patre: sed rata auctoritas harum rerũ omnium à iure ciuili sumitur.

In luto litiũ eodem semper hærere dici possunt, qui post vnũ & alterũ arestum, adhuc principis cõtrouersiæ accessionibus implicati sunt. Quippe res iudicatæ, vt videmus, sæpenumero alias atque alias lites pariunt. Versurã tamen soluunt ii, qui huiusmodi cõmentis calumniosis, in voraginẽ tandem incidunt impendiorum, & æstimatarum litium, quasíque fœnerato litigãt.

Forenses captationes, vulgo Supprehensiones dicuntur, Latinè Oppressiones. Et qui his aucupiis vtuntur, momentorũ atque articulorum Captatores atque Aucupes dici possunt, atque imperitorum, aut simplicium Supplantatores. Cic. in 3. Offic. Qui stadium (inquit) currit, eniti & contendere quàm maximè possit, debet, vt vincat: supplantare eum quícum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Hoc Demosthenes ὑποσκελίζειν vocat.

Causa intra parietes domesticos disceptata & iudicata. Id est, ex cõpromisso.

Sicui possidenti negotiũ possessoriũ facessitur, interdicto certare potest cũ interturbatore, aut diplomate impetrato interdicendum curare, atq; etiã interdicere. Interdicit autẽ viator, qui lege agere diplomate iussus est, ne vis fiat, aut negotiũ exhibeatur impetratori, quominus vti possidere solitus est, & anno retrò proximo possedit, possidere ipsi liceat. Interdicere etiã is dicitur, qui interdictum intendit. Vlp. de Tab. exhibendis, Si neque amouerit tabulas, neq; celauerit, sed idcirco eas alii tradiderit, ne eas interdicẽti exhiberet. Idem alibi Cum ipso interdici debere dixit, pro Interdicto agere. Sic autem fermè Interdicere is dicitur, qui interdicto agit, vt Damnasse reum ad iudicem is dicitur, qui damnandum curauit, vt alibi diximus.

Tuo gladio tua defẽsio cõficitur. Id est, Tua exceptione causã tuã iugulasti.

In meis castris præsidiísque versaris, mea est ista defensio, ego hoc vociferor. Verba sunt Ciceronis. Id est, Defensionis tuæ mucronem ego in causam tuam repercutio: tu contra me stas, & tamen à me loqueris. Hoc quod tu excipere instituisti, ego tibi refero, vicissim excipiendo. Cic. Hic est mucro defensionis tuæ, in eum ipsum incurrat causa tua necesse est.

Possessione deiectus ex decreto vi interdicti restitutus est.

Non ad meam petitionẽ confirmandam hoc attuli, sed tuæ defensioni referendum censui. Hoc est, Replicatione dicendũ. Ex Cicerone pro Cecinna.

Idem Cic. At enim Sylla legẽ tulit. Vt nihil de illo tẽpore, de illa calamita-

te querat, hoc tibi respondeo, ascripsisse eundem Syllam in eandem legem, siquid ius non esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum. Tale est, cũ in arestis ascribitur, Siquid est autem hac eadem de re alibi iudicio controuersum, eius nihil hoc aresto comprehensum curiam censuisse. Nihil eiusce rei hac sententia præiudicatum.

Tu quod petis, tuo dicto vel facto tibi abiudicasti. Id est, Id dixisti aut fecisti, quod ius non esse ostendit, quod petis, tibi adiudicari.

Perfugium carceris, Est bonis cedere: & Perfugium pœnæ legum, Solum exulandi animo vertere.

Sanctitatis loci præsidio mulctare, vulgo vocát Immunitate priuare. Sanctitas loci, Perfugium facinorosæ multitudinis. Asylum Græce dicitur.

Obstruere, vel occludere perfugium, subducta & meditata ratione cædem perpetrantibus.

Subterfugiendæ mulctæ gratia recitationi nominum in curia anteuertere, & vltro herbam forensem dare vrgenti aduersario, vel quoquo modo decidere prouocatoriam controuersiam. Acquiescere appellant.

Testes testium refutatorii, & fidei testiũ Derogatores, Reprobatorii probatoriorum.

Rogare testes, & Testes rogantur ab inquisitore, & ad rogata respondent, & interdum vltra rogata, & ibi dicunt testimonium. Cic. pro Flacco, Itaque videte, quo vultu, qua constantia dicant: tũ intelligetis, qua religione dicant. Nunquã nobis ad rogatũ respondẽt, semper accusatori plus quàm rogatũ.

Nunquam laborant quemadmodũ probent quod dicunt: sed quemadmodum se explicẽt dicendo. Loquitur autem Cicero secundũ more antiquum, quo testes ab actore & reo interrogabãtur corã iudicibus. Quint. lib. 5. de interrogãdis testibus loquẽs, In vtroq; autẽ genere summis artibus interrogãtis opus est. Nã si habet testẽ cupidũ lædẽdi, cauere debet accusator ne cupiditas eius appareat, nec statim de eo quod venit in iudiciũ, rogare, sed aliquo circuitu ad id peruenire. Idẽ, Hoc autẽ iis tẽporibus, quibus testis non nisi post finitas actiones rogabatur, & facilius & frequẽtius fuit. Cæterũ quod Cicero in proximo exemplo dixit, Nunquã laborant quemadmodum probent quod dicunt: non hoc significat quemadmodum doceant, sed quemadmodũ probabile suũ testimonium esse videatur, & quam causam reddãt testimonii sui.

Is cui denuntiati testimonii dies testibus locúsque condictus est, obire diẽ, locum, horámque debet: alioqui per eius absentiam facta, æquè rata sunt, acsi præsente eo facta essent.

Consiliarii etiam aduocati dici possunt, quorum consilio res in iudiciũ cõtrouersas deducimus. Cicero Lẽtulo, Sed certè & ego te auctore sapiẽtissimo, & tu me cõsiliario nõ imperitissimo, fideli quidẽ & beneuolo certè vsus esses. Idem in Ver. Interea iste perturbatus, & ipse & eius amici & consiliarii. Idem ad Atticum, Itaque initur ratio ædificandi cõsiliario & auctore Vestorio. Verum ei qui in foro negotiũ habet, longe promptius est cõsiliarios inuenire, quàm auxiliarios, vt verbis vtar Plauti. Regum etiam sunt consiliarii. Idem ad Lentulum, Totam istam rem non inuito rege cõsiliariisque eius, esse cor-

ruptã. Plinius iunior, Consiliatores etiam vocat. Ille in his gerendis consiliator & auctor fuit. Idẽ, Habes ergo consiliatorem, & non metuis proditorem.

Testibus præscribere quid dicturi sint, est testes subornare. Testibus rogãdis testimonium verbis præire quod dicturi sint, vel Dictare testimonium. Et testes sic edocti, dictata reddunt inquisitori.

Implorare conscientiam iudicum, significat id quod sermone vulgi dicũt, De re tota me refero ad tacitam iudicum cogitationem. Cic. pro Flacco, Hic ego iudices, si vos AEmonensiũ decretis, si cæterorum Phrygum literis permoueri putarem, vociferarer, & quantum maximè possem cõtenderẽ, testarer publicanos, excitarem negotiatores, vestram etiam consciẽtiam implorarem. Id est, obsecrarem, vt in re iudicanda vestram mentem consuleretis, & è coniectura animi vestri iudicaretis, imò ex eo quod ipsi testari potestis.

Facinoris inuidiam fama vel hominum sermo in istum confert. Hoc est, Apud homines iste infamia huius maleficii flagrat.

Huius facinoris quæstio ad hunc aut illum delata est. Hoc est, Inquirendi commissio illi data, sermone Forensi.

Frãgere testem vel indicẽ reus dicitur cum eo cõpositus, cum valde suspectũ mẽdacii dimittit. Ci. pro Flacco, Reprehẽsus, cõuictus, fractusq; discessit.

Præcidere, Est ambigenti, & ancipitẽ sententiam ferenti, necessitatem exprimere deligendi vtram sequi malit. Vt si in alicuius causæ iudicio duæ sint partes inter se adæquãtes, & tertia sit paucorũ sentẽtia, iis ne iudiciũ irritum maneat vt anceps & æquis partibus diuisum, præcidere minima pars iubetur vtram in partem pedibus ire malit. Cic. in Acad. Peccata esse paria. At Antiocho hoc vehemẽtissime displicet: liceat tandẽ consulere, vtram sententiam sequar. Præcide (ĩquit) statue quod libet, διόρισον, ἀφόριζε, hoc est Delige quod placet definitè. Tracta (vt videtur) à fabris metaphora, qui quod sibi è materia sumere volũt, linea ducta præfiniũt, vel à vestis sericæ vẽditoribus, qui nõ antè lacerant quod emptum est, quàm præciderint. Præcidere igitur est præcisè dicere & statuere, Hoc Græce ἀποκόπτειν dicitur. Alciphr. in epist. τούτων σὺ τὴν αἵρεσιν ταλαντεύῃ. ὅπου γὰρ δύο ῥέπεις τὰ γνώμαι, ἅπαξ ἐκ δυοῖν ἀκολουθήσω. ἀποκόπτειν γὰρ εἰώθε γνώμην ἡ τῶν φίλων συμβουλὴ ἀμφίβολον.

Præcidere postulata, est planè negare. Cic. ad Atticum, Nunquã reo cuiquã tam humili, tã sordido, tam alieno, tam præcise negaui, quàm hic mihi sine vlla exceptione præcidit. Sic, post multã dilationum largitionẽ, curia præcidere in suprema dilatione solet vlterius supplicãdi spem, his verbis, Ea lege, vt omnino vltra non reuertatur. Plin. 8. epist. Cunctationem nec res ipsa desiderat, & temporis ratio præcidit. Id est, Præcise negat. Præcisum etiam significat Concisum & decurtatum. Et Præcise dicere, est Cõpẽdiose dicere. Cic. 2. de Diuinatione, Sed id præcise dictum, vt siquis dicat Atheniensium Remp. consilio regi: desit illud, Areopagi. Sic cum dicitur mundum prouidentia administrari, deesse arbitror, Deorum. Præcisa igitur causæ constitutio dici potest, cum iuridicialis controuersia triduo definita est, & citra cõtradicendi vicissitudinem, hoc est cõpendiario litis curriculo circunscripta.

In hoc crimine nihil simile criminis; Id est, In hac criminatione nullum

veſtigium maleficii.

Fraudatores,inficiatores,abiuratores,οἱ τὰ χρέα ἀπομόσαντες. Ci.ad Atticum, Tulliola noſtra me ſponſorem appellat. Mihi autẽ abiurare certius eſt,quàm depẽdere. Plau. Quibus nihil eſt niſi vna lĩgua,qua abiurãt ſiquid creditũ eſt; Cicero, Cum iudicatum non faceret, additus Hermippo, & ab hoc ductus eſt. Id eſt, In nexum, vt nunc In carcerem ductus eſt.

Vadimonio duriore in iudiciũ euocare. Vadimoniũ vt reo delato denunciare. Vadari vt criminis reum, vt maleficii delatum. Id eſt, Diem dicere perſonaliter obeundum, Diem dicere per ſemetipſum obeundum.

Legati,ſunt præfectorum prouincialium vicẽ præbentes,aut implentes. Id eſt, Suppræfecti, & Subiuridici, imò planè ipſi Iuridici, quãdo præfecturæ plerunque magiſtratus militares eſſe cẽſentur, nec togatorũ honores eſſe. Hos olim moris erat præfectos ſibimet ipſis legare, quaſi fiducia cõtracta iuris dicendi vicarios, nũc legationes huiuſmodi muneris ſunt regii. Cic. ad Cecinnam, Cæſar Caſsium ſibi legauit. Et ad Atticũ, Sed heus tu, ne ſis neſcius, Dolabella me ſibi legauit, ad IIII. Id April. Brutũ Galliæ præfecit, Sulpitiũ Græciæ. Legauit, id eſt, legatum ſibi fecit. Idem pro Flacco, M. Gratidius legatus, ad quem eſt aditum, actionẽ ſe daturũ negauit: re iudicata ſtari placere reſpondit. Id eſt, Quòd ſententia ſuũ ſortiretur effectũ, vt nunc loquimur.

Fiduciaria fundi poſſeſsio, eſt ea, qua creditor fundũ poſsidet vt pignus nominis. Et Fiducia, eſt ipſe fundus ſic poſſeſſus. Cic. pro Flacco, Pecuniã adoleſcentulo grãdi fœnore, fiducia tamẽ accepta, occupaſti. Hanc fiduciam cõmiſſam tibi tenes hodie, ac poſsides. Eũ tu teſtẽ ſpe recuperandi fundi paterni venire ad teſtimonium dicendũ coegiſti. Inde fiduciarium non multum abeſt à Precario, hoc eſt, parũ certo & fixo, & quod repoſci poteſt. Cæſ. 2. bel. ciuilis, Neque ſe ignorare quod eſſet officiũ legati, qui fiduciariã operã optineret. Curtius lib. 5, Præfectũ regionis eius Beſſum regem tẽporis gratia ſtatuamus. Cõpoſitis rebus iuſto regi tibi fiducia reſtituet regnũ. Vbi fiduciarium legi poteſt. Moris eſt in Frãcia, vt honorum magiſtratuúmque codicilli à regibus collatorum, in fiduciæ formulam concipiãtur, in hãc ſententiam, atque in hæc verba, Vt honore vel magiſtratu à nobis ornatus, tãtiſper hunc magiſtratum obtineat, dum id nobis cordi fuerit. Etſi legibus noſtris, aut moribus certis & receptis, magiſtratuum functio comes ſit vitæ inſontis.

Legitimo lucro pecuniam occupare, non fœneratò. Id eſt, Lucri ſocietate contracta collocare.

Integrum ſe iudicum quiſque ad vltimam cenſendi neceſsitatem ſeruare debet. Id eſt, Cenſendi vicem non delibare ante tempus: ne ſi quippiam interloquendo præiudicati exprompſerit, manifeſtus ſit conceptæ intus ſententiæ, cum eo quoque, vt quodammodo poſtea obnoxii ſit iudicii. Cic. pro Flacco, Et ego me ad id quod attulerit, integrum reſeruabo.

Standum duorũ teſtiũ dicto, ſi fide integra eſſe videantur. Sic, Stãdum iudicis ſententia, pro re iudicata ſemel habita. Et, Standũ eſt curiæ auctoritate iuridicis obnoxiis. Plautus, Quin coniectores à me conſiliũ petunt. quod eis reſpondi, ea omnes ſtant ſententia. Quintil. Quare ſi verbis legis ſtari nõ po-

test, voluntate standum est. Vlpianus, Si venditor nominatim exceperit de aliquo, standum eo quod conuenit.

Perscribere quippiam alicui, significat nomini eius ascribere: vt, Sacculos litis in actis cuidam consiliario perscribere. Terent. in Phorm. Næ ego perscripsi illis porrò quibus debui. Cic. pro Flacco, Cum illam pecuniam nominatim Flacco datam referant, maiorem etiam aliquam in ædem sacram reficiendam perscripsisse dicunt.

Missum me fecit in iudicio. Id est, Ait se nihil à me petere.

Res diu multùmque tum altercando, tum scriptitando disceptata.

Lis princeps liticulâ subnatâ implicata est. Sermone forensi, Incidens retardat principale. vel, Summa controuersiæ præscriptiunculâ implicata est & præpedita.

Venit hæreditas à maioribus, & obuenit. Cicero, Quid? ab ingenuis hæreditates non veniunt? Varro, Quid potero facere, si huiusmodi fundus hæreditate mihi obuenerit? ἐὰν ὑπάρξῃ. Cicero; Obuenientia bona homini, ab alio conferuntur, vel aliunde deferuntur. obuenit hæreditas: philosophia homini non obuenit, sed eam sibi quærere debet à seipso.

Aculeum sententiæ suæ in aliquem conijcere. Hoc est, Taxare eum inter sententiam dicendum. Cic. Itaque eodem M. Lurco meus familiaris conuertit aculeum testimonii sui.

Parentare manibus cæsorum, aut vi oppressorum innocentium, iustitiæ est litare præcipuè. Quod vtinam & summæ iurisdictiones, & ii ad quos huiusmodi sacri curatio pertinet, id est regii cognitores & aduocationes publicæ, pro rei dignitate animaduertendum ducerent.

Recusatio iudicis & disceptatoris, & Reiectio, pro eodem dicitur. Cic. Pop. Ro. disceptatorem non modo non recuso, sed etiam deposco. Sic dicere possis, Huius rei disceptatricem curiã deposco & flagito. Id est, postulo vt disceptationis suæ curia hanc controuersiam faciat.

Homo negotiosus multa gessit, plurima contraxit, cum multis rem habuit, cum permultis rationes suas miscuit, compluribus pactionibus & repromissionibus implicatus est.

Criminose intendere quod ciuilem persecutionem habet. Hoc est, Criminí vertere quod ciuilis est cognitionis.

Tentata est iurisdictionis auctoritas hoc facinore suscepto. Hoc est, Susceptũ est hoc facinus, vt iurisdictionis & iustitiæ reuerentia peffundaretur, vel imminueretur. Tentatur id quod periclitatur, & labefactandũ suscipitur. Liuius, Vastati agri, periculorúmque imminẽtes causas in se congesturos: tentationẽ eam esse aboléd i sui magistratus. Cic. pro Rabi. Hîc ego vos nõ prius implorabo Equites Ro. quorũ ius hoc iudicio tẽtatur, quàm vos Senatores, quorum agitur fides in hunc ordinem. Tentatur (inquit) ius vestrũ hoc iudicio. Id est, ius equestris dignitatis in discrimẽ ab istis adducitur hoc iudicio. Si enim Rabirius Eques Ro. repetundarũ lege iudicabitur, iudiciũ in totum ordinem valebit, tamen lege Iulia nõ tenetur. Tẽtatur ergo ius ordinis, quo iure ordo equestris exemptus est pœnæ legis Iuliæ. Tentare, etiã est Aggre-

di. Idem in Verrem, Idcirco ſuum decretũ pecunia eſſe tentatũ. Id eſt, Nummarium efficere decretũ ſuum conati ſunt corruptores iudiciorum. Tentare etiã, Inuadere, infeſto animo petere. Idẽ pro Rabir. Idcirco in omnibus his euertẽdis vnius hominis ſenectus, infirmitas, ſolitudóque tentata eſt. ἐπιχειρῆσαι. & Tẽtare, ἐφίεσθαι, ἐπιβάλλεσθαι, Conari aliquid efficere aut impetrare. vt, Aduerſus areſtum curiæ tentata nequicquam prouocatio. Idẽ pro Roſcio Amerino, Etenim quid aliud hoc iudicio tẽtatur, niſi vt id fieri liceat? Et pro Flacco, Niſi fortè, quid hoc iudicio tentetur, quid agatur, iudices, nõ videtis. Liuius, Tentata pauliſper interceſsio eſt à Tribuniſpl. Idem, Vt qui probè noſſet nouum militem hoſtium ne tentando quidem ſatis certamini fore.

Diœcetæ vno verbo dici poſſunt omnes prouinciarum iudices & præfecti, quos Bailliuos, quos Seneſchallos, Præpoſitos, Gubernatores vocamus. & Diœceſes, eorum Præfecturæ. Cic. pro Rabi. At Diœcetes fuit regius, & quidem cuſtodia fuit regia. Idem lib. 13. Epiſt. Ex prouincia mea Ciliciensi, cui ſcis treis diœceſes Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius vſus. Cicero Præfecturas appellat, Hic ex præfectura Attinati, non tam priſca, non tam honorata, non tam ſuburbana.

Vis illatæ in fundos alienos etiam capitalis, plerunque impunitas eſt locupletibus à ſupplicio, ſi modo pœnas pendere inter ærarios non recuſarint, litíſque æſtimationem dependere.

Studium fuit, nõ iudicium, noſtræ cauſæ iudicatio. Id eſt, Coitione & ambitu iudicata fuit. ex Cicerone. Contrà, In hoc iudicio valuit ius, non gratia: valuit æquitas, non gentilitas potens & gratioſa.

Sæpe in cauſa facili & explicata, intentionis ratio aut defenſionis aut perplexa aut lubrica ſuſcipitur aduocatorum aut errore aut neglectu & incuria.

Auctionem bonorũ decoctoris pronuntiare, Proſcribere moribus, & peruulgare. Sermone vulgi Cridas modo ſolito facere, & Programmata affixa.

In facti cõtrouerſia intercedebant ab vna parte indicia ſolida & expreſſa, & ſigna veritatis inuſta: ab altera, tantum argumẽta quædam fucata, inani ſpecie coniecturæ, & planè ludibria, veritatis primore tantùm aſpectu fallentia.

Iudex inceſſu Cenſorio, forenſi ſpecie viſendus & ſpectabilis: ſilẽtio tamen grauior & decentior, quàm iuriſdictione ſcita, & diſceptatione diſerta.

Edititii iudices ſunt, qui à partibus nominati ſunt. Cicero pro Plãcio, Neq; enim aliud in hac lege quàm editìtios iudices ſecutus es. Quod genus iudiciorum ſi eſt æquũ vlla in re niſi hâc tribuaria, nõ intelligo quamobrem Senatus hoc vno in genere Tribus edi voluerit ab accuſatore, neq; eâdẽ editionẽ trãſtulerit in alias cauſas. Quod ideo Cic. dicit, quia in ſolo crimine ambitus hoc fiebat, vt Tribus ab accuſatore ederẽtur, è quibus iudices ſumerẽtur.

Edere teſtiũ nomina, ſignificat Declarare teſtes qui dicturi ſũt teſtimoniũ.

Ingenti & longa declamatione cauſam agere, vel Declamatione aliquid contendere, Eſt vehementius & concitatius cauſam orare. Cic. pro Plancio, Deſinamus aliquando vulgari & peruagata declamatione contẽdere. Et pro Roſcio Amerino, Niſi forte expectatis, vt illa diluam, quæ mihi iſte viſus eſt ex alia oratione declamare.

Conferre pedem in causa, Est quod dicunt Iungere, verbo vulgi, & ingenuè strenuéque ingredi in causæ summam. Non possum magis conferre pedem (quod aiunt) aut propius accedere. Cui opponitur Cessim ire, & tergiuersari. Translatio est à conflictione militari.

Non contemnenda pars iudicii & catastrophes controuersiæ, in sententia inspectoris, & expositoris sita est. Prærogatiuam enim sententiam sequi in causa iuris aut facti paulò magis ambigui, satis est in procliui.

Prolatum causæ consilium in primum quenque diem. Sermone forensi, Continuata causæ disceptatio in eum diem, quo primum cogetur consilium & concessus ad iudicandum.

Offensiunculam cum quadam sugillatione causæ defensor accepisse dici potest, cum clientem suum inconsultè in mulctam sexagenariam adduxisse visus est. Id est, Cum non sine pudore victus est.

Causa adeò superior erat actoris, vt omnia propè puncta, imò verò totam classem non dubie tulerit. Cic. Philipp. 2, Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum cum es factus, vnam tribum sine Curione ferre potuisses? Et Philip. vndecima, Qui cum belli gloria & virtute superaret, duas tantum Tribus tulit. Idem pro Murena, Tamen admonitus re ipsa recordor, quãtum hæ conquestiones in Senatu habitæ, punctorum nobis detraxerint. Id est, Quot suffragia nobis ademerint. Et pro Plancio, At nonnullas Tribus tulerunt punctis penè totidem.

Duobus punctis superiorẽ esse oportet in curia, qui aresto vicisse se cõtendat. Vel, Is demũ aresto victor est, qui plus duobus pũctis tulit. Hoc est, Adæquasse videntur iudices, nisi altera pars plus vno pũcto superauerit. Quin & is qui duobus tantũ pũctis plus tulit, In angustum venisse dicitur, vel in angustias. Ci. pro Plãcio, Ais prioribus comitiis Aniensem à Plotio, Terẽtinã à Plancio tibi esse concessam. nũc ab vtroque easa uulsas, ne in angustum venirẽt. Id est, Ne paucis suffragiis superiores essent. Idẽ, Etenim verebãtur credo angustias, quasi res in cõtentionẽ, aut in discrimen aliquod posset venire.

Edicto adesse iussus die dicta. Id est, Personaliter euocatus, vt in foro loquuntur. Cic. in Ver. Edixit vt intra Cal. Decembris Sthenius adesset. Et Edicto Curiæ reum delatum vadari, Edictali vadimonio euocare, Edicto vadimonio hominem pignerari.

Præiudicium ad causam comparatũ. Cic. Cur nõ eius damnatione aliquid ad hoc præiudicii comparasti? Præiudiciũ est iudicium præteritũ, quod sequenti necessitatẽ affert similiter iudicãdi. Vt idẽ pro Cluent. Videris (quod iam hac omni oratione patefactum est) illo iudicio illũ condemnari (præsertim ab iis iudicibus qui duo præiudicia fecissent) necesse fuisse. Idem, Cur nõ Habiti exemplo vsus es, vt per illum qui attulisset venenũ, de hoc præiudicaretur? Id est, vt si iudicatũ esset venenum esse allatum, præiudicium fieret in accusationem veneficii secuturam? Et ad Brutũ, Quod enim Senatus nõdum censuit, id ego arroganter non præiudico, neque ad arbitriũ meum reuoco.

Testes intra diem dilationis iureiurando adacti, post diem dicere testimonium possunt.

Index prius accepta à iudice fide haud futurum noxæ capitali indicium, omnia simpliciter prodidit.

Si te testium paucitatis vel fidei pœnitet quibus testimonium denuntiasti, & integrum est aliorum nomina edere, qui copiam sui faciant, necdum iustum numerum legitimúmque impleuisti: ne committas vt causam tuam inerrer prodidisse videare. Id est, Si vereris ne exigua sit à te profecta probatio, vel quòd numero pauci sint testes, vel quòd parum locupletis testimonii. Cic. in Acad. Quid eum Mnesarchi pœnitebat? quid Dardani? qui erant tum principes Stoicorum? Id est, Nunquid principum philosophorum auctoritatem parui ducebat? Idem in præfat. Officiorũ, Tandiu autem discere velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Id est, Quandiu existimabis eius disciplinæ tibi rationem constare.

Ad decidendam litẽ me impulit, quòd consultorum opinione non pœnitendo iure aduersarii mei causa nitebatur. Id est, Nõ aspernãdo, nõ floccifaciẽdo. Liuius, Domi militiæque sub haud pœnitẽdo magistro, ipso Anco rege, Romana se iura, Romanos ritus didicisse. Sic dicere posis, Homini litiũ fugitãti, forense pistrinũ grauatè versanti, homini rerũ forensium prudenti, aleámq; iudiciorũ æstimanti, oblata litis decidẽdæ cõditio nõ pœnitẽda visa est. Curtius, Malo me fortunæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat. Id est, Malo calamitosum mihi exitũ esse pugnæ, quàm pudendã victoriam contingere.

Huiusmodi causam habeo, quæ iudicis potius æqui & boni amãtis ponderibus examinãda sit, quàm hominis iuris supra modũ consulti & retinentis.

Durum est iudicio contendere cum homine in foro gratiosissimo.

Adesse in consilio iudici ii dicuntur, qui Assessores vocantur, & quos sibi iudex aduocat ad causam cognoscendam.

Hæreditatem cernere hominis qui æris sui parum, multum alieni reliquit, hominis est imprudentis. Cic. pro Quintio, Cum æris alieni aliquantum esset relictum, quibus nominibus pecuniam curari oporteret, auctionem in Gallia P. Quintius Narbone se facturum proscribit. Id est, Ob quæ debita, pecunia creditoribus conficienda erat.

Deciditur lis & transigitur, & Deciditur id quod trãsigẽda lite promittitur, vel traditur. Cic. pro Quintio, Cum pecuniã Quintius Scapulæ debuisset, per te Aquili, decîdit, quod liberis eius dissolueretur. Id est, Partem petitæ vel debitæ pecuniæ promittit. Idem, Decidis tu Aquili, statuísque propter necessitudinem, quæ tibi cum Scapulis est, quid iis ad denariũ solueretur. Et Decisum, pro Pacto & transacto. vt in Verrem, Quibus omnibus actis atque decisis, è carcere producuntur. Sic Vlpianus Iurisconsul. in tract. de Furtis, Siquis pro fure damnum deciderit. Et rursus, Si alium pro fure damnum decidisse proponatur. Cic. pro Roscio, Hanc ei rem priuatim cum Chrysogono transigeret, atque decideret. Idem, Tu tuam partem magno decidisti.

Destituti dicuntur ii, quibus fides non præstita est. Et Destituere, est Fidem promissam fallere. Cic. pro Cluentio, Contrahit frontem, queritur se ab Oppianico destitutum. Idem, Vt eos qui leuiores erant, destitutione iratos Oppianico redderet.

Debitorem egẽtem, & in angustiã æris alieni adductũ, suis & iniquis conditionibus in articulo constringere, improbi est creditoris. Cic. Iste vir optimus, qui hunc in summas angustias adductũ putaret, vt eũ suis cõditionibus in ipso temporis articulo astringeret, &c. Terẽt. in Adelph. Illuc vide, vt ipso in articulo oppressit. Ammianus, Inter tot articulos necessitatis ancipites.

Vadimonia spe controuersiæ componendæ sæpe dilata. Id est, Pars ad diem vadimonii non appellata. Et Vadimonium ob iustam causam ampliatum. Causa (inquiunt) continuata est in primum diem.

Is cui denuntiatum curiæ decretum, respondit curaturum se, nequid per imprudentiam admittar, quod sibi fraudi futurum sit. Vulgo dicunt, Videro, nequid perperam committam.

Interim causæ iustitium decretum, vel Inter partes conuentum. Sermone forensi, Causa in statu tenebitur.

Vadari aduersarium, & Vadimonium promittere, Assignare diem, & Accipere diem ad sistendum. Cic. Se iam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere. Siquid secum agere velit Quintius, non recusare. Idem, Hic cum Gallicam rem reuisere cuperet, in præsentia hominem nõ vadatur. Ita sine vadimonio discedítur. Cum cæteris quæ habebat vadimonia, differt. Id est, Paciscitur de vadimoniis interim sustinendis, hoc est, In statu tenendis, vt vulgo dicunt. Iuuenalis, -horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.

Missum facere vadimonium, vulgo Discedere ab assignatione dicunt.

Eremodicii gratiam facere, De iure eremodicii decedere, Eremodiciũ non exigere vel persequi.

Dies erat, quo die vadimonia deserta, & cõuenta destituta vociferatu recitantur. Id est, Dies defectuum appellandorũ. Duorum autem generũ sunt eremodicia. Ob vadimonium enim desertum, & ob conuentum destitutum eremodicium pronuntiatur. ídque fit, cũ series agitandæ litis, & causæ ductus formularis & legitimus interpellatur ab eo qui prolatare cupit cõtrouersiã. Conuẽrum destitutum appello, etiam si non inter partes conuenit id quod faciendum est ad litẽ deinceps pertexendam, sed etiã si iudex intersatus fuerit. Appunctamentũ enim vtroque modo in foro appellatur. Et qui ad diem præsto sunt, contra eos qui eiusce rei causa nõ stiterũt, eremodiciũ pronunriari secundũ se flagirant, vel iustum & semel pronunriandum, si iterũ diem condictũ vel constitutũ destituit is qui non stitit, vel suspẽsum ex formula, & quod circunductile est antequam geminatum est. Intentionis autẽ recũsandæ ac depellendæ facultas præcisa est ex formula defensori, quẽ cõtra eremodiciũ huiusmodi datũ est petitori. Adeò is qui culpa sua præsidio præscriptionum & exceptionum legalium mulctatus est, vnicum habet subsidium in inficiatione, quod quidem ad iurisdictionis rationem attinet. Verum ad causarum morbos remedia in officinam æquitatis non semel, sed iterũ, tertiúmque interdum petuntur, & mendaciis impetrantur conquisitis, commentisque in dies aliis atque aliis contra seueritatis sanctionúmque scita.

Viro prudẽti non cõuenit, secus de causa sua iudicare, & nihilo secius vlti-

ma iudiciorum experiri velle, siquidem dirimendæ commodius controuersiæ conditio offertur.

Informatam causam esse oportet iis quibus vti velis cōsultoribus, vel quos ferre iudices: & arbitros aduersario tuo. Id est, Oportet eos formā litis institutæ vel instituēdæ cognoscere, si commode cōsulturi sunt. Cic. pro Quintio, Neq; tamē multa verba faciā, propterea quod ab eo qui ante dixit, informata causa est. ἐκτετύπωται. Est enim informatio ἐκτύπωσις, & formæ impressio, vel descripta & deliniata rei imago. Vt idē de Nat. deorū, Habebā animo insitam informationem quandā Dei. Et in Oratore, Ac primo informandus est ille nobis, quem solum vocant Atticum. Et in finibus, Hæc erant summatim dicenda, quibus quasi informatum est, quid hominis natura postulet.

In causa desideratæ sunt auctoritates literarum. Id est, Defecta causa fuit titulis & documentis.

Nec me nec meam aduocationem pœnitet quantum auctoritatum protulerim, quot quibúsque testimoniis vsus sim, quo iure causa mea nixa sit: sed metuo ab ambitu forensi, & à quibusdam iudicum nimium æquis causæ inferiori. Cic. in Ora. de orationibus suis loquens, Quæ qualiacunque sint in me (me enim non pœnitet quanta sint) sed apparent in orationibus.

Extra ius debitorem appellare, id est, Ante dictatum iudicium pecuniam creditam flagitare, quod comitatis est ciuilis.

Qua de re agitur, Qua de re controuersia est, Quod agitur in causa, Quod in iudicium deductum est. Cic. Si dipondius tuus ageretur, si in paruula re captionis aliquid vererere: non statim ad eorum aliquem qui consulunt, cucurrisses? Idē 1. Rhet. Firmatur similitudine eius rei qua de re agitur, ad eā rē qua de re iudicatū est. Idē in Top. Quibus autē hoc qua de re agitur, continetur, Cōtinentia vocantur. Alibi, Qua de re agitur autem illud quod multis in locis iurisconsultorum includitur formulis, & vbi esset, videbat. Varro nouo modo vsus est, Emptor (inquit) stipulatur illasce oues qua de re agitur, rectè sanas esse. Id est, De quibus. Quod figurate sic dictum est, vt illud Ciceronis in Prӕt. vrb. Negotium dat illis nequissimis comitibus, vt videant & inuestigent, ecquæ virgo sit aut mulier digna quamobrem Lampsaci diutius commoretur. Cæsar, Multæ res eum hortabantur, quare eam rem sibi agitandam, sibi & suscipiendam putaret. Cic. de Fato, Quid est, cur non omnis pronuntiatio aut vera, aut falsa sit? Idem ad Trebat. Iuriscon. Ego omnibus vnde petitur, suaserim binas aduocationes petere. Vnde, pro A quibus dixit.

Domū denūtiāda auctio, atq; etiā homini. Cic. Si latitare ac diutius ludificari videatur, amicos cōuenire, quærere quis procurator sit, domū denūtiare.

Ait me aduersarius latitasse. Si domi, si in vrbe, si in suburbanis locis tribus mensibus fui, causæ nihil dico, quin latitator, ludificator, iuris detrectator esse videar.

Qui locus primus absentis defēdēdi amicis datus est, occasio nō omissa est.

Primus gradus cognitoris officii fuit exemplum intentionis de petitore noscere, vt denuntiet ei vnde petitur, & vt commentarium defensionis ab eo accipiat. deinde ex commentario præscribere, aut aliàs recusare.

Si in causa mea procuranda cognitoris officia in articulis temporum litisque constitissent, felicius mihi res forenses cessissent.

Diem inquisitionis inchoandæ, & testium iureiurando adigendorum ex composito aut sententia inquisitoris constituere.

Iudicium absentis nomine accipere cognitor paratus erat, sed non in ea verba quæ ab actore edita erant, aut nuncupata. Id est, Sed de personis intentionis disceptatio, vel qua de re ageretur, constitui non potuit. hoc est, de re controuersa, vel de qualitatibus. Cic. Fateor enim Alphenum vadimonium promisisse: iudicium quin acciperet in ea verba quæ Neuius edebat, non recusasse, ita tamen, more & instituto.

Cognitor litis iudicatæ secundum diuersam partem, si appellauerit superiorem iudicem, perfunctus officio suo censetur: nec iudiciũ accipere in prouocationis causa cogendus est. Id est, Defendere.

In exordio statim litis cõstituẽdũ est in quæ verba, in quæ nomina, in quas personas iudiciũ dictatũ sit & acceptũ. vel, Quibus verbis, quibus nominibus personisq; cõtrouersia informetur. Quod Cõuenire de qualitatibus dicũt, Ci. Cuius procurator nõ omnia iudicia accepit quæ quisque in verba postulauit.

Huius sententiæ ratio nemini iurisperito, & vsus forẽsis callẽti probari potest. Id est, Nemo non eam sentẽtiam vt iniquam improbat. Id quod si probari nemini potest, certe probari necesse est defensum esse iudicio absentem.

Sententia iamiam pronuntianda est, nisi quid inter litigantes conuenerit. Id est, Nisi litem composuerint.

Appellationes frequentiores intercedunt morandi iudicii causa, quàm auxilii. Cic. Quid si M. Brutus intercessurũ se dixit palàm, nisi quid inter ipsum Alphenum ac Neuium conueniret? Videturne intercessisse appellatio Tribunorum non moræ, sed auxilii gratia?

Par ius non esse alicui cum aduersario, nec parem cõtentionem aut certationem esse, Cicero dixit de eo qui inferior erat gratia, opibúsque forensibus.

Iterum, tertium, quartúmque, & sæpius appellare contingit: sed sæpe appellationes crebræ magis quàm multæ sunt, tum scilicet cum eodem à capite manant, & deinceps intercedentes, quas Adhærentes vocant.

Cic. Huic, ne vbi consisteret quidẽ, cõtra te locũ reliquisti. Id est, Ius suum obtinere non potuit, tuorum amicorum factione exclusus à iuris præsidio.

Aqua processus hærere in foro dici potest, quando litis curriculum inhibitum est diuersæ partis ludificatione, aut aliquo euentu incommodo.

Creditores ad bonorũ proscriptionẽ cõueniẽtes, certatim intercedere institerũt, causásq; intercessionis edere. At verò multiplici iam cõtrouersia intercessionũ informata, prouocatione ab eo intercedẽte, cuius bona auctione vænum ibant, consistere auctionarium processum & inhiberi contigit, præsertim nihil iam vrgente creditore primario, qui auctionis caput erat.

Proscriptio bonorum lentè ac sine capite manans dici potest, quando nullus eam persequitur.

Cũ ad auctionis clausulã vẽtũ est, ad ipsúmq; diẽ addictoriũ, moris est plerunq; eos qui licẽtur, nõ sibi, sed amicis mãdatoribúsve liceri. Auctione autẽ

dimissa, eum cui aut ædes, aut prædia addicta sunt, eum mandatorem edere, cui operam accommodarunt, vt is ad acta se mandatorem agnoscat: deinde quæ assolent suo nomine agere.

Vide ne causæ iudicium aliis super alias frustrationibus prolatando, statuas te secus de iure tuo iudicare. Id est, Ne manifestum temetipsum facias mentis male sibi consciæ. Cic. pro Quintio, Quid si tu ipse Sexte Neui, statuisti bona Quintii ex edicto possessa non esse? Id est, Si ex iis, quæ dixisti ac fecisti, iudicari potest bona ex edicto non esse possessa. Ibidem, Obsecrauit vt secum aliquid qualibet, dum modo tolerabili, conditione transigeret. ἐδεήσατο αὐτοῦ συνθέσθαι τι μετ᾽ αὐτοῦ ἐπὶ ῥητοῖς, ὡς ἂν τύχοι, μὴ μέντοι δυσποίστως.

In subsellio meo sedebas, & ab diuersa parte dicebas. Id est, Cum in aduocatione mea numerareris, tamē adesse videbaris aduersario. Cic. pro Rosc. Amer. Horum alterum sedere in subselliis accusatorum video.

Obsecrauit suppliciter curiam, vt causam euocatā inde velit, vbi ius suum obtinere non potest. Cic. Orant vt mortui famam, & filii innocentis fortunas conseruatas velit. Vulgo dicunt, Quod placitum eius sit.

Adpromissor est, qui cōsponsor est, sicut Astipulator qui cū alio stipulatur.

Criminosa ac suspiciosa causæ actio, sermone forensi, Oneratrix & Taxatrix dicitur. Cic. Cum enim aliquid habeat quod possit criminose ac suspiciose dicere, aperte ludificari ac calumniari sciens non videatur. ἐγκληματικῶς τε καὶ ὑφορατικῶς. Criminosus etiam homo dicitur, qui libens criminatur. Cic. in Partitionibus, Conquerenda conditio communis periculi, si ingeniis criminosorum hominum sit exposita vita innocentium. Id est, τῶν κατηγορητικῶν, καὶ φιλοκατηγόρων. Vt in Bruto, Orator acer, acerbus, criminosus. Id est, Criminum exaggerator, δεινοτικῶς φιλεγκλήμων.

Curiæ dignitati illudere dici possunt, qui nugatoria, & auribus curiæ indigna proloquuntur aut scribunt.

Iudicio circunueniri dicuntur, qui factione & ambitu forensi cōdemnantur. Cicero pro Cluent. Hanc ipsam legem, nequis iudicio circunueniretur, Gracchus tulit. καταστασιασθῆναι ἐν τῷ δικαστηρίῳ. De quo satis diximus in Annotationibus in Pandect. A Græcis etiam ἡ περὶ τὰ δικαστήρια σπουδὴ, καὶ παρασκευή dicitur, πλέον τῶν νόμων ἰσχύουσα.

Criminoso nomine in iudicium arcessere, Est Criminosam actionem intendere in aliquem.

Suspicio criminis pertinet ad aliquem vel attinet. & Suspicio non conuenit in aliquem, id est, Non est credibile crimen, Non cadit in eum suspicio. Cic. Neque reperiebatur quisquam ad quem ea suspicio pertineret. Idem, Erat porro nemo in quem ea suspicio conueniret. Alibi, Potest huic hærere peccatum? Id est, Potéstne suspectus esse criminis?

Cassianus iudex pro Seuero & inexorabili dicebatur. Ci. in Ver. Nō quæro Cassianos iudices, veterē iudiciorū seueritatē nō requiro. Idē alibi, Dabis etiā illum, quem tu in cohorte tua Cassianū iudicē habebas. Et pro Rosc. Amer.

Exequi imperiū iudicis, & Exequi rem iudicatā, verbo antiquo dicitur. Liu. Cēturionibus datū negotiū erat, vt sine mora imperia exequerētur. Tacitus,

Cerealis parum temporis ad exequenda imperia dabat. Cicero in Philip. Quem exequi mandata vestra properantē, postridie prosecuti sumus. Exequi iudicis officium, est Perfungi officio iudicis. Idem de Masinissa, Itaque omnia exequitur regis officia & munera. Id est, Implet.

Sanctissima iura violare, Nunc Sancta decreta vocamus.

Aditus omneis iuris postulandi aut experiundi intercludere. Nūc dicunt, Claudere accessum iustitiæ.

Aduocatum rei controuersæ partem cum cliente depacisci iure improbatum est. Pacisci de quota litis vocant.

Litis machinator & architectus sui quæstus & cōmodi causa factus, qui cōmentarios instituendæ litis confecit, vt in lite quæstum & capturas faceret.

Iurisdictionis dignitas, dissoluta paulatim seueritate vehementer laborat.

Homo copia & facultate iuris fretus, negligentius in causam incubuit. vnde noxam non mediocrem causa ipsa contraxit. Cic. Sed ego copia & facultate causæ confisus, vide quo progrediar.

Aduersaria proferre, nō tabulas, aut syngraphā vltima manu cōfectā & cōsignatā. Minutas sermo vernaculus appellat. Aduersaria autē sunt è quibus codex & tabulæ postea absoluūtur. Cic. pro Rosc. Comœ. Vsq; adeóne te diligis, vt pecuniā non ex tuis tabulis, sed aduersariis petas? Suū codicē testis loco recitare, arrogātiæ est: suarū liturarū & perscriptionū aduersaria proferre nō amētia est? Quòd si eandē vim, diligentiā, auctoritatē habēt aduersaria quàm tabulæ, quid attinet codicem instituere? cōscribere? ordinē conseruare? Tabulas & Codicem appellat, quod sermo vulgi Grossam appellat, authēticámque formam, de rationū codice loquēs. Aduersaria autē id quod Scheda in cap. Cōtractus, de fide instru. à Iustiniano dicitur. Sic Inquisitionis codex est, qui vltima manu expolitus est. Aduersaria autē inquisitionis, sunt dicta testium ex tempore perscripta. Huiusmodi sunt ferè quæ Regesta à Fabio dicuntur lib. 3. vnde Registra vernacula lingua vocabulū duxit. Et Regerere, verbum, apud eum, pro ex tempore excipere, καὶ ὑπομνηματίζειν. ἐσχεδιασμένως. Aduersaria (inquit Cicero) menstrua erant, tabulæ autem, æternæ.

De arcano prodito, de amici fide falsa & adulterata, nulla actio in iure prodita, nullum ius, nulla formula constituta. Id est, Ad iudicem ob hasce res nullus potest dicam scribere. Cic. Fraudabat te in societate Roscius? Sunt iura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ.

Siquis rē iudicatā refricet, hac præscriptione iudiciū recusandū est, Actum agere ius nō est. Vel si antiquo more loqui placet, his verbis exceptionis formula concipienda, Extra quam si actū agere instituis. Sic Vlpian. in c. pri. De fluminibus, Sed ita excipiendū ait, siquid ita factū sit, vti lege fieri licuit. Cic. in 2. Rhet. Agit is cui manus præcisa est, iniuriarum. Postulat is quicū agitur, exceptionem, extra quam si in reum capitis præiudicium fiat. Id est, Præscriptione vtitur actionis ciuilis occupatæ maiore iudicio; id est de vi publica: cui Præiudicium fieret, si damnaretur iniuriarum, vel absolueretur reus.

Qui nexu se astrinxerat, ad extremum ad aram cessionis perfugit, cum antè ad surdam aut inanèm aram prouocationis nequicquam confugisset.

Auferre, verbũ, significat Iudicio vel trãsactione cõsequi. Cic. pro Rosc. Cõ. At præclare negotiũ suũ gessit Roscius, fundũ fructuosissimũ abstulit, fundũ & tu aufer. Idẽ, Magno (inquit) tu tuã partẽ decidisti, magno & tu tuã decide. Id est, Si Roscius bona cõditione transegit, quatenus res ad eũ pertinebat: & tu similiter facere potes. Idẽ, In hanc rem (inquit) me cognitorem dedisti: lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cũ Flauio decidisti. His verbis liquet cognitorẽ, procuratorem esse ad litem constitutum.

Nulla mihi vnquam ratio cum eo intercessit, pro eo quod est, Nihil mihi negotii cum eo vnquam fuit.

Eiusdem rei duorum emptorum potior eius est causa, qui prior ita mancipio accepit, vt frueretur.

Ferre iudicem, est Arbitrium deferre vel iudiciũ. Cic. Quem ego si ferrem iudicem, refugere non deberet: cum testem ptoducam, reprehẽdere audebit? Id est, Refellere & recusare. Arbitrum autem Cicero semper pro Compromissario accipit, quẽ plerunque Honorariũ ideo vocat, quòd Arbitriũ etiam pro Iudicio dicebatur, vt Arbitriũ pro socio, vt Arbitriũ tutelæ. Quis vnquã (inquit) ad arbitrũ, quantum petit, tantum abstulit? Id est, Apud familiarẽ & domesticum disceptatorẽ, vt ipse in Oratione pro Cecinna. ἐφ' αἱρετοῦ διαιτητοῦ. Quanquam & ipse Compromissi vocabulo vtatur in Oratione pro Roscio. Et in Verrem, Pœnis compromissi interpositis. Id est, ἐπιτετραμμένης δίαιτης.

Firmissimis enim & sanctissimis testimoniis causa Roscii cõmunita est. Ci.

Abroganda fides testi, qui iudicio ignominioso dãnatus est. Cic. Si tibi deliberatũ est quibus abroges fidẽ iusiurãdi, respõde, Mãlio & Luscio negas esse credendũ? Derogare autẽ fidẽ minus est quàm Abrogare, hoc est, Plane refellendũ cẽsere. Cic. pro Rosc. Amer. Neq; enim mihi tantũ derogo, tametsi nihil arrogo, vt te copiosius, quàm me, putẽ posse dicere. τοσοῦτον ἀφαιρῶ ἐμαυτοῦ τῆς ἀξίας ἢ δοκήσεως. Quædã igitur refutationes testiũ, fidẽ planè abrogãt, si ꝓbẽtur: & hæ in foro Bonæ vocãtur & prænotãtur. Quædã nõ prorsus abrogãt & demũt fidẽ, sed tamẽ labefactãt, & hæ aut Vehemẽter, aut leuiter prænotandæ dicuntur, pro vt vehementer aut leuiter fidem eleuãt. Aliæ sunt Trãslatitiæ, & è locis cõmunibus sumptæ, vt si à leuitate, ab egestate, à natione ductæ sũt.

Qui fide bona litigat, & ad extremum litis actum scopum suum direxit, sibi semper & aduersario & iudicibus instat. Qui autem catastrophen timet, ex lite lites serit, & in eadem lite diuerticula multa quærit liticularum, argumentum extrahens quàm potest longissime.

Cum homine cõtrouersioso, qui sibi multum litibus accreuisse sperat, indeq; patrimonium lautius & vberius posteris relictũ iri, graue & molestum est negotium habere.

Palam curiæ concessu coronáque, pecuniæ, mulctæ, litisque æstimationis damnari, proximum est ignominiæ.

Syngrapha iudicialis, aut Decreta est, id est, Iudicis decreto perscripta: aut Inter partes cõflata, vel quæ inter partes conuenit, vel Quæ cõsensu partium trãsacta est. vulgo Appunctamẽtũ volũtariũ dicitur, & Extraiudiciale. Perscriptiones iudiciariæ etiam dici possunt, quando inter partes cõuenerunt, &

in actis perscriptæ sunt.

Vadimonii desertores, Circūscriptores, Testamētorū subiectores, Nepotes, Asoti, Iuuētutis corruptores, AEre alieno oppresi, Decoctores, & Qui solū verterūt, Quadruplatores, Iuuētutis illecebrā circūferētes, Inficiatores, Abiuratores, Raptores, Sicarii, Percussores, Aleatores, Excursores, Grassatores, Prædones, Latrones, aliūni sunt carceris, & ordines ducūt custodiarū. Excursores sunt quos Volatores vocāt. Cic. Philip. 4, Est igitur Quirites pop. Ro. omne certamen cum excursore, cū latrone, cum Spartaco. Et Excursio, Volatura vulgo dicitur. Idem pro Deiotaro, Eas copias Deiotarus habuit, vt fines suos à latrociniis & excursionibus hostiū tueretur. Et De diuinatione, Illi quorū animi spretis corporibus euolant atque excurrunt foras. In Verrem autem, act. 3, Excursores & Emissarios pro iisdē posuit. Id est, pro Furtorum Prætoris conciliatoribus & interpretibus concussionū & impresionū. Petit Neuius Turpio, quidā istius excursor, emissarius, homo omniū ex illo cōuētu quadruplatorū deterrimus. Quæ significatio nō multū abest à superiore. Impresiones autē fiūt ab iis, qui fascibus & imperio terrorē incutere possunt. Idē pro Flacco, Nō igitur impresio, nō occasio, nō vis, nō imperiū, non secures, ad iniuriā faciendā Flacci animū impulerūt. Idē de Metello Tribuno, Neque ei quicquā deliberatius fuit, quàm me quacunque ratione posset, non iudicio atque disceptarione, sed vi atq; impresione euertere. Translatio est ab impresione militari, de qua Liuius, Dein valida impresione pulsi, terga verterūt. προσβολῆ, καὶ ἐμβολῆ. Et Impresionē dare ab eodē Liuio dicitur lib. 4. ab Vrbe, Redintegrato clamore dant impresionē. προσβολὴν ὤσαντο, ἐπέβαλον. De impresione magistratuū, hoc est Imperii terrore adhibito aut intētato, sanctio est Constantini, in titulo De iis quæ vi, vel metus causa gesta sunt.

Res inuestigata & comprehensa, sermone forensi Verificata dicitur. vt apud Ciceronem de coniuratione Catilinæ, quæ etiam ab eodem res illustrata & patefacta dicitur.

Reus quamlibet impudens & veterator, tamen in re subita, confidentia defectus est. Cic. Impudentia improbitásque, qua omnes superabat, eum defecit propter vim sceleris deprehensi. cognouit signum & manum suam.

Iudex circunsessus à viris iurisconsultis sententiam de eorum assensu pronuntiauit. Assessores vocantur.

Quæsitor calidus & solers est, qui quæstionem experiēter exercet, hoc est, Qui probè processus criminales facere dicitur. Cic. in Catil. Qui reo custodiam, quæsitori gratulationem, indici præmium decreuit.

Curia, quoniā facti visa est esse cōtrouersia, vt senis vtrinque aut quaternis testimoniū denuntiari tribus hebdomadibus posset, & quod ita quæsitū aut inquisitū esset, eodē iure futurum, quo quæ solenni more inquisitio, & iusto numero fieri solet. Id est, Inquisitionē eā pro iusta, solēni, plenáq; cessuram. Sermone forensi, Et ea informatio pro inquesta cedet. Cic. De lege agr. contra Rullum, Tum hi decemuiri eodē iure sint (inquit) quo qui optima lege.

Inhibere imperium solent, qui decreta iudicum exequuntur. Hoc est, Decreti vi & auctoritate iubere.

Hæc ad ſpeciem tantùm atque antiqui moris vſurpationem facta ſunt, aut decreta. Hoc eſt, Tuendo more antiquo.

Cum imperio, cum iudicio, cũ diſceptatione prouinciam obire, eſt Cum facultate imperandi & iuriſdicendi. Cic. Vt volitaretis interea per gẽteis, per regna cum imperio ſummo, cum iudicio infinito, cum omni pecunia. Iudicium hîc pro iudicatu intellexit.

Singulares pro eo dicendum, quod Particulares vulgò dicitur. Et Speciatim pro eo quod Particulariter. Cic. de reditu ſuo ad Senatum, Legem ſpeciatim initio de ſalute mea promulgauit.

In literas publicas hoc referendum. Id eſt, In actis publicis perſcribendum.

Proferre in medium, eſt In iure exhibere.

Hæc obiecta præſcriptio longius petitorem progredi vetat. Cic. Quid eſt enim minus oratoris, quàm id obiicere aduerſario, quod ille ſi verbo negarit, longius progredi non poſsit qui obiecerit? Idem, Non modo cohærentia non dicebas, ſed maxime diſiuncta atque contraria.

Profecti ad res inquirendas, ſunt qui Inqueſtas facere dicuntur.

Comprehenſi dicuntur, qui in cuſtodiam dantur. Cic. Comprehenſio ſontium, mea: animaduerſio, Senatus fuit.

Tenetur ob reticentiam is, qui non pronuntiauit quod pronuntiandum erat. Id eſt, Nominatim dicendum.

Cauſæ ſcriptum non ſcriba, ſed ſuffectus alius fecit. Vulgo, In cauſa graphiarius fuit.

Territorium minuere, Eſt circunſcriptius & conciſius facere. Hoc eſt, Fines eius contrahere. Cic. Philip. 2, Cuius quidem vomère Capuæ portam penè perſtrinxiſti, vt florentis coloniæ territorium minueretur.

Ab haſta fundum quærere, vel Ab auctione publica. Alia eſt cauſa priuati commercii, alia publici. Cic. Iam intelliges aliam eſſe cauſam haſtæ Cæſaris, aliam confidentiæ tuæ. Id eſt, Auctionis Cæſaris.

Municipes ſunt qui eiuſdem eſſe reſortitionis dicuntur, & in eadem præfectura diſceptare. vt ſi dicas, Inter municipes decem annis auctoritas fundi quæritur. Id eſt, Ius præſcriptionis petenti obiiciendæ.

Incumbere in cauſam, Eſt ad cauſam ſe applicare, Cauſæ ſubſcribere, In cauſam deſcendere. Cic. Incumbite in cauſam Quirites, vt facitis.

Edictum ſublatis vacationibus promulgatum. Id eſt, In priuilegio præditos iuxta atque eos qui communi iure ſunt.

Eximii ſunt, qui meliore iure ſunt: qui iure cõmuni nõn ſunt, ſed iuris cõmunis vacationẽ habent. Vacatio enim eſt, quæ Priuilegium vulgo dicitur, vt Fori priuilegiũ. Cic. in Philip. Delectum haberi cenſeo ſublatis vacationibus. Et in Verrem, Pro hiſce rebus Mamertinis vacatio data ab iſto ſumptus, laboris, militiæ, rerũ denique omnium per triennium. In eundem, Quæ ciuitas in Italia tã bono iure, quod municipiũ tam immune, quod per hos annos tam cõmoda vacatione ſit vſum rerum omnium, quàm ciuitas Mamertina per triennium? ὕτως ἁπλῶς. Vnde Vacare armis, eſt In otio eſſe, vt idem Philip. 11. Eſſe autẽ iure communi & trãſlatitio, Eſt vti iure communi, id eſt

non eximio. Idē in Verrē, Siculi hoc iure ſunt, quòd ciuis cū ciue agat, certet ſuis legibus. Sic dicitur vt Eſſe honore aliquo. Idē de ſtatua Steſichori, Fuit tota in Græcia ſummo honore & nomine. Idē, Hoc iure ſunt ſocii, vt ne deplorare quidē de ſuis incōmodis liceat. Eximii autē ſunt, qui in ordinē non redacti ſunt, qui ἐξαίρετοι dicuntur & ἐπίλεκτοι. Cic. in eundem, Hic illi eximius fuit. Id eſt, Numero exemptus. Quod Quintilianus Turbæ eximere dixit. At Priuilegium lex eſt de priuo aut in priuum lata: hoc eſt, de ſingulis, aut in ſingulos. Quod Cicero in ſe promulgatum queritur in oratione pro Domo ſua, Quemadmodū autē tu ipſe cōfiteris, non modo indemnati, ſed ne accuſati quidem, licuit tibi ferre non legem, ſed nefariū ptiuilegium? Idē alibi in eadem, Vetāt leges ſacratæ, vetant XII tabulæ priuatis hominibus irrogari. Id eſt enim priuilegium. Vbi fortaſſe priuis legendū, non priuatis. Et itidem pro Sextio, Cum XII. tabulis ſancitum eſſet, ne priuilegium irrogaretur.

Cauſam complecti, plus eſt quàm In cauſam incumbere.

Cic. Promitto, recipio, ſpondeo Cæſarem talem ſemper fore.

Denuntiare mulctam curiæ verbis niſi decreto eius pareatur. & Denuntiationi mulctæ cedere. Reſpondere denunrianti, in officio ſe futurum: non ſe commiſſurum vt iure corripi poſsit: dicto curiæ audientem futurum. Denūtiare, teſtificari, antè prædicere. Cic. Omnia fecerit oportet, quæ interdicta ipſi & denūtiata ſunt, prius quàm quippiā poſtulet. Sermone Forēſi, Audientia ei deneganda, niſi imperia curiæ acceperit, vel niſi iudicatum fecerit.

Nemo hodie in hac licentia ſcelerū, tam ſeptus eſt legibus & iudiciorum metu, quin ſe præſidiis armorum cingere, aut ſummæ cautionis debeat, præſertim dubio formidoloſóque tempore.

Omnes rationes ſuas aduerſarius meus in hac cauſa, ad fiduciam neceſsitudinum ſuarum, ambitúmque forenſem contulit.

Acrior ac longior diſceptatio diem cauſæ iudicandæ diffudit. Id eſt, In poſterum diem reiecit.

Cum duo de fundo aut ſacerdotio, forenſi diſceptatione contendiſſent, & alter ſententiam abſtuliſſet, inter iudicatum exequendum, tertius integer, rei vel vindex, vel interceſſor extitit, & aut rē ſuā ſe ignaro in iudicio actam eſſe dixit, aut rem ad ſe quadantenus pertinere: idcircóque pro ſuo iure intercedere. Quod nunc Pro ſuo intereſſe dicūt. Integer autē eſt is, quócum nihil actum eſt. Liuius, Nec prius inclinata res, quàm feſsis integri ſucceſſerunt. Cicero pro Cecinna, Itaque ſaucii ſæpe homines cum corpore debilitātur, animo tamen non cedunt: at alii pelluntur integri. Id eſt ante certāmen initum. Et Integrare litem, eſt inſtaurare diſceptationem, & ab integro inſtituere: id quod iis facere licet quibus res iudicata nō obſtat. Integer etiam eſt, qui nondum ſe aſtrinxit, qui adhuc ſui iuris eſt & arbitrii. Idem pro Flacco, At ego integrum me ad id quod attulerint, conſeruabo. Liu. 6. ab Vrbe, Integrant & illi pugnam qui ſimulata ceſſerant fuga. Integer igitur non eſt prouocator, qui prouocationem prouocato renuntiauit.

Verba legis aut ſententiæ ad limatam veritatem perſcribere, aut referre vt concepta ſunt & nuncupata.

Fuit ista exceptio, elegãter dicitur, ꝓ eo quod est, Sero nũc obiicitur quod in tẽpore prætermissum est. In foro dicunt, Hoc contectũ est silentio. Cic. in Verr. act. vlt. Fuit ista responsio quondã, fuit seueritas in iudiciis, vt istam rẽ accusator in magnis iudiciis obiiciendam putaret. Antiquæ sunt leges istæ & mortuæ. Idẽ in eadem, Fuit nundinatio aliqua, & isti nõ noua, ne causam diceret. Ac si diceret, Desiit iam occasio, Integrum non est iam nundinari post seruorum damnationẽ. Damnatis autem (inquit) seruis, prædãdi quæ potest esse occasio? Virgil. in 2. AEneid. Venit summa dies, & ineluctabile tempus Dardaniæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens Gloria Teucrorũ. Iam (inquit) nulli sumus, nullũ est Ilium. Plaut. in Trucu. Horresco misera, mentio quoties fit partionis, ita penè fuit tibi Phronesium. Id est, Penè fato functa est, proxima morti fuit. Simile illud fuit de coniuratis eiusdem Ciceronis, Vixerunt, pro Supplicio affecti sunt. quod Plutarchus refert in eius vita. Sic enim (inquit) Romani dicere solent pro mortui sunt, cum omen verbi vitare volunt. φθεγξάμενος δὲ μέγα πρὸς αὐτοὺς, ἔζησαν εἶπεν. οὕτω γὰρ ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι, τὸ τεθνάναι σημαίνουσιν.

Cicero, Hunc, vti Panormum venit, ad se vocari, & de tribunali citari iussit. Sic hodie præsides vadimonia destituentes, de tribunali citari iubẽt inter causarum actiones. Idem, Arreptus à tribunali, & in carcerem coniectus.

Extincta & oppressa quæstio amicorum factione, vel transacto cum eo ad quem eiusce rei priuata persecutio pertinebat, negotio, aduocatione regia primum atroci coorta, deinde vt res tulit, commitigata.

Scite & commode vti foro, disciplina est nõ cuiusuis ingenii & facultatis, vt quidem est constituta hoc tẽpore iurisdictionis ratio, litiũmq; pertractandarum. Neq; enim minus hodie in foro Vulcani pollẽt amores, χάρεις λιπαροκρήδεμνος, quàm olim longè latéque dominans eloquentia poterat. Terent. in Phorm. GE. Cœpi iis omnia facere, obsequi quæ vellent. DA. Scisti vti foro. Quo loco Donatus, Fori (inquit) appellatione tria significantur, locus, tempus, persona. Tria igitur hæc animaduertunt qui scite & solerter foro vti nouerunt, gratia grassantes in re discordiæ & simultatis alumna.

Tyrannica edicta, interdicta, præconia: Iussa & defensiones Deo & rationi contraria lingua vernacula vocat.

Et crimini & inuidiæ sæpe est hominibus suum seruare velle, iúsque suum obtinere aduersus potentiam aut gratiam forensem.

Exemplari traductione damnatum infamare, παραδειγματίζειν. Id est, Pœna ignõminiosa afficere.

In iure vario, & dispari conditione, idem statui non debet.

Tacita fiducia & captiosa prædiũ emancipare, est In fraudẽ alienare & necẽ alterius, simulate tamen, & cum pacto redhibendi post fraudem peractam.

Ius quotannis vsurpatũ ac obtẽtũ. Id est, Sine possessionis interpellatione.

Vnum cedò auctorem huius sententiæ, vnum profer exemplum. Id est, Ne semel quidem ita fuisse iudicatum docere potes.

Reus causam maleficii aliquãdo sibi dicendam statuerat. quare, quæ crimẽ essent subleuatura, antè præparauerat: contrà; quæ offutura videbat, de me-

dio tollenda curauerat. Id est, Animo prouiderat se aliquando eius rei insimulatum iri. Cic in Verr. Præsertim cũ statuisses (vt ais) causam tibi esse dicendã. Et paulò pòst, Statuerat causam esse dicendam, etiã antequam hoc vsu venit. Hoc est, Satis meditatus erat sibi instare defendendi ac diluẽdi criminis necessitatem. & vt vulgus loquitur, Erat omnino de eo deliberatus.

Animaduertere in quosdam reorum placuit, & quosdam missos facere, quosdam asseruare ad inopinata casuum.

Generatim atque vniuersè, non sigillatim priuatímque edicere, Id est, non particularizare, vt lingua vulgi loquitur.

Conficere rationem carceris vel custodiarum, quo die quis in custodiã datus, quo eductus, quo alius ad supplicium abductus, quo ad forum suũ alius relegatus. Sic autẽ purgatur carceris & custodiarũ ratio, quãdo iudices tholo curiæ attributi, carceres exhauriunt colluuione reorum vndique corriuata, & sæpe circunfluente vociferatúque iudicium suppliciúmque exposcẽte.

Dare cognitores septẽ, vt Dare laudatores, quod alibi fortasse dictum est, Est quod Pontificii iuris auctores statuunt, Purgare se cum septimo teste insontis vitæ, & existimationis integræ. Cic. in Verr. act. vlt. Tum si tibi ita videretur, hoc iuris in omnes constitueres, vt qui tibi notus non esset, neq; locupletem cognitorem daret, quanuis ciuis Rom. esset, in crucem tolleretur. Idẽ alibi, Cognitores dabat homines honestissimos. Et itidem in Præt. vrb.

Præsto esse & respondere is dicitur, qui iudicium accipere paratus est.

AEgram & propè depositam causam suscipere, vel excipere. Id est, Causam desperatam resumere.

Nodum causæ perplexum soluere, & expedire.

Pudor, religio, fides, ĩtegritas, prudẽtia, peritia, diligẽtia in iudice spectãtur.

Splẽdor, dignitas, frequẽtia, visendus cõuentus in consilio cõmendantur. Cic. Hac vna spe Sopatri defensio nitebatur, consilii frequentia & dignitate.

Homo in iudicando sui iuris ac sententiæ. Id est, Qui liberè censet, nec cuiusquam auctoritate vel potentia deterretur. Potest tamen & in deteriorem partem accipi pro Pertinaci opinionis.

Cõsidet curia vniuersa quotãnis decẽ mẽsibus pro potestate summa & imperio: duobus iustitiũ est à curiæ conuẽtu, non etiã à curiæ subsidio tholensi.

Euocatio in eos decreta, in quos inquisitum est, vel diei dictio, vel comprehensio decreta.

Obrutus testibus compositis reus, & oppressus est. Id est, Conuictus & manifesto compertus.

Conditionẽ petitor obtulit reo, vel Iusiurandum protinus detulit, vt causæ comperendinatum adimeret. Id est, Ne causæ iudiciũ in alium diẽ proferretur. Cic. Adimo enim cõperendinatum, quod causa habet molestissimum.

Prouinciæ anniuersariæ consiliariis attribuuntur, aut ad inquirendum, aut res iudicatas exequendas, & in re præsenti disceptandas. Ferè autem feriatis mensibus & iustitiæ tempore eas obire solent. Cõmissiones vulgo vocãtur. Prouinciis autem ascripti sunt tyrones aduocati, quos Adiunctos appellant, quasi comites magistratuum.

Illata crimina reorum, sunt Elogia delatorum vel damnatorum reorum qui curiam appellauerunt. Vulgò Onera vocantur.

In desertam litem & sopitam sese insinuare, & Repetere causam intermissam, & Acriter retractare.

Exceptum in aresto curiæ vel iudicis sententia, & cautum, vt reus damnatus pecuniæ, quos commodum fuerit postea, æquúmq; visum fuerit, eo nomine appellet: vel quibuscum ius & æquum fuerit, lege agat, si sibi videatur. Saluum recursum vocant.

Animaduersio eius rei & quæstio mandato principis constituta. Id est, Vt informationes fiant, forensi sermone.

Causa vtrinque perorata, præsentis disceptationis esse non visa est. quare præses amplius, & ad consilium pronuntiauit.

Docere, Planum facere, Literis certissimis, testimoniis locupletissimis probare, Auctoritatibus omni fide communiris ostendere.

Euocare, est In re criminosa citare. Cicero in Verrem, act. 2. seu prætur. vrb. Nónne te ad Senatum causam deferre: non de tam atrocibus iniuriis cóqueri: non eos homines qui populũ concitarent, consulum literis euocandos curare oportuit? Idẽ, Pericles Ephesius homo nobilissimus Romã euocatus est, quòd auctor iniuriæ illius fuisse videretur. Sic etiã Plinius in epistolis vtitur.

In persona tutoris pupillus condemnatur. Cic. in Verrẽ, Forsitan meliores illi accusatores habendi sunt, qui hæc omnia fecerunt. Sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem maxime laudari volo. Id est, Volo videri egregie fungi defensoris partibus, non accusatoris. In mea persona (inquit) Id est, In meo munere & officio quod suscepi. Suscipere personam, & postea deponere, est Accipere qualitatem in causa, & postea relinquere. Interdum ad aliquid agendum eligitur hominis persona, id est Qualitas: aliquando ingenium & industria. Et personæ controuersiæ interdum controuersæ sunt inter litigatores, & pronuntiatur personas constitutum iri ex iis quæ ab apparitore acta sunt & renuntiata. Quod sermone forensi dicũt, Qualitates secundum expleta concordandas esse.

Iudex suus ac legitimus, id est Competens. Et, Sui ac legitimi iudicis controuersia, est De competentia, vel incompetentia, sermone forensi.

Cic. Lites æstimatæ Dolabellæ prætori, quòd minus Dolabella acceptum retulit, quàm Verres illi expensum tulerit. Id est, Iudicatus est tantæ pecuniæ, quantum est quod defuit rationibus accepti ab ipso relati.

In eum qui per detrectationem abesse compertus est, secundum præsentem pronuntiatum est. Id est, Verè contumax damnatus est.

Sententiæ executionem interpellare, est Impedire. Hoc est, Intercedere quominus executio absoluatur.

Id recenti negotio facilè constitisset: nunc exoleuerunt indicia & argumenta, documentáque interciderunt.

Appellat prior aliquem is, qui sermonẽ vel litem lacessit. Cicero, Appellat hæredem L. Annium, qui erat institutus secundum filium. Non enim mihi persuadetur, istum ab illo potius appellatũ. Quintil. lib. 5, Eras pauper & hæ-

res,& magna pecunia appellabaris à creditoribus.

Nec legibus hoc, nec moribus sanctum est, nec æquitati consentaneum. Vulgo, Legibus cautum dicimus.

Ius translatitium est, quod Per extensionem, iuris interpretes appellant. Transfertur enim de specie in lege nuncupata, ad aliam non absimilem.

Quæro abs te, cur ea capita edicti vrbani, in edictum prouinciale transferre volueris. Cic. ad Atticum lib. 5, Interim cum ego in edicto translatitio cẽtesimas me obseruaturum haberem cum anatocismo anniuersario, ille ex syngrapha postulabat. Idem lib. 3, Alterum caput est translatitium de impunitate, si quid cótra leges eius legis ergò factum sit. Translatitium caput legis appellat, quod ex alia lege translatum est. vt, Edictum prætoris translatitium, non nouum, sed ex alio edicto resumptum, à quo exemplum ductum est.

Cum auctiones prætoriæ fiunt & iudiciales, fieri debent edicta & proscripta die. Id est, Affixis programmatibus.

Renuntiare mãdatũ procuratori, est quod Reuocare procuratoriũ dicunt.

Ad auctionẽ spectandam, & addictionẽ proscriptorum prædiorũ obseruandam in primis citandus est is cuia res est, cuiúmq; periculum. Nunc Vocandum proprietarium dicunt. Cic. in Frument. Apronius certiorem facit istum cuia res erat, quid rei esset. Id est, Verrem qui re vera redemptor erat decimarũ, etiamsi Apronius persona esset adumbrata. Alibi, Vt optima cõditione sit is cuia res, cuium periculum. Id est, Vt dominus rerũ omnibus anteponatur.

Is qui auctionem vicit ex licitatione, & cui fundus proscriptus est addictus, pretium inferre ad officiũ debet intra dies legitimos, aut nexum statim inire, inter ærariósque referri. Sic enim mea sentẽtia dici possunt, qui Reip. decoxerunt, vt ii qui vendente prætore licentur, & creditorum spẽ destituunt. Interdum tamen apud officium gratiosis, moris est, acceptum statim referre pretium, tametsi nondum illatum, sed prius satis accepto noxæ nõ futuram gratificanti accepti relati perscriptionem.

Recuperatores aut disceptatores, quos commodum ei fuit, accepit. Id est, Iudices impetrauit ex animi sententia.

Nego me certaturum in eo foro, iisque iudicibus. Id est, Recuso eos iudices. Testificor me vsurum eximio iure fori atque diplomatico. Committimus vulgo vocamus.

Interposito nomine controuersiam adumbrare, indéque eximii iuris occasionem mutuari ad fori translationem. Quod nos Mutuari nomen hominis priuilegiati vulgo vocamus. Cic. in Verrem act. 3, In prædam prætoris interponatur nomen ciuitatis, imponatur honestæ ciuitati turpissima persona calumniæ. Et in Frumentaria, Cum tuum nomen decumani in re tam turpi ac nefaria interponerent.

Reus temeraria defensione implicatus est.

In huius causæ iudicio caput atque existimatio iudicum agi putatur propter personas litigatorum. Ex eo enim statuetur, an gratiæ aut potentiæ cessisse ius æquúmque videatur.

Paragraphis adnotare nomina in codice impendiorũ litis, Cruce adnota-

re appellant.

Reiicere causam ad leges rei, est Remittere ad forum suum reum. Cicero, Ea res à Volcatio, qui Romæ ius dicit, reiecta in Galliam est. ἀπώσθη, καὶ διέωσαι, vt opinor, Græce dicitur.

Recusare, est Impedire, & quasi Intercedere. Cic. Amici recusabát, ne quod nouum iudiciú, neq; eius cognitio eo absente constitueretur. Et simul illud non desistebant postulare, vt se ad leges suas reiiceret. Sic hodie cognitores absentium, siqua noua postulatio aut petitio fiat, respondere solent se ad defensioné absentis cogi non debere, sed domum eius denuntiádum. Recusabant (inquit) id est, παρῃτοῦντο. Quintil. lib. 4. Recusatio quoque interim plures propositiones habet, vt cótra petitioné pecuniæ, Male petis. procuratori enim tibi esse non licuit: sed nec illi cuius nomine litigas, habere procuratoré. Cic. in Partit. Rationé igitur subiiciat recusationis suæ, τῆς παραιτήσεως αὐτοῦ.

Edere nomina testium aduersario ad refellendum eos. Cic. Quibus ego testimonium denuntiaui, quorum nomina edidi.

Tractare, est Nomina enarrare, exponere, & quod Deducere media dicunt. Cicero, Citatur reus, causa agitur Syracusis, crimina tractátur ab accusatore. Idé in Partit. Quia hæc generis eius sunt, vt ante iudiciú tractanda videátur. Id est, Concertanda, Attingéda. Quintil. Itaq; inferiora quoq; scrutabimur, quæ tractata faciliore nobis iudicem in summa quæstione facient. Et tractatus quidem huius rei in parte causæ freques est. Vulgo dicunt, Hoc punctum plene attigit causidicus. Retractare, est Iterum ab integro tractare, vt si in altera scriptioné, quæ Additaméta vocátur, rem prius explicatam, & ab aduersa parte reprehensam, ab integro disputet. Vnde, Opus retractatum, est idem quod Emédatú. Cic. ad Attic. Sed tamen idé σύνταγμα misi ad te retractatius.

Transactor, vulgo Director & Conductor dicitur, vt si transactorem litis & controuersiæ instituédæ fuisse quépiá dicas hominé pragmaticú. Cic. in Ver. Is qui est omnium rerum huiusmodi transactor & administer, Timarchides: ὁ πάντα πρυτανεύσας τὰ εἰρημένα. Architectus etiam aliquádo dicitur. Vt de lege Agraria, Nunc quisnam tam abstrusus vsquam nummus videtur, qué nó architecti huiusce legis olfecerint? Et pro Cluét. Et qui Fabritii libertum, quia minister in maleficio fuerat: patronú, quia conscius, condemnassent: ipsum principem atq; architectum sceleris absoluerent? Principem appellat, quem Auctoré facti principalem vulgo vocamus, ὃν τῆς κακουργίας ἀρχηγόν: Architectum, strophæ machinatorem. A Demosthene sumptum, in oratione, περὶ Βοιωτόν, ὅτι δήμοι μετὰ μηνεκλέους τοῦ πάντων τούτων ἀρχιτέκτονος, ἐπιβουλεύσας, & cætera. Et rursus, τούτου τοῦ ἀρχιτέκτονος τῆς ὅλης ἐπιβουλῆς. Id est, τοῦ συνταξάντος καὶ διασκευασμένου καὶ σκευωρησαμένου καὶ μηχανησαμένου τὴν ὅλην ἐπιβουλήν.

Homo maleficii conscientia repente nusquam apparuit. Id est, Solum vertit, vel Delituit. Huiusmodi autem homines si controuersias habent iudiciales, cum domicilium habere desierint, præconio euocantur cum opus est, vel citantur in finitimis oppidis exteratum nationum. Id est, Per auctorizationé, quæ Latine prisco verbo Clarigatio dici potest. Et Clarigare, verbum, Plinio lib. 22. de Verbenis loquenti.

Esse iure iniquo in aliquo foro, est quod dicũt, Suspectum illi iudiciũ esse, & molestam litigandi conditionẽ. Cic. in Verrẽ, Homo quanquã erat Siculus & reus, hoc est, iure & tẽpore aduerso, ferre Timarchidẽ diutius non potuit. Huic opponitur Esse optimo iure, hoc est, Vti optima conditione. Quo loquendi modo vsus est Iulianus Iuriscõs. in c. Qui in vtero, de statu hominũ.

Rei priuatæ iudex, Ciuilis causæ nunc dicitur, & Partis ad partẽ. M. Petiliũ, quẽ habet in cõsilio, iubet operã dare, quòd rei priuatæ iudex esset. Id est, Iubet abire è consilio ad iudiciũ inter priuatos dandũ, quibus iudex datus erat. Quod ideo Verres faciebat, vt eum ablegaret, quem sciebat esse iudicẽ integrum. Id est, Ne iudicio interesset, quod è sententia corrumpere sperabat illo summoto. Sequitur enim postea, Minutius homini quæ visa sunt, & quæ tẽpus illud tulit & causa, respondit: causam se dimisso & ablegato cõsilio defensurum negauit. Hoc genus artificii eorum qui iudiciis præsunt, & studiis suis magis quàm æquitati seruiunt, nõ prorsus obsoleuit, vt viri boni ablegentur, qui incommodi sunt sententiis coitione conflandis, & nonnunquam arestis.

Profligata controuersia nunc dici potest, cũ in valuis sententiæ esse dicitur. Cic. 5. Tusc. Atqui si ita est, profligata iam hæc, & pene ad exitum perducta quæstio est. Liuius, Profligato fere Samnitiũ bello, Etrusci belli fama exorta est. Sic Ausonius, Hæc profligati venit modo laurea belli. Id est, Confecti, quod Gellius ignorauit, qui reprehẽdit. Profligatus autẽ homo, est Perditus & ἀπονενοημένος. Cic. pro Archia, Nũquã me pro salute vestra in hos profligatorũ hominũ impetus proiecissem. Et Profligare Rẽp. in Proœmio tertii de Orat.

Indiciarii præcones, sunt qui Audientiarii vocantur, vociferate nomina causarum citantes. Et Curiales præcones, apparitores sunt curiæ, qui in orbem bini apparere curiæ debent, & Ostiarii de seruitio esse dicuntur. Latine Apparere curiæ, & Apparituras facere dici debent. Plin. lib. 26, Quodam Persino equite Ro. quæstorio scriba, cum in Asia apparuisset, contagionem eius importante. Cic. ad Q. fratrem, Quos verò ex domesticis coniunctionibus, aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui è cohorte prætoria appellari solent, &c. Et Apparitores regii apud Liuium lib. 1. de Tarquinio loquentẽ. Est enim Apparere, officii gratia exhibendi præsto esse. Valerius lib. 2. de Fabio Maximo loquens, Indignatus quòd ex lictoribus nemo se equo descendere iussisset, plenus iræ sedere perseuerauit. Quod cum filius sensisset, proximo lictori vt sibi appareret imperauit. Id est, Officio suo fungeretur, & patrem iuberet equo desilire. ἵνα παρεστήκοι αὐτῷ. Lucianus de Mercurio, δεῖ γὰρ παρεστάναι τῷ Διΐ, καὶ διαφέρειν τὰς ἀγγελίας τὰς παρ' αὐτοῦ ἄνω καὶ κάτω.

Aduocati viri probi, accepto honorario auctorati litigatori, fidem & operam addictam illi habent in ea causa.

Cic. Edicit statim, vt Cal. Decẽbris adsit Sthenius Syracusis. Nunc dicunt, Decernit, vt cõpareat personaliter. Idem, Et erat spatium dierum forte x x x ante Cal. Decembris, quo iste, vt Syracusis Sthenius adesset, edixerat.

Ex reis eximere hominem propter aduersarii detrectationem, Est quod vulgo dicunt, Elargiri simpliciter, Dare reo commeatum. Cic. in Verrem, Omnis illa mea festinatio fuit cum periculo capitis mei, ne tu ex reis exime-

re, si ego ad diem non adfuissem.

Digredi à proposito, & lõgius aberrare, est Causæ actioné sensim aliò deflectere. Sic Prouocatus, ob desertã prouocationis executionem, è citatis & prouocatis eximitur, & vadimonio soluitur. quod Commeatum dare vocatur.

Homo coràm damnatus non prouocauit, sed tantum testificatus se consultò deliberaturum: aliquot post hebdomadas dierum diplomate veniam procrastinatæ prouocationis impetrauit, quòd diceret, in re præsenti se viros consultos desiderasse, qui sibi auctores postea prouocationis interponẽdæ atque exercendæ fuerunt.

Ob ius dicundum pecuniam accipere, & ob decretum interponendum, iudicis est sordidi. Cic. ad Q. fratrem, Gabinius absolutus est. Omnino nihil accusatore Lentulo, subscriptoribúsq; eius infantius, nihil illo consilio sordidius. αἰσχροκερδέστερον.

Cooptatus in pontificatum dici debet, qui nunc Electus dicitur. Adoptatus verò, est qui Postulatus in iure põtificio dicitur. Cic. in Ver. Atq; in his omnibus Senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse ex quibus in eum ordinem cooptari liceret. Sic curia pridem in locũ demortuorũ consiliariorũ collegas sibi cooptare solebat: qui mos iam penè obsoleuit. Plin. Iunior, Oppidum est prædiis nostris vicinum, quod me puerũ adhuc patronum cooptauit. Cic. de lege Agraria, Ab ea parte populi qui esset factus, is à collegio cooptaretur. Et Cooptatio pro Electione. Idẽ in Lælio, Meministis Q. Maximo fratre, & L. Mancino cõsulibus, quàm popularis lex de sacerdotiis Licinii Crassi videbatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Adoptare pro eodẽ dicitur. vt idem in Philip. Vexauit Puteolanos, quòd Cassium, quòd Brutos patronos adoptassent. Idem in Diuinat. Quem prouincia defensorem sui iuris, vltorem iniuriarum, actorem totius causæ adoptauit. Id est, Sibi asciuit.

Aliud est quæstum sordidum circa res iudicandas, iudicatásq; facere: aliud honorarium legitimum, & honestati innocentiæq; non dissentientem mereri. Sicuti non idem est Mercari & nundinari quouis modo locum in ordine amplissimo, & Moribus ac tempori seruientem, ambitu ingenuo & liberali prodire in medium, & ad honores adoptare se, cum occasio nata est. Neq; enim mores inculpati, & ad normam legum exacti, hominum sunt, sed tẽporum, si ad verum loqui placet.

In ratione sumptuum litis ineunda, accessionũ calculi permulti positi circunducuntur, vt quæ pragmaticis, quæ actorũ cõscriptoribus, quæ ministerio officiorum, non modo liberaliter, sed etiã necessario pendũtur. Hæc enim & eiusmodi expensa non feruntur. Quare non modo non quadrat vnquã summa ad nummũ accepti & expensi, sed ne constat quidem alioqui ratio, propter multiplex intertrimentũ huiusmodi negotiationis vsuræque iudicialis.

Attentare fidẽ, religionémq; iudicũ, in speciẽ incidit criminis repetũdarũ.

Postulationi supplici responsum, Palàm consilio postulet altercationum die, & ea de re certet cum eo, ad quem res attinebit. Forenses dicunt, Faciat requestam in iudicio.

Interdum præpropera iudicandi cupiditas, magnã partem causificationis atque necessariã causidicis præcidit in iis disceptationibus quæ primis actionibus decernuntur. Quod cum alibi, tum in curia aliquando contingit, eorũ quidẽ opinione, qui iudicia hujusmodi nõ tam repræsentata, quàm præcipitia nuncupãt. Cic. Quærere ex ipso Metello velim, quídnam sua vi & auctoritate mihi ex hac oratione præciderit. Sic aduocatis exordiẽtibus sæpe præcidũtur nõ necessariæ præfationes, & principia longius repetita, & excursus liceẽtiores: quæ venditationis oratoriæ magis, quàm argumenti causis hærẽtis.

Aut hoc contendat reus nunquam esse factum, aut multa tela excipiat necesse est quæ à me coniiciẽtur in eum. Hoc est, Si facti controuersia esse non potest, ægrè defendi causa poterit, quæ iure nullo nititur.

Quanquam possim, si velim, vincere recte factum quod obiicitur, tamen mihi nõ necesse id telum excipere, quod in meam causam nõ iure in méque intorquetur. Etsi tueri non difficile est, quod factum reprehenditur, tamen nihil causari in eo mihi necesse est, quod ad me pertinere non dico.

Fundamenta iudicii subruit aut subducit, qui non sui iudicis disceptationem esse contendit. Hoc est, Incompetentem iudicem esse.

Absentis nomen recipere, est Contra absentem, vel de absente pronuntiare, vt si quispiam tutor creetur absens.

Palàm de loco superiore pro imperio & potestate decernere, vel sententiã pronuntiare, de eo dicitur qui in tribunali sedet.

Ter in hebdomade committũtur actiones causarum, & altercationes causidicorum in curia Parisiensi.

Nomen suum commodare, etiam Latinè dicitur vt vernaculé. Cic. Nunquam mihi verisimile visum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliæ, nomen suum ad translationem criminis commodaturum. Hoc est, Qui in se inuidiam criminis suscipere non recusaret. Hoc est, Qui crimen vt suum agnosceret, vt alium crimini ac pœnæ eximeret. Idem, Omnibus in rebus coarguitur à me, conuincitur à testibus, vrgetur confessione sua, manifestis in maleficiis tenetur. Sic alibi, Coarguere, pro, Manifesta probatione obruere reum, vsus est. ἐξελέγχειν.

Expassis curiæ valuis, in aperto & propatulo causa perorata est, criminàq; prolata ab aduocato fisci, cũ atroci irrogatione mulctæ, ignominiámq; inurẽte.

Nos rogatu magistratus assedimus in Senatu, Cic. in Verrem. Id est, Honoris causa sessum admissi sumus in Senatum eius vrbis. Sic fit hodie, cum vel salutandæ gratia, vel spectandæ curiæ, vel mandato principis, primarii viri assidere iubentur.

Curiam appellant ii, qui iniquam sententiam iudicum conqueruntur, aut cõqueri se simulant. Cic. Ne Senatusconsultum Siculi homines facere possint, non Siculus aliquis, sed Quæstor Prætorem appellat.

Interfationes magistratuũ in iudiciis præsidentium, vt loquendi vices liberas seruare censentibus, sic etiam moderari debent inaniter verba fundentibus, ac diem consilio eximentibus. In magno autem tribunali ægrè compescitur altercationum diebus causidicorum quorundam obstrepẽdi ac de-

clamitandi indecora consuetudo.

Aduocatus omnia collegit atque aucupatus est, quibus causam primore congressu aspectúque laborantem, adiuuare & confirmare posset.

Aresta curiæ plurima inter actionum causas ex tempore pronuntiantur: quæ cum alioquin ex tempore & personis varianda sint aut temperanda, non semper ad exemplum reuocanda sunt.

Causarũ quæ ex causidicorũ actionibus iudicantur in curiæ tribunalibus, quidam præsides comperendinatione, quidam iuris repræsentatione gaudẽt.

Capitali sanctione vetitũ est. Significat eius admissi pœnã esse capitalem.

Causæ insignes cùm aguntur, nõ modo patronum suum habent & causidicum, sed etiam aduocatos & tanquã subscriptores, qui ad omnes actionis articulos tum corporis gestu, tum dicendorum suggestu asseruiant.

Audientiã causæ facere interdum eius æquitas, interdũ calamitas clientis, inopiáq; destituta patrocinio solet, nõnunquã inuidia diuersæ partis. Cic. in Diuin. Quantã deniq; audientiã orationi meæ improbitas illius factura sit.

Hic primarum partium actor, cæteri subscriptores tantum fuerunt. Id est, Princeps aduocatus causæ fuit, reliqui secundarum & tertiarum partium.

Custodes olim accusatoribus dabãtur, ne præuaricarentur. Cic. in Diuinat. Custodẽ (inquit) Tullio me apponite. Idẽ, De illo custode toto sic vobis breuissime respondebo, nõ esse hos tales viros cõmissuros, vt ad causam tãtam à me susceptam, mihi creditã, quisquã subscriptor me inuito aspirare possit. Etenim fides mea custodẽ repudiat, diligentia speculatorẽ reformidat. Quo in loco Speculatorem, obseruatorem arcanorum causæ significat, qui causæ iura prodere posset. Hodierno tẽpore custodes sunt, qui causæ ad se nõnihil pertinenti adesse volunt, ne præiudicium fiat: qualis est illa species, quæ tractata est in c. Si prolusorio. sub titulo de Appellationibus. Et in c. Si suspecta, de Inofficioso testamento. Custos est ὁ ἀντιγραφεὺς, quem lingua vernacula ob id Contrarotulatorem vocat, cuius commentarii ἀντίγραφα vocantur, ex quo eadem Lingua vocabulum suum duxit. Et Custos, est Obseruator, παρατηρητής. Custodire, παρατηρεῖν. Cic. in Catil. Multorum oculi & aures te nõ sentientem speculabuntur & custodient. Id est, Te obseruabunt. Quintil. in 4, Ne quod insolens verbum in principio deprehendatur. nondum enim recepti sumus: & custodit nos recens audientiũ intentio. Id est, παρατηρεῖ, καὶ οἱονεὶ ἀντιγράφει τὰ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενα. Sic accipitur àb Vlpiano in tract. de Ventre inspiciendo. Cic. de lege Agr. Quis tribus quas voluit vocauit, nullo custode sortitus: οὐδενὸς παρατηρουμένου.

Interponere fidem suã, est Spõsorem rei exactorémque se facere, vt qui se curaturũ ꝓmittit. Sic dicitur, vt Interponere operã suã. Cic. in Diuinat. Pro exterarũ nationũ commodis inimicitias suscipere: accedere ad periculum: operam, studium, laborem interponere. Dicitur & Interponere se, quod lingua vernacula admisit. Idẽ, Cur te interponis Cecili, inuitissimis iis, quibus lex consultum esse voluit? Id est, Te præuaricatorem futurum, vt accusatorem legitimũ ingeris. Interponere personã suam vel alterius in fraudẽ, & In speciem adumbrare nomen suum. vt in Ver. In prædam prætoris inter-

ponatur nomen ciuitatis.Id eſt,Cōmodetur, prætexatur. Interponere iudicium ſuum.Idē pro Cornel. Potuit Gaditanus populus certius interponere iudicium volūtatis ſuæ, quàm cum etiam accuſatorem huius,mulcta & pœna mulctauit?Vbi tamen indicium, id eſt δῆγμα, legendum videtur. Idem, Qui ob decreta interponenda pecuniam acceperit.

Diſceptatio recuperatoria, dici poteſt cauſa apud executorē areſti agitata. & Recuperator,eſt Iudex à curia datus,vel Qui diplomate datus eſt. hoc eſt Iudex vel à curia vel à prīcipe delegatus. Et iudiciū recuperatoriū, eſt Quod agitatur ſuper executione vel areſti vel diplomatis. De recuperatoribus in annotationibus in Pādectas olim diximus. Dabātur à prætoribus Romanis in prouinciis itidē ferme vt apud nos οἱ διάιτηταὶ, de quibus in commētariis Græcis ſcripſimus. Victorinus in ſecundū Rhetoricorū,Prætores(inquit)ius dicebant,& iudices cauſæ dabant,& cōtrouerſiæ vel agēdi genus inſtituta actione formabant. Ita vbi præſcribebat prætor qua accuſator,qua reus actione vteretur,præſcribendo quid fieret,excipiendoque quid non fieret, trāſlationis controuerſiam actionibus auferebat.

Quo voles,vadimonium promittā.Cic. Statuit iſte,vt arator ꝓ decumano quo vellet,vadimoniū ꝓmitteret. Vt hic quoq; Apronio,cū aliquē à Leōtino vſq; Lilybæū vadaretur ex miſeris aratoribus, calūniandi quæſtus accederet.

Vadari, eſt Citare cum denūtiatione mulctæ, vt cum iterum & tertium teſtibus nequicquā teſtimonium denūtiatum eſt, poſtea vadimonio obſtringuntur. Id eſt,Pœnali decreto euocantur. Sic,Quo voles,vadimonium promittere non recuſo. Id eſt,Si diem mihi prædixeris iudicis imperio,ibi præſto me futurum recta ſponſione promittam.

Cic. Statim magiſtratus,& quinque primi,accitu iſtius euocantur. Id eſt, Perſonali decreto in ius vocantur,vt nunc loquuntur.

Ex altercatione partium res decerni nō potuit,iudéxque deliberandū pronuntiauit. Ab altercationibus aduocatorum præſes de conſilii ſententia amplius pronuntiauit.id eſt Conſilii rem eſſe dixit.

Iuridiciali formula iudicium conſtitutum eſt,additúmque pronuntiationi,vt quod vterque litigantium factū eſſe,aut non eſſe contenderet,quódque è re ſua futurum eſſe putaret,id ſcriptione proſequeretur, vel de eo cōmentarium proferret. Aduertiſſamentum vocant.

Scriptionibus reſcriptionibuſque vltro citróq; editis,ſecutū eſt decretum vel partiū cōuentū,iis de rebus quæ in ipſis poſitæ aut expoſitæ eſſent, atque articuloſe diſtinctéque cōmemoratæ, litigatores ita inter ſe cōpararent, vt quid cōueniret,quid diſcreparet,quid confeſſum, quid controuerſum eſſet, liquere iudici poſſet. Scripturas concordes vel diſcordes facere vocant.

Iurare in ea quæ ſcriptione reſcriptione'que edita ſunt. Affirmare Scripturas appellant. Requirendum reum adnotare, comprehendendúmque decernere Decernere captionem corporis vocant.

Quod libello ſupplici poſtulabat,ad cōſiliū pro tribunali ſedēs,palā poſtulare iuſſus. Forēſi verbo,Facere requeſtā in iudicio. Poteſt & In iudicio dici. Cic. Quærebantqu id contra edictum feciſſent,reſpondebat ſe ad recuperatores eſſe dicturum. Et paulum infra, Quæ in iudicio dicturum eſſe dicebat.

Quantum petitor libello edidit, tantum sententia abstulit. Forenses, Adiudicatæ sunt ei conclusiones. Cic. Quantũ Apronius edidisset deberi, tantum ex edicto dandum erat.

Principalis scriptura, vel caput scriptionis: & Accessiones, quæ Additiones vocantur. Prima scriptionis editio, & secunda, tertiáque. Id est, Additamenta secunda & tertia. Potest etiam dici, Primæ editionis scriptio.

Reo fori trãslationẽ postulante, negat se causam relegaturũ, vel reiecturũ.

Conditionẽ latã renuntiare, est quod dicunt. Resilire vel Digredi ab oblatione facta: quòd si voluntate eius fiat qui conditionem accepit, dicitur acceptam facere cõditionem, hoc est, Remittere oblationem. Cic. in Frumenta. Scandilium cogis sponsionem acceptam facere. Acceptũ referre, est Dare apocham, & chirographo fateri acceptum. Idem, Rabonio inde opus acceptum retulit quadriennio postea, quàm diem operi dixerat.

Res in arbitrium priuatorum collata sine sponsione, irrita est. Id est, Sine mulctæ appositione, si arbitratui non pareatur. De qua dictione satis in Annotationibus diximus. Sponsione igitur facta, ad arbitros itur, quando pœnalis est arbitrii constitutio. Et Sponsione ad arbitros te prouoco, In iure rem meam à te repeto, vel vindico.

Libri actorum curiæ, & Libri arestorũ, sunt regesta, Registra vulgo dicta. Cic. in Frument. Misit literas ad Carpinatium, quas ego Syracusis apud Carpinatium in literarũ allatarum libris, Romæ in literarũ missarũ apud Tullium magistrum, familiarem tuum inueni. Iuuenalis Saty. 9, Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes Argumenta viri.

Grassatus in possessionem sacerdotii dici potest is, qui Intrusus à iurisperitis dicitur.

Aspernari imperiũ, & abnuere, Liu. Et Detrectare imperiũ, Curtius. Et Recusare imperiũ, Cic. de Senect. τὸ κελευόμενον ἀναδύεσθαι, est quod dicimus Obediẽtiã recusare. Cõtrà, Accipere imperiũ, & Imperata facere, & Dicto audiẽtẽ esse, est Obtemperare. τὸ τὰ προσταττόμενα ποιεῖν, τοῖς ἐπιταττομένοις πειθαρχεῖν. Tacitus, Cæteros Placẽtiam reduxit, minus iam turbidos, & imperia accipientes. Cicero, Id recte, ordine, è Rep. sine cuiusquam iniuria factum ostende.

Rogator sententiarum, est Qui iudicio præest, & rogat sententias.

Hæres relictus addubitans, nihildum de bonis diminuit, necdũ ei certum est hæreditatem cernere. Id est, Nondum se immiscuit. Cic. Nequid de bonis quæ L. Octauii fuissent, diminui pateretur. Et rursus, Nequid de bonis quæ Octauii fuissent, diminuerent, antequã Fundanio pecuniam soluissent.

Pridie Verbenaliũ, vel alia solẽni ꝓnũtiatione, arestũ curiæ recitatũ alienationẽ patrimonii minoris nubilis, ob eã nuptui collocandã, sed sine decreto factã, tametsi de sentẽtia gẽtiliũ & ꝓpinquorũ, cõtra ius esse factã. Id est, Nullã, & irritã esse. Cic. Ad VII. Idus Feb. Senatuscõsultũ ad Apollinis factũ est, ea quæ facta essẽt ad quartũ Id. Ianu. cõtra Rẽp. esse facta. Quo in sermone quædã verba subaudiẽda sunt, elegãti cõpẽdio loquẽdi. Potest & hoc modo dici, Arestis natalitiis, vel arestis Sextilibus, placitũ curiæ pronuntiatum est, fundum adultæ virginis orbæ parẽtẽ ac dote cassæ, sine decreto à tutore alienatũ

g. ii.

ob ipsam collocandā, quanquā agnatis propinquísque auctoribus, cōtra ius alienatū esse. Qui modus loquendi ab antiquitate duci potest. Cic. pro Murena, Dixisti Senatusconsultum me referente factum, si mercede conducti obuiam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus, vulgo locus tributim, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calphurniā factum videri. Gladiatoribus (inquit) id est, Cum gladiatores edētur, id est, Gladiatorio munere edito. Vsus est & Philip. 9, Circáque eam statuam gladiatoribus ludísque liberos posterósque eius quaque versus pedes quinque habere. A Græcis hoc sumpsit. Demosth. ἐν τῷ περὶ στεφάνου. καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον Διονυσίοις τραγῳδοῖς καινοῖς. Aristophan. Pluto, μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχουμένην ἐπὶ τῆς ἁμάξης ὅτι προσέβλεψέ με τις, ἐτυπτόμην.

Exequi non persequi rem iudicatam. Id est, Absoluere executionem. Cicero, Velim vt mandata meā digeras, persequare, conficias.

Nomina in exordiis litium prætexta, & in omni actu earū intexta. Qualitates vulgo dicuntur, quæ & Personæ dici possunt.

Infectum facere quod factum est, Est quod Reuocare vulgo dicitur.

Scite concipere quæ acta sunt, & Perscribere, scribarum est officium.

Iandiu iudicium dictatum est, necdum tamē ad causam aggressi sunt litigatores, lite hærente in præludiis & exceptionibus. Id est, Nōdum attigerūt caput intentionis, idque qua de re agitur.

In auspicanda maioris causæ actione, vt decorū est exordium facere, quod causæ argumento apte hæreat, ita vitiosum est gemino (quod aiunt) ab ouo narrationem exordiri.

Vrget testis reū cōtra quē dicit, quando rei inficiandæ propemodū ansam adimit. Sublcuat etiā suo testimonio, quādo indulgētius testificatur. Cic. ad Q. fratrē, Neque vrsi eū, neque leuaui: testis vehemens fui, prætcrea quieui.

Enodatæ causæ argumentū exponere, deinde post rogatā sententiam ēnucleate disserere, & constanter ad extremum sentētiam dicere, docti & probabilis est causæ commentatoris, qui & Inspector & Enarrator dici potest.

Cic. Agere cœpit cū Caninio de iis rebus, quas dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. Id est, de rebus à Vario alienatis fraudatore creditorū.

Citeriorem diem diplomatis venia prouocatori denuntiare, est Anticipare diem à prouocatore condictum.

Causa tam infirma est, vt gladio plumbeo cōfici possit. Id est, Vt ab aduocato imperito vinci possit damnaríque.

Ius & fas omne delere neglecta iurisdictio & pessundata potest.

Causa & actione perpetua primū grauiter explicata tractatáque, & altercatione deinde acri & vrgēte cōcertata. Cic. ad Atticū, Clodiū præsentē fregi in Senatu cum oratione perpetua plenissima grauitatis, tum altercatione.

Noua causæ firmamenta ac litis decretoria edere impetrato diplomate, cum eo vt diuersa pars iis rescribere, suppeditante sumptum ipso impetratore, & si ita res nata sit, in ea inquirere possit. Articulare facta noua litis decisoria vocant.

Exposcere pœnas iniuriæ, aut vis illatæ. Iustitiam petere dicunt.

Causarum in scripto constitutarum, triplex ferè est formula, moribus palatinis. Est enim Admonitoria scriptio, quasi animaduersionem iudicū attentionémque postulantis. Est rerum actarum, & facti quæstionum editrix & enarratrix, quod Intendere vocant. Est præterea quam Cōmemoratricem dicere possis, seu Commētarium argumentosum. Memorias in forovocāt. Et eiusdem est scopi cum intendente, in controuersiis ferè sacerdotiorū frequentata, similiter atque ea quam Factorum scripturam vocant per diametrum oppositorum. Eodem etiam spectat cum intentionis formula. Interdū autem commonefactrix scriptio euadit postea interfatione iudicū in aliam speciem, tum denique cum in commentariis recitandis iudices animaduertunt, in quæstionem iuris, facti quæstionem incurrere, decretúmque intercedere solet mutuæ commentariorum editionis.

Edicti promulgationi frequenter intercessum est. Forenses, Multi se opposuerunt publicationi literarum. Liuius, Inde frequenter migratū est à parentibus & propinquis raptarum. Id est ἀθρόως. Hoc est, Conferti migrauerunt. Cicero ad Atticum, Huic frequenter interceditur. Hoc est, Alii super alios certatim intercedunt, vel Confertim intercessum est.

Hypomnematographi pragmatici commētarios aduocatis cōscribentes, è quibus causas agunt, vel scriptiones conficiunt, vulgo Memorialia dicuntur ad altercandum vel scribendum. De quo vocabulo nonnihil diximus in Annotationibus in Pand.

Reuocare testes, Recolere vulgo dicūt. qui etiam Repeti dici possunt. Cic. pro Archia, Quoties ego hunc vidi, cum literā scripsisset nullam, magnum numerum versuum de his ipsis rebus quæ tum agebantur, dicere ex tempore? quoties reuocatum, eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis? Sic pro Domo sua, Quemadmodū iste præposteris verbis, omnibus obscœnis, identidem se ipse reuocando, dubitans, timēs, hæsitans, omnia aliter atque vos in monumentis habetis, pronuntiaret. Id est, Eandem rem sæpius iisdem verbis diceret. Sic Reuocare lectorem, est Iubere eum iterum recitare, in epist. Plinii de auunculo suo. ἀναπαύζειν ὃν ἀναγνώστην.

Legis sanctionem, vel iurisprudentum responsum, ad alias species proferre, & transferre, vulgo Extendere dicunt.

Prouocator prouocationem testatò denūtiauit prouocato, & iudici à quo curiam appellauit. Sed nondum in curia causam resortitus est. Id est, Nondum apud acta nomen dedit, & solenni clausula se & aduersarium astrinxit. Præsentare se vocāt & Concludere, Resortiri causam, est Iterum eādem causam in iudicium deducere. πάλιν δίκην λαγχάνειν.

Testimonia euariantia, & inter se refellentia, & quæ inter se colliduntur.

Patronorum & causidicorum Tullius, vel, In theatro curiæ Roscius, de principe togatorum dici potest.

Res omnibus vestigiis indagata ad iudicium allata est. Hoc est, Res perspicue probata est.

Cic. Nō differā cum eo vadimoniū: nam sum mira alacritate ad litigandū.

Formularii, Cautores, Formularū conceptores, vulgo Practici vocantur.

Quint.lib.12,Qui tædio laboris,quē ferre tendentibus ad eloquentiā necesſe eſt, diffugerint ad hæc diuerticula deſidiæ. Quorū alii ſe ad albū ac rubricas tranſtulerunt,& Formularii,vel(vt Cic.ait) Legulei quidam eſſe maluerunt.His affines ſunt Pragmatici,quorū & Cicero,& Quintilianus, & Iuuenalis meminerūt,vt circunforaneorum hominū, capturáſque facientium.

Iudices & magiſtratus municipales & primarii,ſunt quos Regios appellāt. Municipales autem dici poſſunt,& Secundarii,quos Subalternos vocant.

Rem cōſultam,agitatam ſæpius,& exploratam in iudicium deduxi.Id eſt, Non temere litigo.

Mediam cauſarū actionem diremit caſus vel nuntius nec opinatus, quod fit interdum.Id eſt,interpellauit.

Fidem publicam impunitatis poſtulare ob indicium faciēdum, moris eſt indicibus,id eſt,Seſe & conſcios deferentibus.

Edictū præconio promulgatum,adiectūmque,qui contra feciſſet, contra regis imperium feciſſe viſum iri. Vulgo dicunt, Contumacem aduerſus regem atque inobedientem declaratum iri.

In cauſam toto pectore incumbere,Cauſam totam complecti, Demittere ſe penitus in cauſam,Verba ſunt ſignificantia ſollicitam curam hominis litigantis,& omnia poſthabentis.

Homo rerum ſuarum compos,Suarū facultatum potens. vulgo Gaudere bonis ſuis dicitur.Sic,Eximii verticis compos,qui Clericatu potitur.

Iudex ſordium ſuſpectus vel compertus, vetitus eſt ſententia quicquam pro magiſtratu ad triennium agere.Suſpenſus vulgo dicitur.

Homines digami eximio iure raſi verticis imminuti ſunt,vel diminuti.

Poſtulator libellarius deſideria ſua palàm in iudicio proferre iuſſus eſt.Facere requeſtam in iudicio.

Lis eremodicio interciſa decem annorum.Interrupta in foro dicitur.

Per me actum erit quod egerit cognitor meus vel procurator. Id eſt, Ratum habebo.

E' libris actorum areſtum vel decretum excribēdum poſcere conſignatū. Habere licere per manū officii vulgo dicunt.Id eſt,Per ſcribæ chirographū.

Excluſoriæ præſcriptionis liticula præcurrit rei ſummæ controuerſiam. Finis non recipiendi.

Regia aduocatio,elogio ac teſtimoniis,teſtiúmque & indicis cum reo cōpoſitionibus inſpectis, mulctam irrogauit capitis.Id eſt, Cōcluſit capitaliter. θανάτου ἐτιμήσατο τῷ χρυσοχόῳ. ἀντιτιμήσασθαι vero, eſt contrarias concluſiones capere. Vt ſi præmium ſibi reus, vel eius patronus eodē nomine decerni poſtulet.Quòd latinè dici poteſt, E' diametro obuerſam litis æſtimationem facere.Vt ſi in mutua iniuriarum cōtrouerſia, actor & reus vterque ſit.Tunc enim erit ſpecies ἀντιτιμήσεως,hoc eſt, AEſtimationis litis viciſſitudo è diametro reſpondens,vel repercuſſa.

Exercere legem,vel conſtitutionem. Vulgo Seruare ordinationē dicunt. Huic mandata inquirēdi prouincia. Vulgo Tradita cōmiſſio ad informādū.

Qui nunc Oſtiarii dicūtur,Anteambulones præſidū & curiæ, Apparitores,

Viatores,& Præcones palatini dici possunt. Possunt etiam Accensi curiæ appellari, præsertim princeps ostiarius.

Aliud est Causam agere, aliud Decātare ad causam nihil pertinētia, vel nihil causam adiuuātia: quod quidā ostētatores faciūt, verba inaniter fundētes.

Colores causarū, sunt quæ Media defensionū apparentia vulgo vocantur: præsertim cum causa parū speciosa primore specie, exquisita ratione & prætextu tamen probabiliter defenditur. Quint. lib. 3, Sed dandus est illis deformibus color etiam apud malos: neque enim est quisquam tam malus, vt videri velit. Sic Catilina apud Sallustium loquitur, vt rem sceleratissimam nō malitia, sed indignatione videatur audere. Dare colorem causæ deformi, est quod dicunt Palliare. Idem lib. 4, Non est autem satis in narratione vti coloribus, nisi per totam orationem consentiant, cum præsertim quorundam probatio sit in asseueratione & perseuerātia: vt ille parasitus, qui ter abdicatum à diuite iuuenem suum asserit, habebit quidem colorem, quo dicat & paupertatem causam sibi exponendi eius fuisse, & ideo à se parasiti personā esse susceptam, quia in illa domo filium haberet. Idem alibi in eodem, Ne illud quidem ignorare oportet, quædam esse, quæ colorem non recipiunt, sed nec defendenda sunt. Qualis est ille diues, qui statuam pauperis inimici flagellis cecīdit, reus est iniuriarū. Nam factū eius modestum esse nemo dixerit: fortasse vt sit tutū, obtinebit. Cicero colores oratorios appellat pigmēta oratoria & ornamenta, quæ Plato etiam χρώματα & χρώματα appellauit.

Causa laborat inuidia, quæ suspicione premitur & infamia, quæ materiam habere odiosam dicitur. Quintil. Nam plurimum refert, inuidia reus, an odio, an contemptu laboret.

Causæ calumniosæ fundamenta firma iacere, id est Cuius difficile est calumniam refellere.

Præsumere partes iudicis, Quintilianus de iis causarum actoribus dixit, qui atroganter dicunt se causæ iudiciū fecisse, nec aliter causæ affuturos fuisse.

Magna parte muneris sui leuantur aduocati, quibus præformati commentarii traduntur à pragmaticis, vt tanquam vltimam manum imponant, seu scriptum in causa facturi sint, seu causam acturi. Sic dici debent quæ Memorialia directa vulgo vocantur. Id est etiam verbo Ciceroniano, quasi Amentata iacula veliti, aut ferentario militi tradere. Sic enim inquit in Bruto de præceptis Hermagoræ, Quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen vt hastæ velitibus amentatæ, sic apta & parata quædam singulis causarum generibus argumenta traduntur. Et lib. 1. de Oratore, Non est difficile oratori eius partis, quancunque defendat, auctorem aliquē inuenire, à quo cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoriis lacertis, viribúsque torquebit. Id est, Amentis & ansulis ad iactū præparatas ἠγκυλημένας, διηγκυλημένας. Tantummodo (inquit) iaculandi operam præstabit, non inueniendi & comparandi quod intorqueat in aduersarium.

Doctus & argutus aduocatus, & agēdo & scriptitādo frequētare enthymemata solet, iisque diuersam causam vrgere, atque impressionē in aduersarii iura copiásq; facere. Iuuenal. Satyra 6, Nec curtū sermone rotato Torqueat

enthymema. Enthymema hîc voco ſententiam cûm ratione, & argumentum oratorium. quod nõ vnius generis eſt, vt Quintilianus docet. In foro, Rationes validas appellant, & concludentes.

Sinuoſa cauſa, & longioris actus atque anfractuoſi. Vulgo, Longi tractus.

Nominum editiones, prouocantium & prouocatorum apud acta curiæ fiunt, eius exhedræ in qua ſe præſtò ſiſtere eos oportet qui iudicium prouocationis reſortiuntur. Præſentationum acta vocantur.

Opiniones præſumptæ, ſunt quæ Præſumptiones à Iuriſconſul. dicuntur. Quint. Nihil inuidia valeat, nihil gratia, nihil opinio præſumpta.

Exempla rerum iudicatarum citare conſignata cum die & conſule. Allegare areſta in eadem ſpecie, & Diem areſtorum edere. Quotare tempus & datam vocant.

Interdicto retinendæ poſſeſſionis iudicium conſtitutum. Id eſt, Iudicium conceptum eſt in interdicti formulam. Quinti. Si intuiti fuerimus, qua lege iudicium ſit conſtitutum.

Propoſitio oratoria eſt id fere, quod Dicere vtriuſque partis, lingua vernacula vocat, hoc eſt, τὸ λέγειν, & Id quod vtraque pars apprehendit tuendum & probandum, & promit in medium. Et Proponere, eſt In medium proferre. Cic. in Bruto, de Curione loquens, Memoria ita fuit nulla, vt aliquoties tria cum propoſuiſſet, quartum adderet. Quintil. in 4, Narrationem (inquit) ſequitur propoſitio opinione quorundam, mihi autem videtur omnis propoſitio eſſe confirmationis initium. Eſt autem duplex. Prior eſt, quæ oſtendit principaliter quæſtionẽ. Altera eſt ſpecies propoſitionis, quæ omni epichiremati præponitur. Prior interdũ ſimplex, interdum duplex, interdum multiplex. Eſt autem vtilis & neceſſaria in cauſis obſcuris & multiplicibus: cuius exemplum tale eſt, Lex eſt ſcripta, Peregrinus qui murum aſcenderit, morte mulctetur. Peregrinum te eſſe certum eſt: qui ſi murum aſcenderis, non quæritur quid ſupereſt, niſi vt te puniri oporteat. Eſt etiam propoſitio recuſantis, ſicut intendentis. Vt ſi petitori pecuniæ, obiiciatur, Malè agis. procuratori enim tibi eſſe non licuit: ſed nec ei, cuius nomine litigas, licuit habere procuratorem. Hodie, Media vocantur: & Dicta & facta partium.

In cõtrouerſiis ſunt quæſtiones facti, quæ Facta proceſſus vulgo vocãtur. Sunt & quæſtiones iuris, & cõflictiones iure ac legibus moribúſve, aut æquo & bono contendentium, quæ Græci δικαιολογήματα, & δικαιώματα vocãt. Quintil. Iuris autem quæſtiones ſolent eſſe nonnunquam ex aliis atque aliis conflictionibus. Facti autem quæſtiones idem ſpectant.

Noua facti capita articuloſe edere. Articulare noua facta vocant.

Hæc cauſa plus habet in iure ſummo ſpei ac fiduciæ, quàm in æqui boníque interpretatione. Hoc eſt, Fundata eſt in iuris rigore.

Vtrum credibilius ſit petitorem calumniari, an reum inficiatorem eſſe, vtriuſque exiſtimatio & vitæ conditio, cum facultatibus aut egeſtate refert.

Cõfligũt inter ſe teſtimonia, & colliduntur, quãdo inter ſe cõtraria eſſe vidẽtur. Vt iuris authoritates citatæ inter ſe cõfligũt, quãdo in antinomiã euadũt Quĩtil. lib. 7, Omnibus autẽ manifeſtũ eſt, nũquã eſſe legẽ legi cõtrariã iure

ipſo,quia ſi diuerſum ius eſſet,alterum altero abrogaretur.Sed eas caſu colli di & euentu.Collidūtur autem aut pares inter ſe , aut ſecum ipſæ,quarū ipſe exempla ſubiicit.Et paulò pòſt,Diuerſæ quoque leges confligunt, aut ſimiles : quibus etiam citra aduerſam legem contradici poſsit.Quæ ſint autē diuerſæ leges,quæ aduerſæ,ibidem ipſe docet.

Egreſſus & egreſsiones,Excurſus & excurſiones, Procurſiones,ſunt παρεκβάσεις.Excurrere,Expatiari,eſt quod dicunt,E propoſita materia egredi & lōgius vagari.

Articuloſa facti vel factorum commemoratio,eſt quod Articulare dicitur.

Articuloſa vel articulata impendiorum litis ratio,vel æſtimatio, eſt Articulatim taxare.

Deferre iuſiurandum & Offerre & Exigere,& Oblatum iuſiurandum recuſare & reſpuere.Quintil.

Signatores & teſtes infamare,refellere,refutare,inceſſere,inſectari, lædere,deſtruere,Quintilianus pro eodem,& Eleuare.

Commendare teſtes,exornare,eſt quod dicūt Saluare.Quintil.Verum interim & ſingulos vt exornare,ita deſtruere cōtingit,aut recitatis teſtibus,aut nominatis. Idem, Et multos & honeſtos cōmendare aliquando eſt facilius. Exornationes teſtium & commendationes,ſunt quæ inſectationibus reſcribuntur.Hoc eſt,Saluationes.

Deprehendi teſtis dicitur,qui Incōſtanter teſtimonium dicit, & AEſtuare, titubare. Idem,Sed & plus deprehenſi teſtes nocent, quàm firmi & interriti profuiſſent.

Teſtes conflati & ſubornati iidem ſunt. Quintil.lib.5,Sine odio conflatos teſtes,ſine inuidia,ſine gratia, ſine pecunia videri volumus. Idem, Illæ verò peſsimæ artes,teſtem ſubornatum in ſubſellia aduerſarii mittere,vt inde excitatus plus noceat.

Turba valent minuta argumenta.id eſt,Plura ſimul,quæ ſingula non prodeſſent. Quintil.de refutatione loquēs, Quæ verò turba valebunt,diducēda erunt.Idem,Hæc(inquit)ideo valent,non quia magna,ſed quia multa.

Cōtradictiones ſunt vices reſcribēdi inter actorem & reum , quæ Reſponſiua in foro dicūtur,ſæpius iterata.Quintil.lib. 5,Naſcūtur autem ex iis,quæ contradictioni oppoſuimus,aliæ contradictiones.Eúntque interim longius, vt gladiatorum manus quæ Secūdæ vocantur.Fiunt & tertiæ,ſi prima ad euocandū aduerſarii ictum prolata erit. Et quartæ,ſi geminata captatio eſt, & bis etiā cauere,bis repetere oportuerit. Replicationes,duplicationes,triplicationéſque ſignificat,& quadruplicationes,quibus reſpondet verbum Iterū repetere.Sic hodie Secundæ,& Tertiæ contradicendi reſcriptitandíque vices.

Iuris diſtributio duplex , Arithmetica & Geometrica. Arithmetica eſt, qua vtitur ciuilis iuſtitia,ius ſuū vnicuique tribuēs ex legum præſcripto,vel iuris moribus recepti.Cuius diſciplina docemur ius æquū facere , ſine diſcrimine perſonarum,quia perſonarū rationem habere nō didicit, niſi lex præſcripſerit.AEquà enim lance ius diuitis ac pauperis,docti atque indocti,boni ac mali viri appēdit.Quod ius eſt maxime populare , & democratiæ probatū,& eo

tribunalia vtuntur,& qui ius dicere ac reddere dicũtur. Distributio verò geometrica optimatibus gratior est, quod ius regium & principale esse debet, ius reddẽs, quod κατ' ἀξίαν dicitur. Id est, Pro dignitate omnium & merito tempe ratum, non tam humanitus quàm diuinitus inroductũ. vt Plutar. in 8. Sym posiacon auctor est, ὀλιγαρχίᾳ σώφρονι, καὶ βασιλείᾳ νομίμῃ πρέπουσα· καὶ ἔστι χρηστῶν καὶ πονηρῶν ὥσπερ ἐν αὐτοῖς τοῖς κατ' ἀξίαν διανέμοντι, διάκρισις. Hoc iure distributiuo Deus in regno suo vtitur, in eiúsque bonis honoribúsque dilargiendis. Sed eius iuris interpretatio fori cancellos nec penetrat, nec superat, & iandiu paucos sui studiosissimos habere existimatur. De hoc iure Plutarchus idem in 2. corũdem Symposiacon, ὥσπερ οὖν κάμνουσι πολλοῖς ἴσα φάρμακα μέξεις ἀκριβῶς καὶ σταθμοῖς διανέμων παγγέλοιος, οὕτω τοιοῦτος ἑστιάτωρ, ἀπὸ τῶν ἴσων θεραπεύων ἀπολύτας, ἀριθμητικῶς οὐ γεωμετρικῶς ὀρίζων καὶ μερίζων τὸ μέτριον.

Principes interdum quædam agunt pro iure ac potestate imperii iuribus moribúsque maioris non tam legibus suis soluti, quàm quòd iure nullo tenẽtur. Absolutam potestatem appellant.

Dum in dubiũ reuocatur iusta ac legitima causæ disceptatio, cõsistere interim iudicis officiũ ac cessare oportet. Id est, Cũ negatur iudex esse cõpetẽs.

Summittit iudex iudici imperium, cum cedit imperanti, aut aliàs pro potestate agenti. Quod Deferre in foro appellatur. Liuius, Collegæ fateri sibi in animo esse, Camillo summittere imperium. Hoc est, De iure imperii decedere, quod cum eo æquale habebant.

Causariis in iudicium arctiore vadimonio euocatis moris est per nuntium cum mandato destinatum, sonticum morbum excusare iureiurando rogandum. Exoniare vocant.

Mittere ambages iussus est causidicus, & caput causæ agere. Venire ad pũctũ.

Cognitor rei absentis iureiurãdo rogatus, respondit nihil de re assentiẽda aut constituenda suæ potestatis esse, nec mandatũ à causæ domino accepisse.

Subsidia causæ sunt, quæ Media seruandi sui vocantur. Et Subsidiis causam firmare, est Subsidiariã defensionem comparare, si aliis defensionibus causa destituta fuerit. vt fit, cum causæ frons parum firma & speciosa videtur esse.

Viscerationem facere iudicibus in iudicatæ causæ gratiam, honesti speciem habere existimatur.

Iusta patrocinii implere, vel Iusta causæ tuendæ & agendæ. Omneis numeros implere muneris causidici, & industriæ forẽsis, vel partium aduocati. Nihil reliqui facere ad causæ vberius patrocinium. De diligenti & docto aduocato dici potest, qui fidem ad extremum præstitit.

Ne certamen quidẽ altercandi tentauit, mulctam vel ignominiã metuẽs.

Interim iustitium causæ fit. Interim inhibitiones vlterius progrediendi, vulgo dicunt.

In potestate se curiæ, vel imperii iudicialis futurũ respõdit, vel Curiæ dicto audientẽ futurũ, id est, Iurisdictioni morem gesturũ, Iustitiæ obtẽperaturũ.

Diuturnum interregnum præsidẽtis in curia fuit, aut fuisse visum est per eius absentiam. Hoc est, In demortui locum diu nullus suffectus, vel aliàs desideratus est præsidens.

Veniam lege agendi apparitores petere solent,cum in alias ditiones transeunt quippiam pro imperio agendi gratia.Vulgo Assistentiam vocant.

Agendarum causarum diebus cognitores & aduocati ad horam præsto esse,& in procinctu debent in vestibulo curiæ, copiis suis instructi, causarũ ac nominum inclamationem manentes.

Id in rẽ esse existimationémq; causæ aduocato visum est,causámque subleuare,vel superiorem facere.

In id caput maximè aduocati oratio incubuit. Id est, Eò semper spectabat eius actio,Id in primis expugnare contendebat.Hoc est,Hoc pũctum lucrari volebat,vt vulgo loquuntur.

Libello supplici postulauit actorum sibi inspiciendorum potestatem fieri, per Scribámque describendorum.Per manum graphiarii vulgo dicunt.

Censura curiæ nuper in eam rationem incumbere cœpit, vt litium spatia concisiora faceret,vt procrastinatores vrgeret.

Aduocato causam agenti,vel Consiliario sententiam rogato,& verba accõmodata,& sentẽtiæ suppetũt,nec lepos in gestu & hypocrisi in causidico desideratur,cum eo vt præ se ferat magnam causæ fiduciam,vt iure certo nitẽtis.

Mulier quæ in mariti manum cõuenit,vel quæ vxor esse cœpit, licet annis maior,tamẽ alieni arbitrii est,iurísque iam nõ sui,nihil vt agere legibus possit, nisi auctore marito,nisi si negotiationi institoriæ præfecta est ab ipso.

Reus tædiferi habitu per ora vulgi traductus, & index sui suppliciter esse iussus sententia curiæ.Cui actuarius solẽnia verba præit,& apparitor ad λαμπαδηφορίας adigit. Pœna est recẽtiorum ætatum, antiquis iurisconsultis ignota,olim certaminibus sacris celebrata,nunc execrabilis,& tamen pœna translatitia & frequens in iudiciis.

Versuram omnem rei persoluere pollicitus est,vel sententia dãnatus. Vulgo Indemnem præstare vocant.

Multi non tam in ius quàm in iniuriam vocantur, vt quidem nũc est permultis in locis constituta iurisdictio,seu iudicum crimine,seu conniuentia, qui circunforaneis furtis fraudibúsque patientiam indulgentius accommodare,non iniurium esse putant.

Præcidere cunctationem hæredi de adeunda hæreditate deliberãti, & legis beneficio improbè ludificãti,creditor potest,aut defuncti in lite aduersarius, si creuisse eum hæreditatem aliquo dicto factóve contendat, suóque periculo recipiat.Manu tenere eum hæredem vocant.

Fuit tanti id testari aut contendere.Id est,Tantum in eo momenti fuit,vt periclitandum fuerit.Et(vt vulgo dicimus)Res bene tanti valebat.

Vltima sors forẽsis calamitatis,& litigatoris omni præsidio iuris & formularum,subsidióque lapsi,impendia litis vltro atque omne causæ dispendium, versurámque agnoscere, in séque suscipere. Id est, Offerre ante sententiam, sumptus, damna,& interesse.

Supplicans argumentum libelli sui palàm in iure exponere iussus, & cum aduersario ea de re certare.Facere requestam in iudicio.

Peruicaces litigatores & quasi fori alumni, è foro aduersa sentẽtia & mul-

ctæ adiectione explosi & eiecti,tamen per posticum sæpenumero reuertũtur. Id est,Qua minime suspiciosum erat.Quo verbo Cicero vsus est,& vulgus in sermone vtitur.

Salua res est,nobis iactura iuris errore aut negligentia facta,diplomate sarcienda est.Id est,Non hoc causæ vulnus insanabile est.

Molli articulo litigatorem tractare,iudicis est indulgẽtis,vel aduersarii nõ acerbi appellatoris,& multum de iure suo remittentis in agitanda lite.

Impressionem in copias facere, est Instrumẽtum litis ab eo prolatum destruere,aut luculentè labefactare eius auctoritates, & fidem literarũ strenuè insectari atque probabiliter.

Litium ilias in curia paucis annis exorta, multorum annorum cõsessu exhauriri non poterit.

Corycæi palatini,Homines sunt auscultatores, & arcanorũ captatores,veluti emissarii partium ad exploranda consilia litigantium,vel arcana litiũ, & postea aduersariis prodentium.Cic.ad Atticum,Itaque posthac non scribam ad te quid facturus sim,sed quid fecerim.Omnes enim Corycæi vidẽtur subauscultare quæ loquor,A Græcorum est prouerbio ductum, τῶν δ' ὁ κωρυκαῖος ἠκροάσατο.

Κορωνὶς instructæ litis,clausula est actorũ litis.Conclusionẽ in causa vocant. quando iam partes iudicium non morantur.Vel si altera pars iudiciũ detrectat, consignata exclusio instrumenti proferendi, quam Forclusionẽ vocãt.

Causa acta est passis velis facundiæ,copiæque dicendi.Vulgo Ad fundũ cuppæ vocant.

Primæ manus,secundæ,tertiæque scriptitantium.Id est,Additiones aliæ atque aliæ vtrinque datæ.Vel iterationes scripturæ. Scripta iterum & tertium vltro citróque edita.

Prolusiones causarum,sunt exceptiones,præscriptionésque & disceptationes translatoriæ,& iudicii constituendi,quos Fines declinatorios & non recipiendi vocant.Hoc est,Actionis dandæ vel denegandæ.Hæc enim prolusoria sunt certamina, qua de re agitur præcurrentia. Orare autem prouocationis causas prouocati causidicus ita solet,vt ingressum certãdæ prouocationis depellat vt futilis & ludificatoriæ:vel si translatio tractanda est,quòd curia perperam,& præterito foro proximo,quasi saltu appellata sit.Aut quòd appellator appellatione ceciderit,& tẽpore exclusus sit,ob id quòd dicat tribus mensibus appellationem denuntiari oportuisse.quo non facto eremodicium causa contraxit.Aut si denuntiata est,quòd non è formula denuntiatio facta sit, aut quòd denuntiatam postea renuntiarit.Aut quòd longo interuallo appellauerit,nec veniam temporis impetrauerit.Aut quòd à prouocatione interposita,iudicatum vltro fecerit:quod renuntiationis instar est.

Curia, vt Minos & Rhadamanthus,in mortuos iusdicit.Valent enim aresta curiæ in manes facta.

Dies halcyonii basilicæ palatinæ,præter dies festos,in albo sunt curiæ enumerati,quibus diebus silentium est à strepitu commurmurantis turbæ cõuenæ,& pragmaticæ nationis per turbã obambulantem huc illuc volitãtis.Ab

antiquis Alcedonii vocabantur ab aue alcedone, quam Græci halcyonem vocant. Plaut. Tranquillum est, alcedonia sunt circa forum.

Antestati antiquo verbo dici possunt, quos Recordatos lingua vernacula vocat, testes scilicet adhibitos vadimonio. Horatius 1. Sermonum,

-& quò tu turpissime, magna

Exclamat voce. & licet antestari? ego verò Oppono auriculã. Denuntiãtes enim litem (inquit Acron) præsentes quosdam adhibebant antestatos, coram quibus iudicii denuntiatio fiebat lege XII. tab. Antestati autem sunt οἱ κλητῆρες. & Antestari, est vadari testatò. Et is qui nullis rogatis testibus in ius vocatur, Inantestatò vocatus dici potest. Id quod fieri vetitum est à viatoribus, siquando quid lege agant, quod ad rem magnopere pertineat in dubium non reuocari. Plaut. in Curgul. Prò deûm atque hominum fidem, hoccine pacto indemnatum atque inantestatũ me arripi? Id est, Qui in ius nõ vocatus sum, nedum damnatus. Siquando aliâs igitur valere illud Horatii debet,

Multa renascentur quæ iam cecidere, cadéntque Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus: censeo vt in hac dictione valeat.

Adhuc anchorã vnam & alteram fortasse siccam habeo, quam, si opus erit, proferam. Id est, Adhuc literas auctoritatis & fidei plenas habeo, quas nõ antè instrumento litis meæ addere statui, quàm ad extremum discrimẽ ventũ erit, & iudices in cõsilium iamiã ituros resciuero. Potest & hoc significari, Nõdum omnia expertus sum, Haud dum omnia causæ argumẽta, vel defensionis subsidia in medium attuli. vt Lucianus, μία μοι ἴσως ἐκ εἴη ἄλλη ἔτι ἡ ἄγκυρα. Acsi dicas, Antequam iactum faciam, antequã causæ iacturam faciam, nonnihil adhuc habeo quod in medium proferam, quod hactenus ad extremã dimicationem intactum asseruaui.

Aduocati quidam imprudentiores, vel impudẽtiores potius, cõtra sanctiones legum in causis agendis libentes faciunt, siquid in aduersarium crimino se, vel incusabunde dicendum sit, quod ad causam attineat, vt tãquam nescii vel immemores quid satis sit, Augiæ (vt dicitur) bubile exhauriant, eiúsque quasi facundiæ plausum à corona captare videãtur. nempe quasi hominis accusationem, non causæ suæ actionem susceperint.

Nonnulli industriæ aut memoriæ vẽditatores sæpe supra clepsydrã loquũtur, cum aliorum iniuria, quibus aqua proxima debetur, ac iam fundi videtur: cum interim hi & suam & aliorũ perdãt, inania verba fundẽtes aut circũfluentia. Alii non modo supra clepsydram, sed etiam loquũtur supra crepidã.

Vltro citróque refutati testes, vel Refutata testimonia, & reprehẽsa, vel Literarum fides eleuata, & Proxime aleam certaminis ventum est.

Hinc & illinc scriptiones iteratæ, inuicémque editæ, & pro constitutis habitæ. Nostri Ad concordiam redactas vocant. Aut, si inde orta est controuersia, reiectanea capita adnotata sunt.

Acta quædam iudicialia iudicis decreto conscripta sunt: quædam inter partes cõuenerũt, & Conuenta vocari possunt, & cõplacita conflatáque, & consensu trãsacta, & conscripta consensu & consignata. Syngraphæ iudiciales etiam vocari possunt. Vno verbo Appunctamenta lingua vernacula dicta.

Iudicatus reus,per desertos dies vadimonii. Id est, Per defectus ab integro causam dicere potest,si præsto ipse fuerit ad iudicium.

Iudicata autem causa exclusione dici potest,quæ ex instrumẽto tantũ præsentis,& copiis ab eo prolatis iudicata est. In qua specie,etiam litem iudicatã secũdum præsentem dicemus,altero litigatore per detrectationem indicem cum copiis non proferente,vel litem instruere detrectante ex conuentis iudicialibus,aut edicto iudicis geminato: vel altera parte instrumẽti sui editionem vltra diem vnum & alterum vel conuento vel edicto iudiciali condictũ, procrastinante per detrectationem. Qui etiam Destituere vel interfationem iudicis,vel complacitum partibus constitutum dici potest.

Commeatus iudicialis duarum est formarum. Est enim altera in diem pronuntiari,qui in diem octauum,vel quintumdecimum,vel vnum & vicesimũ vel in tricesimum,vel alterum & quadragesimum sustineri iussus est,pro interuallo locorũ. Altera forma est præsentanei,quod Simplex congedium vocant. Similiter & eremodicium duplex. Alterũ, cuius dies à pronuntiatione cedit,non etiam venit. alterum,cuius dies protinus & cessisse,& venisse dicitur. Sunt etiam eremodicia denuntianda,& quædã non denuntianda, quo modo & commeatus.

Eiurare quod exhibendum petitur,vulgo Purgare se iureiurando dicitur.

Allegato nuntio cũ mandato eiurare vadimonium obeundũ. ἐξόμνυσθαι τὴν εἰς τὸ δικαστήριον ἀπάντησιν. Vulgo Mittere exoniatorem dicunt.

Referre litem,vel iudicium,vel actionem,est Vicissim agere contra agentem,quod Reconuenire vocant. ἀντεγκαλεῖσθαι, ἀντεγκαλεῖν.

Prouocatio scripti,& Prouocatio verbi. Id est, A' scripta sententia,& à non scripta,vel à decreto, imperióve,verbo tantum inhibito. Processum verbalẽ, & Processum scriptum vocant.

Vindex litis dici potest,qui liti defendẽdæ sese offert,vt ad se præcipuè pertinenti.

Res peruagata,peruulgata,nulli non nota. Vulgo Notoria dicitur.

Arestum curiæ factum ne sententia valeret. Id est, Sententia ad nihilum redacta. Ne venditio valeret quæ in fœneratitium contractum concepta esset. Id est,Contractus rescissus aresto curiæ fuit.

Ascribere nomen suum causæ,est In causam descendere,Causæ se applicare & adiungere. Cic. Philip. 2, Tu eius perfidiæ voluntatem tuam ascripsisti.

Suscipere facinus & agnoscere. Cic. pro Rabirio,est Auctorem se & mandatorem profiteri.

Homo lege Cornelia de sicariis interrogatus,id est Delatus. Cic. Quis me vnquam vlla lege interrogauit? quis postulauit?

Quæstione cædis decreta habitáque,quoniam cõprehẽdi reus delatus compertúsque nõ potuit,tertius dies ei semel,iterum, tertiúmque dictus est,præconióque ipse euocatus, & tandem proscriptus est, bonáque eius adnotata. Cicero, Quo iure,quo more,quo exemplo id factum?

Prodere dies legitimos statósque præfecturarum. Publicare dies Bailliuiarum & Seneschalliarum dicunt.

Quod à me dictum est iracũde, non criminis loco, sed maledicti obiectum est. Id est, Dicti me pœnitet, nec id affirmare ita factũ volo. Manutenere lingua vernacula dicitur.

Aliud est Interloqui præsidem causidico causam agente, & aliud Obloqui increpitando, & obturbare dicentem.

Offensatores causidici in curia dici possunt, quorum cliẽtes in fraudem sexagenariam sæpe incidunt. Et offendit patronus appellatoris, quando prouocatoriæ litis offensio mulcta cumulatur.

Pignora ablata fuerunt. Id est, Realis executio fuit facta, vt nostri dicunt. Cic. Pignoribúsque ablatis institit coercere.

Caduca bona, Caduca pecunia, Caduca dos. Nunc Regi applicata dicitur.

Reus & index diuersi primum interrogandi, deinde repetendi vel reuocandi, & coràm interrogandi.

Testium studium cum litigante sociatũ, iusta est refellẽdi testimonii causa. Id est, Si ad eos euentus causæ pertinet, Si pari studio in causam incũbunt. Cic. pro Flacco, Quid si testium studium cum accusatore coniunctum est, taménne isti testes habebuntur?

Iudicatus, Est iudicandi munus. Vt si dicas, Crimine famoso damnatis iudicatus postea non patet. Id est, In decuriis iudicum esse non potest. Cicero Philip. 1, Quid? isti ordini iudicatus lege Aurelia non patebat? Iudicatus autem homo damnatũ significat, & creditoribus addictum. Liuius, Centurionem nobilem militaribus factis, iudicatum pecuniæ cum duci vidisset Manlius, medio foro accurrit. Sic Neratius iurisconsul. sub titulo Si quis cautionibus, Si ipsius rei quæ petebatur, iudicatus fuerit.

De absente secundum præsentem iudicata est intentio, ob ipsius absentis desideratum defensorem. Id est, vt forenses vulgo dicũt, In vim defectus adiudicata est petitio.

Lædere reum, est Testimonio premere. Cic. in Verrem, Ita tamẽ nouo more laudant, vt legati lædant, legatio laudet.

Circunscribere quosdam è testium numero in codice inquisitionis, est Rationem eorum testimonii non habere vt iure refutatorum.

Habere rationem testium aliquot, vt iusti ac pleni testimonii, quorũdam vt non planè grauis testimonii, quorundam vt vehementer eleuati ac reprehensi, quorundam vt fidei strictim labefactatæ.

Mihi tantum hoc dederis: tum tibi magnam partem defensionis præcideris. Id est, Si mihi hoc punctum concesseris.

Aliquid exempli memorabilis in hoc iudicio statui oportet. Id est, Operæpretium erit de hac re ita iudicare, vt exemplo sit in posterum.

Quædam sunt curiæ iudicia & sententiæ, quædam edicta, & quædam curiæ consulta ad Reipublicæ causam, non priuatorum pertinentia, & tanquam è Republica futura.

Præfecturæ ad curiã Parisiensem cõueniẽtes, & ab ea ius resortitione petentes, in cõuentu Parisiẽsi disceptantes. E quibus qui sentẽtias de se vel de rebus suis pronũtiatas grauantur, vel protinus, vel curiã Parisiensem appellant.

Pronũtiatum, vt reo inquirere liceret, vel poteſtas eſſet, ad ſui defenſionē, & quibus vellet, teſtimonium denuntiare ad diluenda crimina. Nunc dicũt, Reum eſſe receptũ ad proceſſum ordinariũ. Plin. in epiſt. Vt ſicut accuſatoribus inquirēdi, teſtibúſque denũtiandi poteſtas eſſet, ita reis quoque fieret.

Vir virum legat quem ei videbitur. Vulgo dicunt, Adiunctum accipiat.

Refutationes teſtium percenſere & cōſtituere, & quarum ratio habenda ſit, quatenúſque, ſolenni formula adnotare, in eáſque inquirendum pronuntiare: tranſlatitias autem & futiles præterire, niſi ſi alioqui ſatis liquere de cauſa videatur. Iudicare facta obiectorum appellant.

Teſtes reuocati idem teſtimonium dixerunt. Id eſt, Iterata interrogatione idem teſtificati ſunt, Congruenter priori reſponderũt. Et Reuocata teſtimonia, Iterata, & repetita. Recolamenta vulgo dicta.

Eandem cauſam reſortiri. Eſt Rem iudicatam referre: id quod fit interdum impetrato diplomate reſciſſóque iudicio. ἀπαιακλήρωσις Græce dicitur.

Indulgere lites prolatantibus, eſt Dilationes ſuperuacaneas concedere.

Cauſa altercatione forenſi diſceptata vel actitata. Vulgo Placitata dicitur.

Reſcribere commentario aduerſarii. Vulgo Reſpondere dicitur.

Forma iuriſdictionis & vſus fori. Stilus à vulgo dicitur, & Practica.

Supplemēta & additamēta intentionis ſcriptæ. Additiones vulgo dicũtur.

Poſtremus creditor omnes antiquiores dimiſit, vt ſolus oppignerato prædio incumberet, tum ſuo, tum ceſſo iure.

Intentioni articuloſæ aduerſarii iureiurando reſponſitare, fatendo, inficiādo, addubitando. Vulgo, Per credit, vel non, dicunt.

Conſtituere quæ conueniunt in ſcriptionibus, & quæ diſcrepāt, quæ controuerſa & quæ confeſſa. Cōcordes & diſcordes articulos adnotare dicũt.

Teſtem vt inteſtabilē refellere, quaſi teſtimonii dicendi iure mulctatus ſit propter ignominiam.

Reus abſtinere finibus præfecturæ iuſſus, vel Excedere pomœriis & ſuburbanis. Id eſt, Exulare. Liuius, Vt Romani Africa, Pœni Italia excederent.

Iuſtus iudex non eſt, qui vltra fines iudicatus ſui, iuriſdictionem protulit.

Refellere teſtes & teſtimonia, tabulas & auctoritates prolatas reprehendere, & contradicere.

In eo non magna iuris aut cauſæ iactura facta eſt. Cic.

Refutationibus & reprehenſionibus teſtium, teſtimoniorúmque & literarum reſcribere, & Cōtradicta diſſoluere. eſt quod aiũt Saluationes proferre.

Non deeſſe cauſæ ſuæ, accuratéque inſtare.

Qui iure formulario cauſa ceciderunt, æquitatis officinā adeant ſupplicabundi, vt diplomatis patrocinio alleuentur eo caſu.

Captis pignoribus contumacem manúſque iniectione coercere, vel comprehenſione adigere, omníque legis actione in ea ſpecie ſolenni & moribus conſentanea.

Nexu corporis pignorúmque obſtrictus debitor, ceſsionem bonorũ quaſi naufragii tabulam apprehendere poteſt.

Primarii & ſecundarii iudices. hoc eſt, Principales, & qui principalibus iuriſ

dicendi fasces submittere coguntur, Inferiores vulgo dicuntur, vt Castellani, Vicani, Comopolitani.

Ambigere, ἀμφισβητεῖν, litigare. & ambigitur τὸ ἀμφισβητούμενον, id quod est controuersum. Cic. in Orat. Erit enim ei perspectum, nihil ambigi posse, in quo non aut res controuersiam faciat, aut verba. Alibi ius ambigi dicit, quod est ambiguum inter iurisperitos.

Percunctationes reorum, sunt interrogationes, ἀνακρίσεις. Et Percunctator est qui reos interrogat: qui aut callidus est, aut imprudens percunctandi, aut truculentus, aut indulgentior.

Indicis fides labat, qui vana obiicere videtur. Et labat reus, qui pcunctati nō cōstāter aut cōgruēter respōdet, aut nō æquabiliter pnegat, cū indiciis vrgetur.

Ilicet, semel id visum est curiæ, & pronuntiatum est. Verba sunt præsidis interdum ad causidicos post aresta pronuntiata denuo defensionem tentanteis, En tibi curiæ sententiam.

Ad illum tandem, in eúmque euentus controuersiæ rediturus est. Vulgo dicunt, In mandatorem tandem totum recidet. Vel, In illum tandem grauiter controuersiæ summa iam inclinata incumbet.

Cedo tantum curiam operam mihi daturam, cōtinuo aduersarium meum damnabo, & mulctæ & pecuniæ. Id est, Detur mihi modo audientiæ locus. Verba sunt hominis suæ causæ fidentis.

Causidici primi nominis interdum in sua palæstra offendunt. Quædā enim aresta exeunt paradoxa vel togatorum consultissimis.

Obturbatores causidici negotium exhibent curiæ, mutuo obstrepētes crebris interfationibus. Quidam etiam declamatores in argumento socci tragœdiam statim excitando vendibiliores sese facere existimant.

Rei veteratores confidētia præditi animo præsenti, percunctanti respōdent præsidi cum inducuntur, iure iurandóq; adacti summā innocētiā præferunt.

Nunc nihil moror hominem, etsi iure actionis non defectus sunt. Id est, In præsenti per me licet foro abeat.

Ad diem & horam præsto esse, Ad diem & horam non desiderari.

Hæc nullo pacto cohærent. Id est, Inter se pugnant, Hæc consentanea non sunt Terent. De improuiso nuptiæ non cohærent.

Superiore loco nūc causa nostrā esse cœpit. Id est, Melius iam nobiscum in foro agitur. Ex inferiore loco in superiorē euasimus accurate causam agitando. Virg. Quo res summa loco Pāthu. Liu. in 2. bel. Pun. Serranus prætor vota suscipere iussus si in x. annos Pop. Romanus eodē stetisset loco, id est statu. Cic. ad Brutum, Nostræ res meliore loco esse videbantur. Et de Arusp. Resp. Ponitur & pro necessitate. Idem in Diuinat. Tuli grauiter & acerbe iudices, in eū me locū adductum esse. Sic aduocati interdū in curia causas prouocationis agentes, in præcipitē locū adducti diu hærēt. Hoc est, Ad perorationē coacti pœnariā, vel Ad perorationis clausulā pœnariā. De superiore loco dicere, Est è rostris orationē ad populum habere. Ex inferiore loco dicere, Est ad subsellia iudicum. In tertio de Orat. Et de loco superiore quippiam statuere, est è tribunali. Vt apud eundem in Ver. Sic in epist. Illud quidem scio, meos

h. i.

& illustreis sermones & ex superiore, & ex æquo loco sermones habitos cum tua summa laude, ad te vero potuisse deferri. Ex æquo loco loquitur, qui nec pro imperio nec pro potestate loquitur, vt qui in edito loco collocati sunt. Significat etiam quasi è priuato loco loqui. Hoc est, Ciuili sermocinatione: & quod vulgo dicimus, Vt par ad parem loquitur.

E foro iudiciali pauci, vel E conciliabulo forensi pauci, re, fortunis, hilaritate auctiores domum redeunt.

Carere aula, foro, curia, vacatio est quidem illa philosophica, atque inter primas ducenda: sed non tam commendabilis quàm expetenda, quippe quæ felicitatis sit potius quàm consilii.

Præscriptio temporis memoriam excedentis, vel secularis, est Centenaria præscriptio antiquior hominum memoria.

Secretariũ, vulgo camera consilii dicitur, cuiusmodi habere debet iudices prouinciarũ, sanctionibus Imperatorũ. Cameræ autem dictæ sunt à nostris, quasi concameratæ, quæ forma est ædificiorũ priscorũ, præsertim publicorũ.

Aduocatorũ curiæ quidã tirones sũt, quidã è tironibus excesserũt, quidã veteratores magis sũt, quàm veteres. Nã qui ad ætatẽ paulo vergẽtiorẽ venerũt, ferè rude se actionũ donat & altercationũ, scriptitantq; tantũ & respõsitant.

Hactenus nihil fermè forensibus nostris negotiatoribus cum vsu fori Romani, vt nihil iurisconsultis recẽtioribus cum schola iurisprudẽtiæ Romanæ.

Ex quo homines meminerunt, id ius semper vsurpatum est. Id est, Post cẽtum annos eo iure vsi sumus.

Intra annum & diem, quàm vis facta est, aut turba possidenti euenit, interdicto experiendum.

Omnia causæ argumenta firmamentáque memoriter disertéque enumerare & complecti. Media causæ deducere dicunt.

Scriptitandi vicissitudine determinata est controuersia. Id est, Constituta disceptatio. Hoc est quod aiunt, Scripturas ad concordiam redactas.

Hornotinarũ appellationũ, τῶν ἐπετείων καὶ τῶν ὠδέτων codex, Rotulus præsẽtis parlamẽti dicitur. Sunt autem & bimæ & trimæ, quæ suos habent codices.

Custodiæ quædã integræ sũt: vt rei primũ delati, aut inter reos recepti. Sũt & delibati iam nominis & affecti, vt veteratores: & rei repetiti iterũ & tertiũ. Cuiusmodi sũt ferè laceri, & mutili, & stigmatici, & inusti, verberones famosi, & mastigiæ facinorosissimi, vno nomine, Vltimis pœnarũ exẽplis despõsi.

Omniũ horarũ causarúmque aduocatus, vel actor. Id est, Summo officio inter togatos præditus. Quidam omniũ horarũ consulti, non etiã causidici.

Formalis clausula peroratoris causæ prouocationis in hãc sentẽtiã verbáq; ferè cõcipitur, Proinde perperã & inique iudicatũ esse, vel decretũ, vel lege actũ cõtẽdo, & meritò prouocatũ, impediáque litis postulo: & quãti mea interest æstimari. Cæterũ cũ causæ fiducia labat, hæsitãtes causidici, & aleã certaminis detrectãtes, solẽni clausula abstinẽt, ad officiúmque curiæ implorãdũ actionẽ suã vertũt, hoc atque illud causantes, quasique arbitratu curiæ litẽ decidere tentãtes. Quod genus cautionis plerunque iis abscinditur, & cedere vel certare cõtinuo iubentur, vlteriúsque vetãtur pacificatricẽ curiam è

iudice facere. Quod ad verbum fermè dicitur, E foro iustitiæ forū mercuriale facere, inanirérque diem & horam aliis causis eximere in procinctu existentibus. Ita fit vt serò herbam porrigant vrgentibus aduersariis, cum hoc ferè vt nonnihil mulctæ pendant in singulos causarum annos definitæ.

Cognitores etiā causarū ambiguarū & ancipitis certaminis, vel verius deplorati, cū nomina citātur, assurgere repēte solēt, & tāquā patrono destituti, excusant à cōsultis cōmodū cōperisse, eā rē sibi nō esse disceptādā propter prouocationis aleā nimiū præcipitē. Proinde orare se, vt quoniā à domino litis absente & negligēte, mādatū cedēdi nō habeāt, curia auctore id facere sibi liceat, absentiq; cōsulere. Quod eis nō negatur, in eiúsq; rei significationē arestiverba cōcipiūtur. In qua specie cētusses singuli nomismatis nostri, annotinis prouocationib⁹, bimi bimis, & trimi trimis cōstituti sūt vsu curiæ, pœnæ nomine pro iusta & legitima succidaneæ: ob id indulgētius, quòd citra pulueris iactū manus dederūt. Et eiusmodi causæ deditītiæ, nō Iudicatæ vocātur.

Quidam ad rem attentiores prouocatos se iure intelligētes, commode vti foro nouerunt, & prouocatione circunscripta, eóq; quóde prouocatū est, inducto, eò sūptus litis anterioris & simul prouocatoriæ vltrò faciunt vt agnoscant, ne in maius dispendium, aut in reprehensionē impudētiæ incidāt, eóq; vnde prouocatū est, denuo reiiciantur tanquā causa postliminio redeunte. Contrà autē, qui suum clientē temere, aut iniquè prouocasse cōpererunt, ne fraude sanctionibus constituta eū alligent, & se verecundia, si certamen tētauerint, Iudicio anteuertunt: & nomini in ordinem incurrenti imminentes, simul ac recitari audiūt, pro eo vt causam agant animo prouocatoris, deprecatoris personā assumentes, nequaquā sibi in animo esse aiunt aleā certaminis iacere, causámque iam se non dicere quominus curia pronunciet, id quā de re prouocatum est, rectè atque ordine decretū, aut lege actum, sumptusq; litis ipsi dependant, quatenus ius æquúmq; visum fuerit. Sic propemodum controuersia in concordem discordiā euadit. Nonnulli quasi inter sacrū saxúmq; constituti, & consilii inopia in re improuisa deprehensi (vt sunt eius fori quandoque fortuita certamina, interdum aliud agētibus nec opinata) abiecto scuto patrocinii, rem curiæ permittere se aiunt, hoc pacto consulere se clientibus suis præ se ferentes. His autem transigendis opus est interuētu cognitoris causæ, eiúsq; astipulatione: vtpote in cuius curam & arbitrium causa per litis contestationem collata sit. Qui ad hæc subsidia confugiunt, causam dicere nequeunt, quin versuram omnem temerarii litigii soluant.

Vsu etiam venit interdum ab audacia consilium mutuātibus, vt commode miréq; defungantur causis temerarie susceptis. Vsque adeò nonnunquam præstat vti præsenti fori numine, quàm secunda prudentum auctoritate. Vicéque versa euenit, vt consultorum auctoritate freti, cum multorum stupore ad curiam prima actione offendant. Adeò nusquam non pollet potentia illius rerum arbitræ, iuris & æquitatis nesciæ. Et præcipitis aleæ nonnihil habet simile extemporalis causarum disceptatio.

Vis illa fuit factiosa, iudicii arbitra, non iudicium atque disceptatio iudicii similis. De sententia dici potest ambitu & coitione lata. Cic. Non fuit illud

h. ii.

iudicium iudicii ſimile iudices.

Iugulata cauſa ſuo litigantis gladio. Id eſt, Sua ipſe confeſſione litigans, vel,aliquibus prolatis inconſulte literis,cauſam ſuam euertit. Et Imprudens litigator vlcus cauſæ attigit.

Herbam dare forenſem,eſt Litigio cedere. Digitum tollere, eſt Concedere quod pars aduerſa contendit. Concorditer conſentire vulgo dicitur.

Fragmentum naufragii arripere dici poſſunt, qui cauſa iam deplorata, vltimam ſortem calamitatis redimunt,ſic litis iacturam facientes, vt acceſſiones ſeruent. Qui autem graui aliqua conditione depaciſcuntur in re perdita, vulgo Per paluſtria fori ſe recepiſſe dicuntur,quia in luto ſæpe hærẽt,& quaſi verſuram ſoluunt. Per hortos autem euaſiſſe dicũtur, qui quaſi lotis pedibus abeunt,tolerabili conditione defuncti periculo.

Damnati mulctæ ob noxam etiam priuatam, niſi iudicatum faciant, ferè nexum ineunt. Abducere etiam mulctæ damnatos ob id quod temere prouocaſſe dicantur,ius eſt mulctarum coactori,ſi ſuo iure protinus vti velit.

Congiaria ſertorum,& ſportulæ roſariæ dari ſolent principum nomine,ſedentibus in curia patribus eo tempore quo roſa floret.

Cauſæ in catalogo circunſcriptæ. Id eſt, In codice prouocationũ inductæ.

Iuſti dies conſtituẽdi de cernenda hæreditate,vel repudianda,ſunt XL.dies moribus conſtituti. Et totidem eodem iure indulti ſunt patrono poſſeſſionis clientelaris poſt denuntiationẽ,ad ſtatuendum an iure patrocinii vti velit aduerſus emptorem fundi beneficiarii, pretiũmque offerre beneficiario.

Conſtituendum etiam poſſeſſori prædii clientelaris neceſſe eſt, ſimul vt manus iniecta eſt iure patrocinii, agnoſcere an abnuere velit eum vt patronum,qui ipſam manum iniecit,niſi tertius liti ſe obtulerit,vt aſſertorẽ clientis, vindicémque patrocinii. Alioqui inficiator patrocinii prædio ipſo mulctatur,ſi temere abnuiſſe aut cõtumaciter compertus fuerit,& beneficus dominus exercere legem beneficiariam & clientelarem velit.

Aliud eſt Penitus ſe in cauſam bonáque fide demittere,aliud Perſonã ſuam in lite aliena adumbrare loco beneficii.

Excipere dolum cum accuſatiuo,vt Excipere rem iudicatam, Excipere tẽporis iuſti ad vſucapionẽ lapſum, παραγράφεσθαι παρῳχημένον τὸν γιγνόμενον χρόνον.vel περὶ τοῦ γιγνομένου χρόνου τῆς κατὰ τὸν νόμον κτήσεως. Cicero in Partit. Quare de conſtituendis actionibus, accipiendis ſubeundíſque iudiciis,de excipienda iniquitate accuſationis,paululum ea ſeparo à iudiciis.

Conſtituta diſceptatio dicitur Latinè fere, id quod nos Cõcordiam factam ſcripturarum dicimus. Cic. in Partit. Diſceptatio autem cum eſt conſtituta, propoſitum eſſe debet oratori, quo omnes argumentationes repetitæ ex inueniendi locis coniiciantur.

Quæſtionum tholus,Exhedra eſt curiæ,quam Tornellam vocamus. cuius cõſilium,Claſſis quæſtionum dici poteſt. Quæſtio enim cauſa eſt criminalis, & iudicium publicum. Cic. in Bruto, Hic optimus illis temporibus patronus eſt habitus,eóque forum tenente iudicia fieri cœperunt. Nam & quæſtiones perpetuæ eo adoleſcente conſtitutæ ſunt,quæ antea nullæ fuerunt. Id eſt, Iu-

dicia publica suis legibus propriis formulis constituta, vt legis Corneliæ, legis Iuliæ, & aliarum. Idem pro Cluentio, Quid illa tandem quæstio aut disceptatio, aut iudicium fuit? Idem, Vis illa fuit, & quiduis potius quàm iudicium, aut disceptatio, aut quæstio. De disceptatione idem in Partit. Ex rationis autem (inquit) & ex firmamenti conflictione & quasi cócursu, quæstio quædam exoritur, quam Disceptationem voco, in qua quid veniat in iudicium, & de quo disceptetur quæri solet. & 1. Philip. Non igitur prouocatio ista lege datur, sed duæ maxime salutares leges, quæstionésque tolluntur. de iudiciis, de vi, & de maiestate loquens.

Causa æquabili conditione disceptata, quãdo ex æquo vtraq; pars ius suum obtinuit. Contrà, Iniqua conditio fuit disceptantium, quando alter nimium æquis iudicum auribus vsus est, vel alter nimium iniquis atque auersis.

Hoc nunquã hactenus in medium prolatum. Nunc dicũt Factũ esse nouũ. Cic. pro Cluent. Egestas domestica, quæstus forensis in mediũ proferebatur.

Mulctam commisit. Id est, Incidit in sanctionem legis pœnariæ. Varro, Qui pecuarias habent, ad publicanum profitentur, ne si inscriptũ pecus pauerint, committant. Vsus est & Cicero pro Cluent. Simile est Committere hæreditatem, vt Committere patrono & benefico domino ob perfidiam beneficiarium prædium. Idem in Ver. Faciemus vt palestritæ negẽt statuas ex testamẽto esse positas, petántq; hæreditatem, quòd eam palestræ commisisse dicant. Inde etiam Cõmittere pignus & hypothecam. Cic. lib. 13. epist. Philotes Alabandensis hypothecas Cluuio dedit, hæ commissæ sunt. Cures velim vt aut de hypothecis decedat, eásq; procuratoribus Cluuii tradat, aut pecuniam soluat. Inde lex Commissaria dicta, quæ hodie in hypothecis improbata est.

Qua de re aduocatus appellatoris curiam in consilium in præsentia miserat, curiæ visum est, vel curia censuit, temere ac perperam curiam ipsum appellasse, mulctámque commisisse. Id est, De prouocationis causa in qua aduocatus ex formula concluserat, vt ex tempore ius redderetur.

Iudex sanctus, diligẽs, perspicax, religiosus, officiosus, veteris disciplinæ iurisdicendi retinens. De laudabili iudice dici potest, cui addere potes prudentiam, integritatem, auctoritatem, dignitatem modice imperiosam.

Selecti iudices propter causæ grauitatem à principe codicillis dati, Delegati regis dicuntur. E curia autem, aut è consilio existimatissimus quisque in selectos relatus est. Cic. pro Cluent. Deinde prætores vrbani, qui iurati debent optimum quẽque in selectos iudices referre, nũquam sibi ad eam rem ignominiam censoriam impedimento esse oportere duxerunt. Selecti iudices imperio dictatorio & iudicio dati. Id est, Sublata prouocatione, vel cum potestate dati intercessione ac prouocatione maiore.

Reus deprehensus, non innocentiæ patrocinio, sed verticis sancti præsidio seruatus est. Quod moribus nostris licet perditorum hominum colluuioni, quasi canonũ prærogatiua sentẽtia, si tantũ nouacula delibatũ capillum, aut forfice insignitũ habeất. Vnde fit vt custodiæ pontificiæ è colluuione coactæ sint fœda, tetra, & propè execrabili. Huiusmodi enim ferè sunt personæ fascibus regiis ciuilibúsque sacrosanctæ, nimia religione iudicum sacra iuxtà pro-

fanáque capita exæquantium.

Inscripta causa è libello extra ordinem in curia inclamata, Per schedulam appellata dicitur. Id est, Quæ in catalogum tribunalis relata non est, vel perscripta. Quod genus, præsidentis est indulgentiæ. Eremodicia enim etiam è libello committuntur post tertiam inclamationem ex edicto præsidis.

Capita noua scriptionis edere diplomatis venia, probandáq; suscipere. Articulare vocant.

Repudiare prolati diplomatis editionẽ. Vulgo, Depellere à literis appellãt.

Conditionis latæ aut acceptæ auctoritatem consignatam habere ei liceat. Habere actum vocant de eo quod oblatum est.

Iudiciorum formulis, & fori decipulis homines minime malos, atq; etiam candidæ mentis, cum grandi patrimonii noxa nõnunquam captos videmus.

Legum sacratarum minaci sanctione seruati iterum & tertiũ homines ter nefarii, tum demum legibus capitalibus (si diuis placet) grauatè permittuntur. Et ea superstitione existimamus litare maiestati orthodoxiæ.

In capitibus profanis quantum admisit improbitas, tantum vindicandum putamus: idque Leges exercere iurisdictione commendabili vocamus. Areola autem insignita capita legibus eximere, impunitatísque numini condonare, pulchrum, pium, religiosum nobis esse persuademus, acri inuitamento perditæ multitudinis, fiducia peccantis superstitionis nostræ.

Inducti in curiam, & iureiurando rogati, sunt ii quos curia præsto futuros & interrogandos certam ob causam interloquendo decreuit.

Iudicatus pecuniæ addictúsque. Id est, In carcerem ire iussus, quoad iudicato satisfecerit.

Libellum subscribere, & Libellus subscriptus. Requestæ respondere vocatur, & Libellum subscriptum aduersario denuntiandum curare.

Cõmentariũ prouocatoriũ proferre, in eóq; sententiã vt iniuriã in vniuersum, aut sententiæ capita vti iniuria atq; iniqua cũ multiplici reprehensione grauari. Grauamina tradere vocãt. Quod est tanquã nõ ius, sed iniuriã deprecari appellatã curiã, aut aliũ iudicẽ appellatũ: & veluti fidẽ iurisdictionis maioris æquiorísq; implorare aduersus rem perperã, iniquè, inscitéque iudicatã.

Causæ suæ instruendæ facultate mulctatus is dici potest, quem lingua vulgi A productione exclusum vocat. & Iuris experiundi libera atq; integra potestate imminutus, qui aliquo litis instruendæ articulo minutus est, seu actor seu reus sit. vt verbi gratia, Reus intentionis depulsione, hoc est defensione, ideo mulctatus, quòd vel decreto iudicis, vel conuento iudiciali non paruit, intra dies iustos defendendo. vel Actor inquirẽdi potestate priuatus, quia inquirendi dies præterierunt. Et vtercunque litigatorũ vlla iuris exercẽdi parte cecidit ob absentiam, & vel eremodicii exceptione, vel tẽporis præscriptione exclusus est, Imminutus iure vel actoris, vel defensoris dici potest.

Eremodicio autẽ semel cõmisso, & cognitori litis denũtiato, aliquo post tẽpore citatur is qui iure diminutus est, ad eremodicii cõpendiũ disceptandũ. Quòd si vadimoniũ citatus iterũ pro nihilo duxerit, eremodiciũ alterũ (ferè enim binis eremodiciis ad singulas imminutiones opus est) pronũtiatur,

in diem tamen formularem suspensum,& tantisper iners.id est, ἀργόν.

Si te cõditionis tibi latæ pœnitet,referto tu vicissim mihi aliã.Id est,Si tibi nõ placet quod ego prior obtuli,vicissim tu mihi offer quod æquũ videbitur.

Lis ob perfugium decem libris æstimata fugitiuo.

Reus ampliatus prædes dedit ad diem statum rediturum.vel primo quoq; vadimonio staturum, vt tantisper abire domum ei liceat. Reus delatus, quoniam inquisitionis longioris res esse videbatur,postulauit supplicabundè vades sibi dare liceret,bona curiæ venia, ad iudicium occursurum die sibi præstituenda,aut quæ prima dies curiæ imperio diceretur.

Lis auctore curia decisa & composita.Vulgo Homologata dicitur.

Reus loci sanctitate fretus cum è medio proripere se neglexisset, comprehensus intra fines asyli,curiam appellauit.Appellatione disceptata, curia cẽsuit sanctitatis compotem non futurum, qui meditatus sicarius compertus esset,legibúsque permissus est,& quæstioni traditus.

Sacculi litis inscripti apud acta proferuntur.Id est, Epigrãmatibus adsutis.

Syngrapha iudicialis per oppressionem exacta.Appunctamentũ vocant ab incauto & aliud agente extortum.

Anticipatum diem & breuiorem prouocatori denuntiare,eius est prouocati qui vrgere vult prouocationis controuersiam.

Prouocato prouocationem denuntiare, exercentis est prouocatoriã controuersiam.Intimare in foro vocant.

Ieiuno & exili iure nititur is, qui longe inferiorem causam habet.

Iuri experiundo diplomate restituere eum qui causa ceciderat. Releuare appellatur.

Caducum ius & iacens alleuare & erigere æquitatis adminiculis.Id est,Diplomatibus.

Causas in caduci causam delapsas in gradum reponere curriculi iudicialis.

Instauratiuum ius experiri,& Rediuiuam actionem intendere, restitutionis codicillaris beneficio.

Longi temporis vsucapiones iure minoris ætatis,senectutem exuunt.

Fugientes quædam actiones sunt,vt interdictorũ intentiones, & iudicium de dolo malo:quorum cursus appellatione sistendus.

Iuris acerbioris aut durioris lenimenta,Mandata sunt æquitatis, quæ Alleuamenta vocantur.

AEquitatis supplemento ius exhaustum tempore,reficere ac refouere.

Officina causarũ inconsulto institutarũ recõcinnatrix.Cancellaria iure suo lapsorũ per incuriã aut inscitiam cognitorũ aut pragmaticorum alleuatrix.

Rei quidem canonici iuris prærogatiua ciuili foro exẽpti,cum exceptione selecti criminis relegantur ad pontificiam cognitionem:ita vt auctorati præiudicio curiæ aut cuiusuis præfecti prouinciæ, in reatu semper esse censeantur regii criminis ergò,quoad eo nomine in eos vindicatum sit.

Themidis consultricis, id est, Bulææ oracula quædã celebrata sunt in conclauibus quibusdam basilicanis,sed flexiloqua sæpe & ludificãtia, ne dicã fallacia:siue antistitum est culpa,qui tantum consilii potentes sunt:siue eorum

qui etiã iudicii: siue eorum qui causas nõ exploratas & percognitas deferunt ad consultos rerum iudicialium, qui litibus exercendis aut segnes sunt, aut improuidi, aut parum suis instantes cognitoribus, sæpenumero agentibus in periculis alienis. Vt mittam quòd alea quoque in iudiciis nonnihil potest.

Sacramento rogati tyrones non statim eorum sunt ordinis qui ad cancellos cum humerali togatorũ oberrãt. Contrà, Veterani, qui ad subsellia sedẽt curiæ cum libet intromissi, emeritæ iam sunt vocis, cætera munifices, duntaxat voluntarii, plerique etiam cupidi & assidui. In vniuersum autem tres sunt classes aduocatorũ, Primani, secundani, tertiani. Id est, Primæ, secundæ, tertiæ nomenclaturæ postridie Martinalium. Quorundam autem & patrocinium & scriptio emitur quanti indicauerint. Sunt etiam qui scriptitando mimographi videntur potius, quàm causarum disceptatores: sicut aliqui causas actitando, mimos agere videntur, & plausus scurrarum more captare.

Edicta regia, codicilli præfecturarum, quæ è curia nostra iura resortitione petunt, diplomata etiam venialia in curia disceptanda, non omnibus diebus, non horis omnibus, sed actoribus tantum causarum promulgantur. Id est, Dum causæ aguntur. De quo loquendi modo satis suprà dictum est.

Est sua causidicis palæstra in exordiendis actionibus, exercendísque altercationibus, quomodo & in omni actu fermè scenæ atque circunfusæ multitudini seruienti. Id est, Gratia & lepos in pronuntiatione, in gestu, in hypocrisi. Sed quidam sunt apalæstri, quidam vasti, quidam agrestes gestu, habitu, sermonéque enormi & inconcinno.

Caducaria iura pontificum, & Caducariæ obuentiones archidiaconorum, Deportus vocantur in Normania: hîc autem Fructus sacerdotiorum controuersorum. Et Sacerdotia ipsa de quibus ambigitur, In causam caduci cessisse dici possunt.

Omni memoria ita ius fuit. Id est, Semper ita obseruatum est in iudiciis.

Perplexam causam explicare vel scribẽdo, vel agendo, & Implicitam euoluere, Difficilem enucleare, solertis est causidici atque experientis.

Homines parum in foro gratiosi, aduersis auspiciis litigare videntur. Nihil enim promouent, nisi magno cum dispendio.

Homo litiũ diuulsarũ lacerarúmq; sarcinator. Vulgo Renodator dicitur.

Iniuriarum damnatus, ad palinodiam ignominiosam adactus est.

Reus criminis compertus, ad exhomologesim calamitosam traductus est, prælucentis habitu planipedis.

Homo omni litis perditæ calamitate mactatus. Cui præter impẽdia & mulctam etiam, litis æstimatio adiecta est.

Ad eum lis pertinere non potest, cui nec seritur in ea, nec metitur. Vulgo dicunt, In eam nec ponit, nec ex ea accipit.

Delibata aliunde decerptáque iurisdictio. Vulgo Eclipsata dicitur.

Causa ex alto luto vix emersa, in quo diu hæserat.

Fructus aduẽtitii prædiorũ, sũt quæ vulgo Laudimiæ vocãtur. Fructus honorarii, sũt quinta pars pretii prædii cliẽtelaris cũ fidei obsequiosæ præstatione.

Aduocatio regia legum sanctionúmq; propugnatrix, minime meticulosa,

minis,promifsis,blanditiis.illabefactabilis,necefsitudinũ,propinquitatum, ambitionis præ fide ac religione muneris fui contemptrix, rara auis in terris,nigróque fimillima cygno. Eiufdem difciplinæ eft,ætatéque æqualis,curia in vniuerfum ad perpendiculum æqua legum & æquitatis interpres & adminiftra, eiúfque clafsium ductores ad perpendiculum recti, ad normã exacti iurifdictionis fummæ,exempláque condentis.

Fuit haud ita pridem,cum arefto vel temporis iniquitate expreffo,vel ambitu expugnato ingens eft inflictum vulnus legibus & iuftitiæ. Quod etfi tempore coaluit,quafi obliuione, tamen cicatricem luculẽtam obduxit, deformémque, & fiquando exemplum rei malæ prætexendum eft, fœde refricabilem. Libertas fed enim populi,quem regna coercent,

Libertate perit:cuius feruaueris vmbram,

Si quicquid iubeare, velis. Interdúmque cum eo ventum eft, vt imperio necefsitatis organis fuccincto,fafces conftantiæ fummittendi fint,

-venia eft hæc fola pudoris,

Degenerífque metus,nil iam potuiffe negari.

Rei delati fine re,fine fede,fine lare,fuis legibus iudicandi funt,quæftióque de huiufmodi compendio exercenda eft fanctionibus regiis. Vulgo Vagabundi vocantur.

Teftis fine re,fine cenfu,fine fpe,fine fide,facile refelli poteft.

Reo capitalis rei comperto vfura tantum lucis feruata. Id eft, Omnibus pœnis citra mortem affectus eft.

Iudex poteftatem adeundi fui nõ facit, vel copiam fui adeuntibus inuidet, Non patitur fecum agi. Id eft, ἀπροσίτως ἔχει.

Aduerfaria areftorum & fententiarum,vulgo Dicta vocantur. Tabulæ verò funt perfcriptiones,quæ Regefta dicuntur. Breuia etiam dici poffunt.

Reliquiæ & accefsiones rerum iudicatarum, funt fumptus litium & æftimationes eius,quod interfuit rei controuerfæ factæ.

Cuftodes enarratoris duo funt è numero confilii,altrinfecus afsidentes ipfi litem exponenti. Vulgo Euangeliftæ nuncupati.

Moris eft in curia promulgari codices & catalogos nominum appellatorum, nequis oppreffum fe inopinatò caufari iure pofsit ad mulctam deprecãdam. Intra diem autem octauum quàm codex peruulgatus eft, fraudi nõ eft appellaffe curiam iis qui circunfcribenda nomina fua curarunt,& aduerfario appellationem renuntiarunt, ac fe facturos iudicatum cum iis quæ affolent, prædixerunt.

Controuerfiæ quædam compofitæ dici poffunt, quædam vtcunque coagmentatæ magis quàm compofitæ. Id eft, Ita decifæ,vt nulla fpecies exæquationis fuerit, propter alterius partis duritiam nihil de iure fuo decedere patientis:ideóque litigantes in gratiam non redierint.

Rectè atque ordine moribúfque exequi rem iudicatam. Vulgo Bene & debitè dicunt, vel Modis omnibus debitis & rationi congruentibus.

Nomina quædam exigere licet non modo pignoribus capiendis, fed etiam manu in debitorem iniicienda,eóque genere coercendi,quo quæ regio nexu

obstricta sūt nomina. Vulgo, Sicut ꝑ denariis regiis & negotiis fieri solitū est.

Hoc nominatim cautum & exceptum in sententia, ne facere audeat. Id est, Hoc est reseruatū expressè, vt vulgo dicūt. Cōtrà verò, Hoc nominatim sancitum vel sanctum, & ascriptum vt dare debeat. Expressè cautum dicimus.

Flagrat primæ classis curiæ auditoriū frequentia & celebritate hominum, cum causa aliqua illustris apertis valuis agitur, præsertim auspiciatum habēte præside aliquo iuris reddendi callentissimo. Cic. in Verrem, Syracusis flagrabat domus tota prætoria, studio hominum atque cupiditate. Id est, Celebrabatur, Frequentabatur. Plin. in Præfatione, Cum apud Catonem ambitus hostem flagrantibus comitiis pecunias deponerent candidati.

Honoraria iudicum & Bellaria, quæ inspectorum nomine dantur. Vulgo Species dicuntur, & Sportulæ dici possunt. Dicastica à Græcis appellantur. Bellaria autem sunt quæ Tragemata verbo Græco dicūtur. At Sportulariam facere dici possunt ii, qui quæstum eo nomine cupidè faciunt assiduum & vberem: & Sportularii vocari, & fortasse Tragematici.

Scripturarii dici possunt qui scriptum in officio faciunt, & in libros actorum referunt ea quæ mandanda memoriæ sunt instituto maiorum. Clerici Graphiarii vocantur. Librarii, sunt curiæ auctorati iureiurando, etiam si in familia scribarū esse cēsentur, eorúmque esse quasi amanuenses: quibus mercedes datæ, accessiones sunt legitimæ & constitutæ mercedis, quæ scribis ipsis dependitur. Sed iniqua conditione litigatorum comparatum est, vt hæc non cedant in calculum victoribus litium, in ratione ineunda impendiorum.

Perscriptores & cautores periti forensium conuentorum & syngrapharum. Id est, Qui probe norunt concipere formam actorum.

Vultus rei cōperēdinati, fuit olim in ꝓuerbio, vt hodie, Vultus appellatoris.

De controuersia iudices iam missi in consilium. Id est, Iam est super villosum stragulum, vt nunc dicimus.

Sustinere rem iam in calculos euntē. Id est, Cum iam rogandæ essent sententiæ, libellum supplicem diplomati adnexum porrigere.

Sistere cursum procurrentis causæ, & ad calcem accedentis, aliquo forensi sufflamine. Id est, Obice processus exquisito, vt diplomate prolato, & nouo litis instrumento.

Incumbentium procliuiter in diuersam partem sententiarum procellam deuitare præsenti consilio. Id quod interdū fit appositissime, cum corycæus quispiam arcana effatus est, tanquam Areopagitica, quasi per rimam exaudita. Curiæ enim locus rimulentior Areopago, velis ægrè ita obtenditur, nihil vt inde effluat. Certe quidem vel ostia perlucent decuriarum, vel ora consilii, vel pectora perfluunt, tametsi obsignata iureiurando. Et alioquin imminent vultuum, vocum, nutuúmque aucupes solertia coniectorum præditi.

Illustrium causarum plures solent esse aduocati, sed vnum esse oportet primarum partium actorem, summæ rei cognitorē & potentem, penes quem sint auspicia tractandæ controuersiæ, & vrgendæ rei aut sustinendæ.

Arbitratu spectatorum opus probatum præstare. Vulgo dicunt, Ad dictum hominum huius rei cognitorum.

Moribus nostris, petere magistratum perpetuum in locum viuentis non licet, nisi vltro se abdicantis, vel noxæ damnati commissoriæ.

Leges iam nostræ vel mores iudiciales ad conniuentiam incubuerunt perpetam aut fraudulenter admissorum. Quod cum inuitamẽtum est malitiæ, tum magnum est vectigal nationis alumnæ fori, validúmque adminiculum litium extrahendarum.

Leges & sanctiones principũ olim ad eam ferè rationẽ incubuisse videmus, vt & in causis priuatis, & in quæstionibus tũ seuerè, tum maturè iurisdictio exerceretur. Sed morũ indulgẽtia, siue inertia vocari debet somniculosa, siue charitas patriæ semianimis, ne dicam emortua, antinomias suaserunt legum è foro exactrices, & fallaci tantum imagine clementiæ commendabiles. Innotescens enim palàm tanta lenitas, quid aliud quàm edictũ est impunitatis?

Iudices sine exceptione laudati, & qui magistratus sui memoriam inustam vel in curia, vel alibi consecrauerũt, diuorum honoribus hominum sermone colendi sunt. Cuiusmodi ἀποθεώσεις in dies rariores existere, fœcundæ sceleratarum mentium ætati tribuendum est.

Detrudere causæ iudicium forensi factione in alias atque alias feriẽtis curiæ occasiones, quæ nunquam futuræ sunt.

A lite instituta ducuntur vsuræ fructuum ei vnde possessio petita est, si litem petitor ipse vicerit.

Non omnes in ambitum legis & septum inclusos legislator voluit. Id est, Quosdam voluit non comprehensos esse lege, vt nunc loquimur.

Vbi agitur translatio fori, aut iudicis reiectio, iustitium causæ esse debet, quoad antegressa iudicium controuersia constituta sit. Id est, Vbi quæstio est incompetentiæ.

Inficiatores plerũq; in arce abiurationis præsidia defensionis suæ collocãt, post omnia nequicquam tentata perfugia trãslationum & eremodiciorum.

Eadẽ re homini insonti diuturnum negotium dispendiosúmque facessitum est inimicorum coitione.

Efferre in album, publicéque proponere eremodiciorum commeatuúmque nomina, in curia decretorum.

Purus executor renuntiationem tantum habet, siquid in re præsenti exoriatur controuersiæ: iudices autem ad exequendum dati, etiam disceptationem leuem. Cic. Nos enim augures nuntiationem solam habemus, consules & reliqui magistratus, etiam inspectionem.

Comprobare, est quod Homologare dicimus. hoc est, Auctoritatem habere rei actæ. Cic. Philip. 3, Faciendum est patres conscripti nobis, vt D. Bruti priuatum consilium auctoritate publica comprobemus. Alibi de Cæsare iuniore, Auctoritatem decreti nostri rebus suis gestis comprobauit.

Caduca bona ad fiscum deferuntur. Albana vulgo dicuntur.

Iniuriarum damnatus ob conuitium homini factum. Id est, Ob iniuriam verbo factam.

In ius adire. Cic. in Verrem, Cũ ad prætorem in ius adiissemus. Alibi in eodẽ, In ius venire dixit: Cũ ille clamaret me sibi vim afferre, copulati in ius ve-

nimus. Terent. Ambula in ius. In iure autem cum dicebant olim, apud prætorem significabant. De quo vocabulo, & de iudiciis, nos in Annotationibus satis diximus.

Damnabo te ad curiam mulctæ quoque commissæ. Id est, Si mecum prouocatione certare sustinueris, præterquam quòd rei controuersæ nomine, accessionúmque litis damnaberis, etiam solennem pœnam temerariæ prouocationis pensurus es.

In ius auersis vestigiis inficiator, aut iniurius possessor ambulat. Id est, in ius inuitus trahitur.

Causã durã, atrocẽ, & inuidiæ plenã molli articulo citra præuaricationẽ tractare, causidici est diuersæ parti prudenter indulgentis, & tamen integra fide.

Molli brachio, sed salua seueritate quæstionem exercere, iudicis est popularis, & nihilosecius religiosi.

Causæ consilio permissæ, dies primum pauci in speciem obnuntiationibus exempti, deinde etiam menses multi sublati aliis atque aliis forensibus artificiis. Quid sit autem Obnuntiatio, nos in Annotationibus diximus.

Stratagemate forẽsi, eodémq; veteratorio, inferior causa superior facta est. Lingua vernacula Luctam veteris guerræ vocat.

Litigator omni iure lapsus, nullo nõ præsidio iuris defectus, in procinctu vltimæ dimicationis, aduersario suo impegit diploma litis decretorium, etsi commentitia supplicatione ablatum, tamẽ processus ad portum iam tendẽtis remoram, retro etiam litem in æstum, in altúmque fortasse inhibiturã.

Aqua controuersiæ diu ac multum hæsit in obicibus præscriptionum, translatiuísque disceptatiunculis, ægréque tandem superatis obicibus, iudicium constitutum est.

Ridiculum est vitium in causidico, peregrinum esse in suo foro. Quocirca omneis formularum numeros, vt vngues tenere digitósque suos debet, ad earúmque rationem actiones suas accommodare.

Leui momento nonnunquam sensímque labascit fiducia in causæ ductu, quæ certa in principio fixáque videbatur.

Beneficium in iudicando sequi potius quàm ius & æquitatem, indignum est viro bono.

Rerũ iudicatarũ formas ambiguè & perplexè concipere (quod non rarissimè euenit) nõ lites est dirimere, sed litium sementẽ facere interdũ restibilẽ.

Moribus nostris municipalibus simul atque res vxoria patrata est, communitas pecuniæ, nominum, ærísque alieni in posterum iuxta præteritúmque, rationis prædiariæ duntaxat in futurum, commissa esse censetur. Dici etiam potest, Statim à iustis rei vxoriæ peractis, communicatio pecuniæ, æris etiam sui & alieni in præteritum itidem in posterúmque: rei autem prædiariæ in posterum tantum procedere censetur.

Iuridici quidã fasces habere, quidã sine fascibus esse dici possunt. Fasces eos habere dico, qui merum imperiũ habent, eiúsque insignia. Fascibus autẽ carere, qui iurisdictionem habent, vel merã, vel mixtam imperio mediocri. Inermis autem & exanguis & pura est iurisdictio, quæ ius habet tantũ in pigno-

ra. Sanguinariũ est latrunculatorum imperium, iurisdictionem non habẽs. Præfecti prouinciolarũ, & qui auspiciis principis ius dicunt, Fasces habere regios dici possunt: cæteri autẽ priuatos, etiã si in caput & in fortunas iustam potestatem habeant. Iurisdictio igitur plena esse hodie dici potest, quæ ferro ac fascibus insignis est, & viatoribus apparitoribúsque succincta. Infimæ autem notæ iurisdictio, vel cognitio mera potius ieiuna est, & imperio cassa. Potest etiam dici, Iusti tribunalis iurisdictio, & Minoris tribunalis. Quæ autem infimæ est notæ, non ex superiore loco, sed ex æquo planóque ius dicit.

Imperium summum, vt apud Sallustiũ in Catil. Domi militiáque imperium summum habere, puto de iis dici debere, à quibus prouocatio non est.

Dubiis & euariantibus auspiciis iudiciale certamen inire dici possunt ii, Qui consultorum responsa ambigua tulerunt. Certis autem auspiciis, extisque lætis nec euariantibus, iudicium vel dictare, vel recusare ac depellere eos dicas, qui peritorum auctoritate freti & confirmati, certamen suscipiunt.

Comopolitani iudices, Castellani, vicani, & agrestes, inter minores iuridicos censentur. Est autem Comopolis, vicus instar oppidi.

Iudices obnoxiæ sententiæ dici possunt, quos Subalternos aliquando vocamus, significare volentes ab iis prouocari posse. Iudices autem vltimum iudicantes sunt, A quibus iam non prouocatur. Res autem primum & vltimũ iudicata dici potest, Quæ à iudicibus prolata est sublata prouocatione datis.

Causæ Regaliorum prima, eadem vltimáque disceptatione in curia exagitantur, vel prima vltimáque sortitione.

Curiæ consessus panegyricus, vel Curiæ consilium panegyricum, & Decreta vel aresta curiæ panegyrica dici possunt, Quæ omnibus decuriis ad maximum auditorium coeuntibus fiunt.

Eius causæ actio vel defensio non animi est iacentis, aut frõtis mollioris. Id est, Eget causidico acri & strenuo.

Deformare damnati magistratus dignitatem exauctoratione iudiciali, & eũ per ora multitudinis furciferi habitu traducere, nihilq; reliqui facere, quo minus superstes summæ suæ ignominiæ esse posit, vltimæq; calamitati: cuius animaduersionis exemplũ non vnum aut alterũ memoria nostra extitit.

Cum sacerdotia inter binos tantum controuersiosa sunt, & manus regis iniecta, alteris morte sublatis, manus quoq; tolli caduci iure solet, superstitíque possessio decerni, nisi quispiam intercesserit aduersarius in locum demortui suffectus.

Dum causa in media esset actione, ilicet consilium dimissum est. Vulgo dicunt, Interim horologium sonuit.

Reis confessis, & codicillorum venialium impetratoribus, si laborare contigerit in probandis consilio codicillis, præsentissimum remedium mulsi calicẽ cognitori regio actorique publico propinare vel impingere. Id enim poculum declamatores atroces, sensim efficit Harpocrates.

Vnum cedo ex antiqua memoria curiæ huius decreti exemplum. Id est, Nunquam simile decretum huius fuit quod postulas.

Melius cum mortalibus actum esset hactenus, in posterúmque ageretur, si

vbique gentium nominis Gallici, aduocationes regiæ, quæ etiam publicæ esse censentur, magistratus suos regibus tantum acceptos, id est, publicæ famæ elogio, referre, nõ etiam suffragationibus possent aulicæ potentiæ: quo nullum auctoramentum maius libertatis esse potest, nec magis obnoxium.

Iustitiæ fidem iurísque implorare, est Iurisdictionem flagitare.

Ad gratiarum aram, clementiæque iudicialis confugere, Est non tam iure, quàm deprecatione fretum esse.

Lege agere, & rem exequi auspiciis curiæ. Id est, sub auctoritate curiæ.

Quónam modo tranquillo animo esse potest, aut mente satis composita, qui ita euripis forensibus iactatur, in vndísque illis palatinis fluctuatur, vt sæpe in scópulos offensionum impingat, vt est vicissitudo eiuscemodi rerum.

Abdicatis à magna matre, iudicium non datur, etiamsi accipere coguntur. Id est, Communione ciuili interdictis.

Plagam in forensi dimicatione acceptam, codicillari medicamento vel sanare, vel cicatrice obducta tegere. Quanquã multa sunt vulnera quæ splenio magis, quàm cicatrice tecta, ad extremũ euadunt in dispendiũ luculentius, si obreptum est principi, aut iis qui auspiciis eius officinam æquitatis exercent.

Reus falsi damnatus, per ignominiam maiorem in modum traductus, ad vltimum numellis versatilibus collo inserto, à carnifice cõspicuè in foro venalium rotatus est. Reus ad palum stans numellariũ, aliquot horis os impudentiæ præbuit contumeliis coronæ circunstantis, & conuitiis.

Alter ad scalas digamorum trigamorúmque expositus est, mitella picta infamantéque conspicuus.

Quicquid leges & mores prisci seuerè astrinxerunt, mores deteriores, iudicúmque indulgentia relaxat.

Fidem vadis sponsorísque expedire. Exonerare cautiones vulgo dicunt.

Vix decimo cuique ratio constat pecuniæ in forensi negotiatione occupatæ. Id est, Vix vnus è decem, litis victor, repetit quod impendit. Multos etiam pœnitet victoriæ forensis, cum ventum est ad calculum cum forensi ratione ponendum. Et magna sunt pecuniæ intertrimenta, quorum calculi non ducuntur in ratione expensarum ineunda.

Literæ pridie subscriptæ quàm datæ, vel quàm in acta relatæ. Hoc est, Repetita die subnotatæ. Quas Antidatas vulgo dicimus. Quibus opponuntur Postridie subscriptæ quàm perscriptæ. Hoc est, Recentiore die subnotatæ.

Tabularum exemplũ ab actuario vel ab officio describere. Hoc est, Per manum graphiarii. Similiter editi libelli exemplum ab aduersario exscribere.

Aculeata scripta, vulgo Pũgẽtia dicũtur, & Actiones causidicorũ aculeatæ.

Catholicum theorema & axiomaticum inter circunforaneos homines. Vulgo Vnam maximam vocant inter practicos.

Rationes sumptuarias litium pro potestate inire & arbitrari, adhibitis causarum cognitoribus singula capita disceptantibus. Vulgo, Taxare præsentibus procuratoribus dicunt, & summam subductam subscribere.

Duobus iudicio ambigẽtibus, ecce tibi ex trãsuerso tertius rei cõtrouersæ vindicem se intulit, in amborúmq; copias impressionem fecit nec opinato.

In nassam litis caput temerè inserere, εἰς κύρτον εἰσδύεσθαι τὸν δικαστικόν. Capite & fortunis in causam penitus insinuare. Id est, Cum periculo facultatum & existimationis penitus in causam se demittere, nec inde pedem referre posse.

Vix tandem & post multam conflictationem, caput è nassa controuersiarũ exerui, retrorsúsque scarorum more erupi.

In eũ diem cadit eremodicium, vel pensitatio. Cic. In eũ diẽ cadit solutio.

Omnibus numeris dispendii forensis iacturam causæ facere. Id est, Cũ omnibus damni accessionibus.

Omnibus numeris plenã victoriam causæ auferre mulctæ quoque corollario cumulatam, pro modo temporis æstimatæ.

Qui chirographum cognouerunt, siquid causæ aduersus agentem dicturi sunt, interim dependere coguntur, accepto repromissore.

Ancipitia nomina tardáq;, vulgo Mala credita dicũtur. Quibus opponũtut Expedita nomina & explicata atq; præsentanea, hoc est, Præsentis exactionis.

Addicti in auctione prædii auctoritas publica non antè sectori datur, quàm pretium denumerauit. Vulgo Decretum dicitur.

Quarto trinũdino auctionem futuram inclamatam oportet, & iustos dies proscriptam, antequam vltima licitatio committatur, quam protinus sequitur addictio. Quem diem denuntiari ei necesse est, cuius prædia bona vaneunt, id est, hypothecæ obnoxia.

Auctionariorum autem intercessorum vt quisque antiquissimi diei iure pignoratitio nititur, ita primarum partium exactor esse solet, suique nominis seruator. Absumpto verò in primis dimittẽdis creditoribus sectionis pretio, vltima nomina abeunt cassa & inania.

Primaria nomina, secundaria, & tertiaria sunt, provt primo, secundo, & tertio loco exigenda sunt.

Ad triarios reiecti creditores dici possunt, quorum nomina ambigua sunt, aut in angustũ redacta, propter inopiã debitoris, & pretiũ sectionis exiguũ.

Aciem instruere causæ firmamentorum.

Non omnes causæ copias vna acie instructas explicare. Id est, Non omnia simul proferre, quæ causam firmare possunt, quia satis multa videbantur esse in medium edita.

Rationes petitoris, & rationes defensoris, sunt ea quæ vulgo Media vocantur. vt Media defensionum, Media intentionis: ex quibus quæstiones interdum in causa plures nascuntur. Hoc est, Incidentia.

Principes rationes & robur firmamentorum dici possunt, quæ Principalia puncta vulgo vocantur. Subsidiariæ ac triariæ rationes tũc maximè in medium afferuntur, cum causa laborat à principibus rationibus & causæ firmamentis, quia fides earum fieri non potest: tũmque Causam ad triarios rediisse prouerbialiter dici potest, quo significatur rẽ in discrimine esse. Quippe causa labans, & impressione aduersarii veluti loco & gradu moueri cœpta, nec tamen adhuc fusa, ad triarios rediisse dici potest.

Prima causæ velitatio, & Præludiũ causæ, & tanquam pilorũ coniectus dici potest, cũ translatiuæ quæstiones disceptãtur, quæ veluti prolusiones sunt cer

taminis laceſſendæ dimicationis gratia præcurrentes. Plerunque autem proluſiones ſcriptæ, quaſi ferentariæ ſunt, velitéſque concertatiunculæ, ornamento magis cauſæ cedunt, quàm inſtrumento.

Controuerſia vltro citróque copioſe, diſerte, enucleatéque ſcripto diſceptata, atque è dignitate rei controuerſioſæ. Vulgo dicunt, Vtrinque ſcriptum eſſe in formam fundi cuppæ.

Rectæ & vſitatæ diſceptationis hyperbata, & captioſa actionis diuerticula, iudicum intentionem ab eo, qua de re agitur, longè gentium abducentia. Fallaciter extrauagari vocant.

Sũt homines natura cõtrouerſi & φιλόδικοι, qui ſemel vinci vtilius eſſe perſuadere ſibi nequeũt: in quibus idem tidẽ rebellat pertinacis calũniæ vitiũ, ad cauſas exanimatas diplomatibus exuſcitandas & recoquendas. Qui niſi ter & quater, & tandem acciſis viribus fuſi, cedere foro iudiciali nequeunt.

Hoc quod flagitas, fieri nequit ſaluis auſpiciis iuris & æquitatis. vel, niſi ſublatis auſpiciis iuriſdictionis, legibus, moribus, & æquitate vtentis, & temperatæ.

Litigator quidam qui ſibi callidus videbatur, tamen ſtrategemate forenſi perculſus eſt, opibúſque euerſus.

Procellæ iudiciorum calamitatem multis afferunt. Et turbines nec opinati exorientes, longè latéque pauperiem in vberibus patrimoniis faciunt.

Turba comes, aſſecláque fori iudicialis, vulgo Homines practici vocantur. Homines è conuentu baſilicano, id eſt, Palatii alumni.

Patroni cauſas omneis pretio exæquantes, à cancellis curiæ explodendi ſunt, vt tali ſcena indigni.

Volo & quæſo, vt ne ſint in te dicta quæ dixi. Verba ſunt eorum qui tueri ſe velle negant, quæ inconſulte, vel iracunde dixerunt, & mulctã deprecantur. Poteſt & hoc modo enuntiari, Nollem dicta quæ mihi irato exciderunt.

Vnicam cedo huius rei auctoritatem. Vnum profer teſtimonium, hoc ſignificat, Nec tabulis, nec teſtibus eius rei fidem facies.

Prudentis eſt litigatoris, ſimul vt intellexit cauſam ſuam peſſum ire, decidere litem quot aſsibus poſsit primo quoque tempore, & iactum litis facere potius, quàm cenſus naufragium.

Curatores teſtamentorum, Executores dici poſſunt, vt apud Græcos οἱ τῶν ἐν διαθήκαις ἐπιμεληταί.

Cum ſeptimo cognitore vitæ ſuæ rationem approbare. Id eſt, Cum ſeptima manu ſeſe purgare. Pontificia iura vocant. Vel, Septem laudatores in iudicio excitare.

Areſta verbo Græco dicere malim, quàm arreſta, ſententias curiæ, id eſt, Quæ curiæ commentanti placita ſunt. & elegantius enim & verius ſic vocãtur. Arreſtum enim ſermone vernaculo Moram nodoſam ſignificat, & porrò eundi agendive obicem. At eorum multa ita pronuntiantur, vt non lites finiſſe, ſed lites peperiſſe dicantur. Quare arreſtorum, id eſt, diſcordias forenſes ſiſtentium vocabulum amittunt, litigantium vtique culpa frequentius, quàm iudicum.

Lis parum liquido auspicio vel incerto instituta, infeliciter sæpe cedit. Hoc est, Non de sententia iurisconsultorum inchoata.

Agnoscere, est quod Aduouere lingua vernacula vocat: Abnuere, quod Dis aduouere.

Iurisdicendi rationem in meliorem statum vertere, est quod Reformare iustitiam dicimus.

Supplicatores ferentarii, gratiosiores aliquanto sunt in foro, ac plures auxiliares è conuentu inueniunt. Auxiliarios autem habere præstat, quàm consiliarios, totidem pene syllabis.

Iudex diem edixit vnum & vicesimum sententiæ pronuntiãdæ, & iterum ex æquo edicta dies sententiæ pronunciandæ. Nunc dicunt, Ad audiendũ ius, vt prius, ad tres hebdomadas.

Litigator altercando hoc edictũ iudicis expugnauit. Id est, Acriter cõcertando abstulit, vel consecutus est. Edicta autem sunt iudicum, quæ vulgus Appunctamẽta iudicialia vocat. Et Syngrapha edicti, est Perscriptio edicti facta adhibitis litigantibus, aut eorum cognitoribus. Ea autem quæ aut litigatorum aut cognitorum cõflatu constituuntur, nec Edicta, nec Acta, sed Transacta potius conflatáque vocanda censuerint. Cic. in Verrem, Edicit statim vt Cal. Decemb. adsit Sthenius Syracusis. Et in Varinium, Quæro edixeritne Prætor Memmius, ea lege vt adesses die xxx. Sic hodie, Edixit cũria vt ad quintum decimum diem inducatur ipse litigator, sacramentóque rogetur. Quod dicunt, Vt veniat personaliter ad affirmandum. Inducere enim est intromittere, introuocare. Plinius in 5. Epist. Nepos postulauit, vt Tuscilius Nominatus induceretur. Idẽ alibi, Inductus est Nominatus, egit ipse pro se nullo accusante. Etenim legati Vincentinorum non modo non presserunt eũ, verum etiam subleuauerunt. Sic inducuntur quotidie rei in curiam, cũm quæstiones & iudicia criminum agitantur, id est, Prodire iubentur in conspectum iudicum. Idem lib. 9, Quàm multi, cum lector, aut lyristes, aut comœdus inductus est, calceos poscunt. id est, Cum intromissus est comœdus, statim è conuiuio abeunt. Vnde fit, vt Inducere morem, & Introducere, pro eodem dicatur. Cic. in 3. de Oratore, Quid noster hic Cæsar? nonne nouam quãdam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit propè singulare? Sic Inducuntur causæ, Latinè loquendo, cum earum cognitio in medium prodit. Plinius libr. 6, Tertio die inducta est cognitio Iulij Tyronis. Codicilli quos ex parte veros esse constabat, ex parte falsi dicebantur. Substituebantur crimini Sempronius eques Romanus, & Euthymus Cæsaris libertus. Id est, Εἰσήχθη δὲ τοῦ τύρωνος δίκη. Vnde εἰσαγώγιμοι δίκαι, καὶ μὴ εἰσαγώγιμοι, vt in Commentariis nostris scripsimus. Et præsidentium iudiciis arbitrio inducuntur hodie causæ, cum agitari earum iudicia cœperunt. Hoc est, Super burellum promi, vt vulgo dicunt. Et Causa propediem, vel proxime inducenda, dici potest, cuius iudicium instat. Verum hoc verbum multiplicis vsus est apud antiquos.

Ad aliquem pertinere crimẽ vel facinus dicitur, qui in criminis suspicionẽ venit. Liuius, Pecuniã è thesauris Proserpinæ sublatam dicebãt: nec ad quos

pertineret facinus, vestigia vlla extare.

Discussa est caligo quæstionis antehac obscurissimæ, Dilucescere cœpit, imò verò omnia iam illustria. Nunc dicimus Casum esse verificatum.

Incisi legum nerui, iurisdictionis dignitas pessundata, nullus iam propè æquum esse censet, iudici se audientem dicto esse. Qui rerum potiuntur, ius dicentibus honorem nullum habent.

Acriter acta causa est, atque defensa. Quicquid pro tutela rei disertus patronus, ac pro intentionis depulsione apprehenderat, actoris illico aduocatus è manibus illius excutiebat. Id est, Congruentibus & validis replicationibus eius exceptiones summouebat, vt inanes & irritas.

Iterum iam & tertium petitor in eadem actione offendit. Id est, Depulsus est iudicio.

Causa hominis fugacis faucibus iã premitur, vel obtorto ipse collo ad cõferendum pedem trahitur. Id est, Omnia iam commẽta tergiuersatorum cõsumpsit: vel dimicet, vel manus det necesse est, vel eremodicio damnetur.

Homo improbus non antè excedere forensi pugna statuit, quàm omnium defensionum pœnitere eum cœpit: túmque demum accessiones rei perditæ deprecatus est. Id est, Orauit, vt sibi sumptus litis condonarentur.

Durum est, negotium habere cum homine in foro præpotenti, atque omnibus adminiculis ciuilium necessitudinum & propinquitatum nitenti.

Obstrepentes inuicem patronos obturbantésque altercãdo, præsidis est officium increpare & coercere.

Aduocatorum quidam consulti, sed non perinde facundi, expeditæque actionis. Quidam docti illi quidem & diserti in causarũ consultationibus, sed frontis non satis panegyricæ, oculósque consessus & circunstantis multitudinis non perferentis. Quidam inter commentantes consultissimi, inter causas agentes infantissimi. Sunt qui ad scriptitãdum prompti & stilo expediti, ad responsitandum consilii præsentanei, ad causas actitandas natura facti & explicati: tamen vnis aut summum alteris partibus aduocati contenti sint, quibus etiam ipsis non minus amplè constat ratio quæstus honorarii.

Cõsiliarii pauci sunt in deliberationibus, in sententia dicẽda, in disceptatoris munere soluti & explicati. Vulgo Resolutos appellant. Sunt qui perplexè differentes, & in censendo longius excurrentes, aut huc illúcque digrediẽtes, eò redire, quod agitur, nequeant, nisi sæpius commonefacti. Sunt etiam nonnulli sententiæ academicæ, neutram in partem satis vergentis.

Inspectores causarum, qui & Enarratores dici possunt, soli iure suo, solenníque instituto, ab actore iuxta reóque vicissim censere possunt, ancipitíque prius sententia disceptare: deinde quid sui sit iudicii, semel constituere.

In causis meis tractandis & accurandis hoc cõsultore, hoc pactore, hoc eodem cautore & astipulatore semper vsus sum: neque fidei, diligentiæ, consultæque prudentiæ vnquam me pœnituit.

Princeps Baronẽ Comitis nomine ac dignitate affecit, & Comitẽ Ducis appellatione auxit. Macte Ducatu posthac esto, macte Ducis nomine. Verba sũt regis hominem sic potentatu augentis. Erigere in Ducatum vulgo dicimus.

Auctare maiore potentatus fastigio, dici potest. Aliqui etiam Mactare dicũt, vt Lactantius. Quo tamen antiqui ferè in malam partem vtuntur.

In conuento, in syngrapha rei transactæ, in fœdere, hoc nominatim sanctũ est atque perscriptum.

Consiliarii quidam censentes in curia & in consiliis, citandis aliis atque aliis iuris enarratoribus gaudent. Alii sanctiones ipsas principum Romanorũ, iurisque prudentum prisca respõsa, vt locupletiores multo auctoritates laudãt. Equidem, quod ad me pertinet, iandiu semélque in eorum sententiam transiui, qui literæ potius auctoritate nitendum esse, quàm literatoris ducunt: Literariósque iudices lõgè pluris æstimo, quàm qui literatoribus omnia credere instituerunt, ignaris linguæ Latinæ.

Homines quidam facinorosi, legibus, moribus, iudicibus sancti sunt, eorũ qui rerum potiũtur, præsidio & suffragatu. Nam & ipsi metu legum, iustitiæque reuerentia maiores sunt.

Hic iudex, quãquã doctus, ac iurisdicẽdi prudẽs, auctoritate tamẽ semper eguit. Id est, Non optimè inter iudices audit, & opinione laborat: nihil eius dignitati atq; opinioni homines tribuũt. Cic. in Bruto, Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodũ diligentissimus. Quinti. lib. 5, Nã illa summa cura Ciceronis, securitatis est similis, tantáque in oratione auctoritas, vt probationis locum obtineat, nobis dubitare non audẽtibus. Id est, Τοσοῦτο ἀξίωμα, τοσοῦτο κῦρος, τηλικαύτη πίστις καὶ κύρωσις. Tanta fides à dignitate orationis facta. Sic Auctoritate valere in aliquo collegio, est πιστεύεσθαι ὑπὸ τῶν συναρχόντων, vel περὶ τῇ συναρχίᾳ ἀξιωματικῶς ἔχειν, παρὰ τοῖς συνάρχουσι. Et Tabulæ vel literæ auctoritatis plenæ, ἀξιόχρεω γράμματα. Auctoritas etiam, est hominis testimonium authoritate præditum, ἀξιόπιστον. Cicero pro Cælio, Sed cur diutius vos iudices teneo? ipsius iurati religionem auctoritatémque percipite. Et infrà, Domus autem illa plena est integritatis, religionis, officii, ex qua domo recitatur vobis deuincta iureiurando auctoritas. Sic Auctoritates curiæ dici possunt, consulta curiæ & placita. Idem in Catil. At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus senatusconsultum huiusmodi, verum inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum.

Iudiciũ litis scriptæ in curia constituere, est quod dicũt, Concludere in processum scripti. Quod etiam dicere possis, Prouocatorium iudicium apud acta constituere, vel Palàm in iudicio prouocationem scriptam cõstituere, vt fit interdũ. Quin & litiũ scriptarum iudicia non semper solenni formula ita cõstituuntur, vt ad inquisitionum classes reiiciantur: sed eorum alea in ipsa constitutione repræsentari potest, si alter causidicorum vrgens aduersariũ, ex tẽporalis iudicii reũ esse contenderit. Quod nõ sine captione fit, si temere in se se id recepisse compertus sit, horámque consilio exemisse. De prouocatione scripto certare, & De prouocatione inscripta, verborum disceptatione ambigere, dici potest. Cæterum raro contingit, vt scriptarum prouocationũ cõstitutio, in summam controuersiæ decretoria inueniatur. quod tum demum accidit, cum ex sententiæ recitatione, à qua prouocatũ est, de iniurio iudicio

i. ii.

iniquóque satis liquere potest. Litium auté inscriptarũ ferè prouocationes esse existimantur, in quibus nulla iuridicialis fuit syngrapha, iudicium præcurrens, vel edicto iudicis perscripta, vel à partibus sine iudice conflata. Solét enim plerunque syngraphæ inter partes conuenire, aut eorũ cognitores, per eósque consignari. Quod quia sæpenumero aliquot diebus disceptatur inter eos, seorsúmque cõsultatur, indéque prolatáde rei color tergiuersanti quæritur, res ad iudicum disceptationẽ reuocatur, sícque detrectantes inire quod conuentum est, & subsignare, causam dicere coguntur, aut eremodicium secundum vrgentem pronuntiatur.

Qui curiã appellauerunt, nonaginta diebus exercere appellationem debẽt principum sanctionibus, quod plerúque diplomate, interdũ libello faciunt, iudici diem vt iniquo dicentes, ídque aduersario denuntiãtes, vt diem ipsum obeat, si in rem suam esse putet iudicium iniurium tueri, vt iure latum.

Prouocationem aduersario renuntiare, & in acta relatam circunscribendã curare, vel è catalogo promulgatarum, ante conflictionem licet.

Prouinciales qui legibus & ciuili iure Romanorum reguntur & disceptãt, hoc iure sunt: Quod prouocator cum prouocato resortitione agit, impunè certat. At qui moribus disceptare dicuntur, iúsque petere, si eo genere in curia certent, sexagenario periculo periclitantur, duntaxat qui prouocarunt. Prouocati autem iniqui iudicii iniuriíque, qui Intimati vulgo dicuntur, periculum tantum adeunt sumptuũ litis ergò à victore factorum, in vtroque iudicio.

Populares quidã ad curiam iudiciũ protinus resortiũtur, quod Immediatè vocant. Quidam non continuò, sed altero aut tertio, & deinceps aliqui, prouocationis gradu, vel certamine & periculo. Iis autem qui præpropere curiã appellant & intersise, si aduersarius præscriptione translationis vti velit, intẽtio denegatur, & deinceps vti prouocandi iure coguntur. In qua specie prouocatus excipere præuaricationem potest. Id est, Præscribere prouocanti ob intercisam prouocationis seriẽ, vel quòd media & intercedẽtia prouocationis certamina prætererit. quod præuaricatoris est. Reis tamẽ criminũ damnatis compendium facere prouocationum licet, rectáque curiam appellare.

Arcessere prouocatorẽ prouocationis pro derelicto habitæ. Id est, Intra iustos dies non exercitæ.

Arcessere actorẽ litis intercisæ & obsoletæ, ob idque persecutionis emortuæ. Peremptam instantiam appellamus.

Qui rei capitalis aut noxæ minoris damnati sunt, compendium prouocationum facere, si libet ipsis, possunt, protinus curiam appellando. Id quod nõ perinde licet ob rem ciuilem damnatis.

Deuios excessus liticularum quærere, crebráque prouocationum diuerticula consectari, litigatoris est improbi & fugacis.

Istum appellatorem spero me ad curiæ tribunal prima actione damnaturum, non modo temerariæ litis nomine, sed etiam prouocationis dispẽdiosæ atque pœnalis.

Actiones causarum in curia quædam acroamaticæ sunt, quædã exotericæ,

quæ longè plurima est multitudo. Exotericæ autem sunt, quæ apertis foribus tribunalis aguntur. Acroamaticæ, quæ occlusis iisdem, introuocatísque tantum ambigentibus, atque eorum aduocationibus. Id quod honoris causa fit litigatorum.

Principes classium, qui etiam præsides, id est πρόεδροι vocantur, cōscriptorum suæ classis industriam & vires ingenii (vt reliqua omittā) perspectas habere debent, & pro cuiusque modulo pensa curialia singulis, id est, inspiciendas causas commentandásque distribuere. Magnum est autem erratum, litigantibúsque permolestum (nequid amplius dicam) bubus, quod aiunt, clitellas iniungere.

Prædiatores homines, sunt iuris prædiatorii periti, prudentésque, qui iura nouerunt queis prædia possidentur. quæ iura necessitudinis inter patronum & clientem intercedentis: cuiusmodi quantǽque sint obuentiones aduētitiæ fundi beneficiarii & fundi censualis: tum vim capitáque legis commissoriæ, quæ in clientelari fundo vltro citróque valet illa quidē, cæterū sine iuris æquatione. Neque enim vt necessitudinis ius mutuum est, ita obsequii necessitas vtranque in partem æquè pollet. Cic. pro Corn. Balbo, Etenim Quintus Scæuola cum de iure prædiatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, cōsultores suos nonnunquam ad Fusium & Casellium prædiatores reiiciebat. Idem de lege Agra. Optimo enim iure ea sunt profectò prædia, quæ optima conditione sunt. Multi autem sunt homines egregie prædiati, qui prædiatores non sunt. Quæ sententia retrorsus etiam valet.

Impia fraude se obligasse, & Impiam fraudem admisisse dici possunt, qui rerum nouarum rei sunt in disciplina Christianismi. Vulgo λουλνείζω dicuntur, verbo iam longè latius patente quàm par erat, inuidiáque flagrante. Sacrilego maledicto se obstringunt ii, qui Blasphemiæ rei vulgo dicuntur.

Personam prætextatā in curia deponere, vel in alio collegio, dici possunt qui magistratu curiæ se abdicant.

Causæ adumbratæ & personatæ sunt, quæ litigatoris nomen præferunt, ad quem res non pertinet, nisi quatenus pretio personam agit, quam vtendam verò aduersario dedit.

Iudicis integri & innocentis est, nullum eximiū habere, quem quidem leges in ordinem redegerint in iure experiundo. Nam iurisdictionis rectæ genius, vna pertica primores cum popularibus metitur.

Iudices quidam flexiloqui & frustratores stipantes se litigantium comitatu, & ieiuna spe pascentes simul & enecantes, ludos sibi faciunt.

Procurator interdum fidem mandantis, religionémque verbis suis obstringit iureiurando. Iurare in animam domini vocant.

Iurato inficiari vel assentiri articulose commemorata inscriptionibus aduersarii. Respondere vocant Per credit, vel Non credit.

Præcidere respōdendi cūctationē. Id est, Exigere responsum extēporale.

Causæ custodes & pragmaticos appellandos censeo, quos Sollicitatores vocant: qui & Institores causæ, & tanquam Argi quidam dici possunt, si strenuè munere suo fungantur.

In vtranque partem differere,sed in alterutrā censere, eius est, qui primus sententiam rogatur.

Minor annis vigintiquinque,nondum potens est iuris experiundi sine auctore iudiciali,neque in iudicio solus stare nisi in rem suam potest, qui nōdum in tutelam iustam sui venit,qui nondum annos personæ litigatoris impleuit,qui nondum forensi persona præditus est legibus ac moribus.

Regiæ aduocationis fidem subscriptionémque implorari frequenter in curia euenit.

His vtrinque dictis regia aduocatio consurgens,actionem quoque suam in hanc sententiam exorsa est.

Regalis aduocatio antiquo sermone Gens regia dicitur. Gētis enim appellatione collegiū magistratuū significabant. Vnde & Gētes parlamēti curiam tenentes,mandata principum cum præferunt,curiam frequētem significāt: non aliter ac si dicerent,Centumuiros curiam summam frequentantes, aut eū numerum qui curiæ instar efficit in conuētibus externis, qui alternis annis,aut tertio quoque anno coeūt in vrbem aliquam insigniorem. Inde etiā Gētes libellorū palatinorum dictæ sunt, septemuiri iurisdictionem basilicanam exercentes perpetuā quidem illi,sed tamen recuperatoriā,eámque certi causarum generis,& ferè diplomaticam. Quorum princeps ab vltimo septimus est. Hi causas magistratuū,omniúmque aliorū iudicant,singulorum iuxtà atque vniuersorum,qui iurisdictioni prouinciarum eximii esse censentur elogio codicillari. Cuius rei arbitrium,vt est in comitatu penes Cancellarium,ita in hac vrbe,aliísque vrbibus curialibus penes nostrum collegiū est, vt in vniuersum cognitio rei diplomaticæ, dūtaxat quatenus iure & æquitate tēperati,non principalibus placitis solita est, quæ legibus soluta sunt, vel legibus non tenentur. Cæterum aduocationis regiæ collegium,& nuntiationē habet(vt prisco verbo loquar)& intercessionē,& verò inspectionē,quanta citra imperium esse potest & iudicium. Vt nullus ferme magistratus è numero mediocrium diligētius mandari debuerit à principibus, si eorum quæ lex regia sancite largiríque permisit,Reipublicæ charitatem auctorē esse in monarchia moris esset. Quippe vt recte & apposite, & quandiu hoc munus tutelæ popularis mandatum est vno quoque seculo, ita iustitiæ seueritas, & sanctionum maiestas,tandiúque aut pollere suis viribus, aut delūbes esse visæ sunt. Tantum momenti esse putatur in vno aut altero homine ad rei tantæ inclinationem,támque latè patentem in regno florētissimo,in alterutrā partem ab altera diuersissimā. Et vt olim præsidiū plebis Romanæ in Tribunatu fuit,ita popularium in Francia Triumuiratus ille summæ curiæ additamentum,aliarúmque itidem curiarum, asylū esse debet,legum ac sanctionum propugnaculum,destitutorum hominum,vim passorum factione,impotentiæ oppressorum patrocinium. Nam cum in fide principis vt pupillorum nomen viduarúmque,ita legum violatarum,aut contemptui habitarū querela,immo verò charitas Reipub. orbata patrocinio,pósita sit: cognitor ille principis populíque actionū,cuius nomen generatim patet,pollétq; nomenclatura quidem ille splendere vt illustri,sic ieiuna videtur,nisi strenuū

patrocinium germanúmque, non inani persona fucatum, tanto nomini respondeat. Sed scilicet temporum conditio disciplináque semper bonos & cōmendabiles mores aut aluit aut imminuit. Nec tam singulorum hominum culpa, quàm vniuersorum quodam consensu peccatur in rebus huiusce generis. Ipsa etiam quæ dicuntur Catorthomata in omni functione publica, non ipsorum tātum hominum sunt facinora, sed verius ætatum, quarum alūnæ sunt leges bonæ. Huius honoris nomē olim, & seculis melioribus, nō etiam doctioribus, venerandum & sacrosanctum fuit: quo tempore non in cādida ambitus peti, sed deferri prærogatiua virtuti fauētium, & suffragatu famæ solebat, nō fallaci aucupio comitatis & obsequii, sed comperta fide innocētiáq; collectæ. Postea, vt ferè boni mores ætatē perferre nequeūt, quod moribus vltro deferri debebat, ambitioni dari cœptum, obsequio sese vēditante & cōmendante iis qui rerū potiti sunt vno quoque tēpore. Ex quo factū, vt magistratus nomē splendidū & populare, paulatim minus atque minus placere, mox etiā inuisum esse, & sermone incōmodo (vt fit) hominū traduci & exagitari cœptus sit. Ita iacuit aliquādo dignitas honoris, magna & vetusta auctoritate meritissimo præditi. Quod paucorum hominū insigni tum inertia tū vitio accidit. Vsque adeò magni refert honorem vnunquenque loco suo collocari, immo verò permagni interest temporum ratio, & morum inclinatio in dextram sinistrámque partem. Quod vtinam diuinitus datum esset, vt hic magistratus, aliíque quos vice publica cum primis cōmoueri oportebat, odiísque & studiis priuatim vacātes, præcipua animi contentione incūbere ad Reipub. patrocinium nulli eorum incrementa sua deberent, qui primos ordines in aula, mediósque & vltimos post se trahunt: sed ipsi tantum principi, & famæ claritati. Melius omnino cum populis, quorum ipsi actores, cum rē publica principísque lōgè luculentius actum esset. Atqui his atque huiusmodi muneribus honoribúsque pridem fungētes, tam ab aula erāt exclusissimi, quàm maximè probare actus suos principi, primoribus, omníque ordini cōtēdebant. Nunc recentiorū ætatum vrbanis magistratibus nimium meminisse subit, quibus acceptos honores suos referāt, propemodū vt nonnullos eorum qui assiduitatem Reipub. debēt, in comitatu præpotentiū domicilium, in vrbe diuersoriū habere videamus. Et sic quoque mortales sperare non desinent & confidere adumbratam Reipub. curā, pro expressa & eminenti interperitos rerum cedere. Hîc fraudare non sustinui vnum hominem patrū nostrorum auorúmque memoria, qui cognitoris regii publicíque honore, munere, officiis ita functus est, vt sui magistratus memoriā, vel verius desideriū, in hominū sermone conseruauerit, in curia defixerit. Sanctromanus is fuit, qui vnus sub principe imperiosissimo coisse societatem salutis & periculi cū Repub. visus est. Quo nomine cum in cælum laudibus elatus sit, mira æquitate successorū manes eius vsi sunt. Nullus enim, quod compererim, æmulari homini sustinuit: eorū certè nemo prorsus, quos ætas nostra aut meminit, aut vidit. Audire nobis sæpe cōtigit, cum res quæpiam (vt fit) nata est, quæ præsentis animi intercessore egeret, & liberæ (vt ita loquar) cōtumaciæ aduersus impressionem aulicæ impotentiæ, homines ita gemebunde dicere, O tē-

pora,heu pietas,heu prisca fides!hæc res Sanctromani ſpiritus deſiderat,iuſti tiæ tuendæ legibuſque deuotos.

Iuſta prouocationum implere,Iuſta appellatoria recte atque ordine peragere,ſignificat id quod dicunt in foro , Bene ac debito modo appellationem releuare.

Lege prouocationis agito,prouocandi cauſas dicito.

Iuſta appellationis exercendæ remittere ſupplicanti,& Iuſtorum gratiam facere,in curia vocant,Appellationem pro bene releuata tenere.Id fit interdum inter medias cauſarum actiones , formulariæ ac ſolennis appellationis, eiuſque agitandæ veniam poſtulantibus.

Aduocatus regis aſſurgens inter cauſam agendam , multa in alteram partem oblocutus eſt,conceptiſque collegii verbis interceſsit,quominus auctor curia fieret eiusquod poſtulabatur. Nunc dicunt, Oppoſuit ſe procuratoris regii nomine formaliter.

Aduocationis regiæ collegium palàm appellatū,hoc eſt,in re præſenti interpellatum ab altero altercantium,interceſsit primum oratione ancipiti atque defunctoria. Deinde eò deſcendit,vt rem totam curiæ permittere ſe diceret.Huiuſmodi epilogi ferè ſunt obnoxiè munere ſuo non obſcurè perſungentium,in cauſis hominum gratia flagrantiū in aula,aut vehemētius quàm ſatis eſt,apud ipſum collegium gratioſorum.

Aduocatione regia cū interim aſſurrexiſſet,ſolenniúmque prouocationis exagitandæ deprecationem(vt aſſolet)præfata eſſet , curia admiſiſſe ſe actorē regiū,veluti iuſtum appellatorem,ſolenniúmque peractorē,pronuntiauit ore præſidis qui tum faſces habebat:iiſcéque de rebus ius dicendo, iuridici decretum appellationémque circunſcribendam cenſuit,ad idémque tribunal, non etiam ad eundem hominem,cauſam ab integro diſceptādam relegauit.

Cognitor regius reum conuictum noxæ cóſeſſúmque e molli articulo(vt dicitur)indulgētiúſque tractando,ſolitæ ſeueritatis bonam partem neceſsitudini condonaſſe,aut amicorum precibus,pleriſque iudicātium viſus eſt. Quod quia aliquando tam parum obſcurè factum eſt,parúmque verecundè,vt diſſimulari non poſſet,iampridem in curia & vbique receptum eſt moribus, vt iudices meminiſſe mallent in pœnis reorum æſtimandis, ſe in leges iuratos eſſe ſanctionéſque regias,quàm in verba iſtorum conſignata, ſtudiorum priuatorum non leuiter redolentia. In curia eo amplius prouerbio vulgatū eſt, vniuerſos eius conſcriptos ſingulóſque,cognitores ac aſtipulatores regis eſſe,populíque.

Reum requirendum,aut interrogandum adnotare,& vt præſto ſit ad iudicium,decernere.Id eſt,Compareat perſonaliter,vt ſermo eſt forenſis. Mandare enim reus delatus non poteſt,quæ ore & verbo reſpondenda ſunt percontanti iudici, aut ei cui quæſtio mandata eſt.

Quæſtiones priuatorum delictorum exercētur poſtulātibus illis qui vim paſſi ſunt,aut iniuria affecti, aut in quos noxā nocuerūt ii qui rei facti ſunt, & legibus interrogati.In qua ſpecie iuris ſui perſequendi ſolēne eſt in omni foro,cognitorem regalem in cauſam incūbere,& iure ſuo,id eſt regio & po-

pulari,subscriptorem se ad persecutoré noxæ ac maleficii applicare. Verũ id iniqua conditione hominum iniuria aut pauperie affectorum comparatum est: quòd sic iuris sui persecutor cum publici ac popularis iuris vindice coniunctam causam habet,vt asellus cum boue vnis bigis iunctus est.Cui simulac restitare placuit,asinus hæreat necesse est,vel in luto, si ita vsu venerit.Sic hominum nocentium iudicio exagitãdorum auspicia, penes actores regios moribus & instituto Franciæ collocata sunt, pessimo publico mea multorúmque sententia.Cæterũ ea res magni vectigalis instar est honorario muneri,charitatis publicæ titulum præferenti.Cuius velamento atque patrocinio præuaricatio & calumnia animaduersione publica conniuente,grassantur per omnes ordines mortalium.

Persecutio criminosa ad extremum vertit in ciuilem cõtrouersiam, quãdoquidem peragi reus quæstione non poterat. Nunc dicunt,Admissum reũ ad processum ordinarium.Dici etiam potest,Quæstio in litem euasit.

In ciuilem controuersiam quæstio capitalis incurrit, siquid secus admissũ esse in litis instrumento adulterando compertum sit.

Ineuntur certamina forensia,cum causarum actores dicere ingrediuntur & altercari.

Salutem foro dicunt, qui iam pares nõ sunt molestiæ litigandi perferendæ,& in gratiam cum tranquillitate domestica redeunt: quibus minimè ratio constat agitandarum litium.

Propugnacula calumniosarum litiũ, Appellationes sunt crebræ & tergiuersatrices,& Restitutiones diplomaticæ, aut à iudicibus indultæ, aduersus iudicia secundum præsentes data contra manifestos detrectatores.

Sideratam causam & seminecem refouere fomento codicillari.Id est,Impetrato diplomate.

Occupator iure cassus. Vulgo, Intrusus sacerdos dicitur. Et Occupatio grassatoria,non possessio,quæ possidendi iure vacat.

Capite sæpe sanxit curia qui furti manifesti cõuicti essent & comprehensi in auditorio maiore,sed capitali sanctioni audacia non cessit.

Curiales supplicationes fiunt interdũ ob vota publicè suscepta, aut ꝓpter euãgelia nuntii lætioris. Ad huiusmodi supplicationes matutino curia in vnũ coacta,è Basilicæ sacello proficiscens,ad Magnæ matris post sodales palatinos,eorúmque symphoniacos,incedit obsecrabundè,serie conscriptorũ in duos versus ꝓtenta, togis purpureis visenda insignibúsque humeralibus. Anteãbulonũ officio honestamenti gratia præeunte, togatorúmque comitatu pone eã ordine succedẽte.Quippe iisdem sub signis æra meret,eadémq; auspicia sequitur.Cũ ad diuæ templum vẽtum est, in eius delubro moris est obsecrationem cum sacrifica precatione à põtifice fieri, aut ab hetæriarcho, si pontifex non adest.Quam expeditionem princeps de procerum sententia suscipiendam duxit,ea vt salubriter,vt prospere ac feliciter eueniat. Fit autẽ rursus sacrũ epiniciũ,principe, primoribúsque & popularibus voti dãnatis,cum ita vsu venit. Cæterũ eadẽ obsecratio veluti maioribus hostiis fieri ad diui Dionysii solet,quarto ab vrbe lapide, idque tum demũ, cum princi-

pe externi belli causa fines imperii sui egressuro, res ad interregnũ reditura sunt, regníque auspicia ad regiminis fasces trãsitura. Hoc genus fit ferè ipsius regis ductu, cum diuûm tutelarium reliquiæ eorúmque conditorium è loco superiore ingenti religionis specie deportantur, regis reditũ mansuræ in patriam reducis, immo verò eum ipsum in locum, vt eodẽ religionis apparatu in locum reponantur post iusta peracta sacri charisterii.

Venditionis natura hoc poscit, vt auctoritas præstetur emptori, etiã si nihil mancipio promissum sit, nisi id verbis receptũ sit certũ in modum cõceptis.

Optio est, quem inquisitor sibi sumit subscriptorem. Hoc est, Adiunctum. & Optionatus.

Dies retrorsus ementita, vulgo Antidata dicitur. Et dies porroversus emẽtita, quæ recentior apposita est. Dies sursum deorsúmque adulterata.

Testibus repetendis, & si opus fuerit, coràm cõponendis, testimonium iterum denuntiandũ. qui si venire grauabũtur, tertia denuntiatio vnà quoque pœnam denuntiabit. Testes autem singuli reúsque altrinsecus interrogãdi.

Lege agere dominus beneficus cum sacerdote potest, qui sacerdotiũ possidet nuper auctum fundo beneficiario, vt fundum emãcipet ciuili cõmercio consecratione exemptũ, nisi emortui mancipii iure quæsita possidere à principe impetrauerit. Quod nõ ita pridem in vniuersum omnibus sacris sodalitiis cõcessum est, in præteritum iuxtà posterúmque, atque etiam vt impetrarent expressum in ærariæ rei difficultate, vt eius instituti auctores causabantur: iis frustra reclamãtibus, ad quos eius rei captio pertinebat, id est Patronis possessionũ, quæ fide & obsequio obstrictæ sunt, vel solarii iure & mãcipii.

Est moris antiqui institutum, vt prædia clientelaria cõsecrari possent, & in sacerdotiorum esse patrimonio, adumbrare possessorem subdititium & fiduciariũ, cuius morte annua iusta debeãtur patrocinii iure. Et qui si noxam admiserit commissoriam, sacerdotiũ ipsum siue est sodalitium, fraude cõmissi alliget. Consuetudinis vocabulo, Hominem dare viuentẽ & moriẽtem appellãt, significare volẽtes manu planè emortua fundos huiuscemodi nõ possideri. Dicere etiam possis Prædiũ in causam morticinæ possessionis cecidisse, vel Iure morticini mancipii possideri. Et ius mãcipii morticini à principe concessum. Est autẽ Morticina possessio, quæ manus iniectionẽ nõ sentit.

Ego huiusmodi mortalem, Castorẽ & Pollucem libens appellauerim, alternis viuentem & morientem, quem patrono cedere conuentũ est pro iusto legitimóque cliente. Viuus enim, obsequiũ beneficiarii loco præstat: moriens, aduentitium lucrum affert.

Cedò hominem quẽuis pro cliente, qui in fidem meã ita veniat, vt mortalem personam, feudíque committendi potentẽ sustineat, cæteráque obnoxiam. Verba sunt eius, qui prædii patrocinantis dominus est, conditionẽ superiorem accipere non recusantis.

Prædiũ ob noxam datũ lege cõmissoria. Nũc Cõfiscatũ ob feloniã dicitur.

Lis salua, Lis perdita, vt Res salua, Res perdita. Terentius, Hoc tibi ego credã furcifer? tu rem impeditã & perditam restitues? Idem alibi, Lanii, coqui, fartores, quibus & re salua & perdita profuerã. Possis & illud antiquũ, Satin' sal-

ua omnia,& Satin' salue,huc transferre.

Aduocati quidá causidici, alii etiam nó inuito faciunt vt Lysidici dicátur.

Singularia,sunt ad singulos pertinentia,Particularia vulgo dicta, vel Particularitates non vniuerse pollentes.

In ius ad præfectum vrbis vocatus,aut ad eius legatum rerum priuatarum iudicem,aut ad legatum quæstionum iudicem,& actionum criminosarum.

In crimen vocare aliquem,est quod Onerare vulgo dicút.& In crimé vocare aliquid,est Vt criminosum obiicere, & Crimini dare. Nunc dicunt,De eo litem extraordinariam facere.Cic.pro Rabi.In crimé vocas,quòd cum iis fuerit C.Rabirius.& pro Plancio,Atque is quidem adductus ad consules,qui tum in crimen vocabatur, se à tuis iniquè iactari querebatur.

Curare causam,& Curator causæ, núc Sollicitator dicitur.Plaut.Cura rem communem,quod facis.Verba sunt proficiscentis.

AEtatem exulare,est Perpetuo exilio mulctarú esse.AEtaté vti frui possessione aliqua.id est,Ad vitá.Plaut. AEtatem velim seruire vt id fiat.sic AEtatem litigare,AEtatem in vinculis esse nauticis,aut in ergastulo nautico.

Supplicibus libellis flagitare vt curia sibi vacet, vt sibi curia in consilium eat.Id est,Locú & tempus causæ suæ iudicandæ petere.

Quàm mox curiam speras vacaturam causæ tuæ inspiciendæ?

Causa non tam suapte vi infirma,quàm à pecunia male valens. Res enim forensis præsenti fide & oculata constat,vt vtar comico verbo.

Causarius nuntius in curiam inductus, iureiurando morbú sonticú excusauit eius cui dies dicta erat sistédi se in quæstione. Vulgo Exoniator dicitur.

Rem tibi cautam præstabo, significat Repromissorem me offero rem tibi saluam fore.Ac si dicas,Aliud age,res est tibi mea fide cauta.

Disputationes peripateticæ fiút in obambulationibus basilicanis inter aduocatos,vel pragmaticos,& litigatores.

Citatus libello causari ignorantiam nó potest, si coràm in ius vocatus est. Libellatam in ius vocationem dicút.Plaut.Vbi tu es, qui me libello Venerio citasti?Id est,Amatoria epistola euocasti.Sisto ego tibi me,& mihi cótra itidem vt sistas,suadeo.Sistere se,ipsum adesse significat, non cognitoré eius.

Vadari hominem edicto imperioso,criminoso, euocatorio. Id est, Vt semetipsum sistat,non cognitorem suum. Et Vadari reum delatum, imperio semetipsum sistendi ad quæstionem.Dici etiam id potest, Pignerari hominem vadimonio. Pignerari autem iniecta manu,vel comprehensione, est corporis prehensione retinere.

Aduocato vsus sum consultissimo, & cuius responsis ac sententiis doctissimum quenque stare plerunque non pœnitet.

Stat ferme iurisdictio omnium præfecturarú Franciæ,institutis curiæ, exemplisque in iure dicendo proditis,dútaxat intra fines summæ ditionis eius.

Stabit huius causæ ratio scriptis auctoritatibus,non testificationibus.Illius verò iudicium,stat testimoniorum fide consignata. Vulgo dicunt, Totum positum est in inquestis.

Cum ad cóflictum curialem ventú erit,prouocatori iacienda erit alea: aut

si offensio timetur, deprecatione vtendú,& tamen quod dabitur,accipiédú. Alioqui si causa sit præsentis iudicii,inter sacrum saxúmque pauendú est, & vota nuncupanda. Nam post aleam clausulæ iactam,sera est pœnitentia.

Aleam volo iactam,vel Iacta per me alea esto,Per me licet vt iacta sit prouocationis alea,id ferè est quod aiunt,Cócludo in certamine prouocatorio.

Liberali causa manu prædiú asserere is dici potest, qui in fide cuiusquam positum prædium esse negat,aut cuiquam vectigale,sed optima conditione esse. Francum alaudium vocant.

Pupillus personam non sustinet cómittendi prædii potentem, aut fide astringendi. Moribus autem nostris adolescens viginti annorú factus,cómissoriam personá habere existimatur,& ad ætatis annos cómissoriæ peruenisse.

Fidei astringendæ deprecatio,& Fidei interim dandæ deprecari necessitatem,Sufferentiam petere vocant.

Fides clientelaris mádari inuito domino nó potest,nisi qui mandare vult, aut morbo sontico causarius sit, aut abséntia quæ instar habeat morbi sótici.

Patrocinii iura sunt,quæ patrono moribus in clientem & in cliétariú fundú cócessa sunt. Ná Patronatus nó videtur admodú antiquú esse vocabulú.

Lege agere cómissoria in clienté cótumaciter insolenté,aut conuitiatoré, aut cótumeliosum,aut insigniter iniuriosum,aut improbè ingratú, aut necessitudinis clientelaris violatoré quæ moribus sancta est. Multa enim sunt legis capita,quibus clientú aduersus patronos licentia cóstricta est. Dici potest & legem exercere cómissoriam in beneficiarium, qui in benefici prædii dominum grauius quippiam,aut cótumeliosius,aut cótumacius,aut conuitiosius aut iniquius, aut libidinosius consuluerit: quod lege sancitum sit, si cliens horú quippiá,aut quod horum instar maiúsve sit, cómittere ausus sit.

Patronus cliéti,ipse, vxor,filiæ,nurus,lege commissoria sancti sunt. Adde etiam soror,duntaxat contubernalis.

Iura patrocinii moribus priscis recepta,commissi pœna sanxerút,si patronus in prælio à cliente commilitone proditus sit:si reus ab eo factus memorabili incommodo affectus sit:si circunuentus aut occlusus ab eo, cum posset,non emissus sit:si ab ipso præsciéte insidias capitales celatus sit. Comiter enim & piè beneficiarius conseruare nomen & famam benefici sui debet,nó insidias struere in eum, in familiam, in prædium, cuius causa necessitudo inter eum & patronum intercessit.

Perfidia cliétis,vulgo Felonia dicitur. Si petitus vel telo,vel insidiis ab ipso patronus fuerit: si capitis aut fortunarum, aut existimationis insigne periculum patrono creauerit: si contumeliosissime insectatus sit: si impias manus & maleficas in eum attulerit: si vxori eius, filiæ, nurui vim vitiúmve obtulerit, perfidia commissoria perpetrata esse dicitur,in eúmque exerceri vt perfidiosum,vt impium,lex ipsa potest commissoria.

Prædium superius,Est quod iure patrocinii in inferius præditú est. quod manuum iniectionem habet in prædium obnoxium.

Prædium multis ac magnis clientelis latè patens. Id est, Possessionibus assectis & obsequialibus.

Possessor fundi inferioris non antequam iureiurádo in nomé patroni adactus est, vel sacramento rogatus est à patrono, & catalogú rerú clientelariú porrexit, liberam & iustá fundi possessionem habet: quam etiam deinde fructuariam tantú habere existimatur, vtilémque. Penes patronú enim propriú ac iustú mancipium esse censetur: id est, Auctoritas rei plenior. hoc est κτῆσις κυριωτέρα. Secundarium autem mancipium, est ipsius clientis, re quidem v-tentis fruentísque obnoxiè, & quodá quasi precario, eodémque obsequioso.

Patrocinii & clientelæ relatio atque necessitudo lege fiduciaria códita est illa quidem primú cótractáque, sed impari códitione. Nam patronus, vt beneficus auctórque necessitudinis, táquam è loco superiore cum cliente suo agit, & iure imperii mácipiíque maioris: Clienti, tépore ac loco parere necesse est, & veluti è loco inferiore ius suum obtinere. quippe qui discinctus exarmatúsque, vt supplicantis specie inire auctoramétum lege clientelarum debeat. Et vt necessitudinis & beneuolentiæ mutuæ index est osculum, ita obnoxiæ conditionis, manus supplices inferioris, in manus superioris datæ. Quibus consentanea est respondénsque formula, in sese addicentis verba có cepta, operámque beneuolá ac strenuam spódentis, lege fiduciaria inductá. Tametsi huiusmodi necessitudinis contrahendæ ratio, in rem magis clientelaré, quàm in personam clientis & concepta & scripta esse césetur. Siquidé possessio ipsa, non etiam possessor eo fœdere auctoratus est, si ad verum loquimur. Quare eximere sese volenti eo nexu legali, liberú est non dico fundum obnoxium pro derelicto habere, sed alio quouis rerum alienandarum titulo emanciparé, sícque exuuias (vt ita dicá) auctoratrices ponere. quod sine captione patroni ita fieri debet, vt caduco suo non fraudetur. Enimuero necessitudo inter superiorem inferiorémque dominum fundi fide intercedéte conflata, legem habet reciprocantem. Nam vt ex inferiore loco sursum versus obseruantiæ necessitatem iniungit, ita deorsum superne innoxias manus poscit, necessitudinémque beneuolentiæ non inertis nec fucatæ, si non paria fortasse facientem, nec similia, at æquitati tamen consentanea. vel verius, facinoris commissorii eadem vtrinque existimatio.

Manus à patrono in beneficium suum iniecta, quod in causam caduci deuenerat, simul vt in fidem venit beneficiarius nouus, iustáque caducaria persoluit, iure ipso sublata est, aut legis præsidio.

Auctoramenti gratiam facere, & fidem acceptam clienti referre, est quod dicimus, Pro admisso clientem habere, teneréque.

Suspensa manu patientiam clienti accommodare. vel, Suspensam manum tenere. Quod minoribus, qui nódú ad ætatem ineundæ fidei venerunt, necessario: maioribus auté interdú vel causaria patientia, vel precaria indulgetur.

Iure moribus recepto cum beneficiariú prædiú in causam caducariá cecidit, quandiu patronus per conniuentiá somniculosam obdormisse visus est, tantisper cliens peruigilasse censetur. Id est, sibi, non patrono possedisse. Vicéque versa, si manu iniecta beneficiarius nouus incuriæ veterno cósopitus, iusta facere clientelaria cunctatus sit, tantisper patronus excubias egisse dicitur, conditionémque suam commodiorem fecisse.

Iusta quintana & subquintana prædii beneficiarii, non debentur benefici prædii domino, nisi ob ære partum prædium. Vulgo Ob solutos loculos dicunt. Nam ob ea quæ donatione aut permutatione quæruntur, quæ hæreditate aut legato obueniunt, annua tantum debentur.

Diem iudici dicere ob rem perperam aut iniquè iudicatam, & eum ad curiam diplomate prouocare secundum quem iudicatum est. Vulgo Releuare appellationem dicitur.

Quandoquidem curiæ aresta semel sunt litium decretoria, & consiliũ maiorum auspiciorũ nullum est secũdum principem quod appellari ab ea possit, subsidium iuris vnicum legibus proditũ est supplex prouocatio, quæ instar illa quidem habet legitimæ prouocationis, sed ratione dissimilem. Siqui dem à singularum curiæ classium sententiis protinus ad ipsammet curiam vniuersam prouocare licet formula lege præscripta, quæ & veniam ipsa poscentis præfationem habet, & verecundè grauantis, querentísque non iudicii iniquitatem, sed iudicantium verius hallucinationem ab obreptione natam. Cæterum ea (vt ita dicam) æquitas consolatrix offensionum curialium, nec in omni genere iudiciorum vsurpatur, nec expeditam habet rationem, propter cogẽdæ curiæ difficultatem, vix vt decimo cuique remedium simul cum fomento spei afferat, duntaxat in hac nostra curia.

A pedariis iudicibus & sellulariis, vicanis, & castellanis, multis gradibus prouocationum ad curiam res euadit.

Obnoxiæ iurisdictiones sunt eorum iudicum, qui Subalterni vocantur.

Causa prouocationis acriter vtrinque concertata, & consilio tribunalis circulatim (vt fit) coëunte, sententiísque ex tẽpore rogatis, præses ad locũ suũ reuersus, ita pronuntiauit, vt & prouocationem & rem iudicatã vnde prouocatũ erat, circunscriptam à curia esse diceret, reliquiásque causæ disceptandas ipsi præfecto Parisiensi, aut eius legato mandaret, dũtaxat vnde prouocatum non esset: vnáque prouocatũ impẽdiis mulctaret, vel (vt sæpe fit) vnáque litis impendia inter prouocatorem & prouocatum nõ ab re exæquanda duceret. Vel, De litis autem sumptibus clausulam illam addidit quæ multis in sentẽtiis additur, Paria inter se partes fecisse eo nomine visum esse curiæ.

Curia sententiam pro nulla habendã esse censuit, & inducendam, vel non scriptam. Curia quod lege actum est à viatore, aut ab eo cui res erat mandata, infectum fore pronuntiauit. Vel, Id quamobrem ipsa curia appellata est, irritum esse existimauit.

In causis prouocatoriis primæ partes agendi sunt ipsius prouocatoris, secundæ prouocati, tertiæ rursus prouocatoris, & vltimæ prouocati. Exordientes autem aduocatos retrorsus superare cancellos exteriores moris est: deinde in altercatione intro redire.

Multa in iudiciali munere, studio partium fiũt, quæ iniuriæ quàm iuri propiora sunt, eò capitaliora, quòd officii specie plerunque fucata sunt.

Flagiratores libellarii limen curiæ obsidentes, & diebus altercatoriis aream cancellorũ frequentãtes, multitudo est, ius & æquum suppliciter postulantium. Altera autẽ est natio cãdidatorũ maioris audientiæ, nobiles plerique,

aut nobilium ordinis, quos salutatores appellãt basilicanos, fauorísque aucupes, blandos sui venditatores summæ iurisdictionis geniis, nonnullísque cõscriptorum, quos causarum fata regere existimant.

Hic magno ambitu occupauit plutcum decuriæ. Pro hoc dicũt, Lucratus est burellum, Aliis burellum præripuit. Hoc est, Audientiam.

Causa in germanũ modum acta & disceptata. Id est, Nihil sibi, aliísque reliqui fecit causidicus, quo diligentius & exactius causa defendi posset.

Curia reum falsi delatũ non suæ ditionis, translatitii criminis ergò ad pontificium iudicium relegandũ censuit. Quòd verò ad præcipuũ admissum regiúmque attinet, manum suam iniectam in ipsum tantisper manere pronũtiauit, interímque tanquam è numero custodiarũ regis esse, dum in eũdem quæstio eo nomine ab iis exercebitur, quos curia è numero conscriptorum iudices proditura est adhibito cognitore regio. Hoc suis verbis dicunt, Curia reum ad episcopum cum onere casus priuilegiarii remisit.

Curia reum rei capitalis delatũ, à crimine quidem simpliciter dicto, nihil moratur, quominus ad cognitionem pontificis reiiciatur: à crimine autem regio & cognitionis antiquioris, tãtisper reum & tanquam custodiam regis apud pontificem futurum pronuntiauit, quoad quæstio ea de re habebitur à certis iudicibus, quos è numero conscriptorum sibi legatura est.

Verum in reis nobilioribus, qui infularum iure legibus sacrosancti esse videtur, solẽne est animaduersionẽ receptitiæ quæstionis, id est, criminis excepti, in curia agitari, vt præuertendam relegationi reorũ ad forum põtificiũ.

Cum autem ambigitur supradictorum reorũ relegatio, ad ipsam disceptãdam profani promiscuè iudices, initiatíque ordini sacerdotũ conueniunt. Ibique prærogatiua fit reorũ disquisitio, dignine videantur, exposita & perpensa admissorum atrocitate, qui iure mulctentur sacrosancti reatus, & relegandi. Quod si maiori parti visum fuerit, protinus è conuentu initiatorũ numero facessente (ne sanguinario iudicio profanentur, & tanquam exaugurentur) in consilium rursus itur de reorum supplicio. Quod ipsum expeditam & pronam iudicationem habet ob factum præiudicium.

Plerunque in admissis reorum quæ geminæ disceptationis criminationẽ habent, id est, exceptitiæ atque translatitiæ, vnà cum reiectione reorum consiliarii certi extra ordinem iudices dãtur, qui auspiciis curiæ, adhibito cognitore regali, quæstionẽ habeãt delicti receptitii, eóque nomine nõ vltra mulctã vindicẽt, arbitrãte rẽ interim dũtaxat oculis auribúsq; pontificio iudice.

Reus verticis initiati patrocinio seruatus.

Reus facinorosus vindice canonũ religione legibus ereptus, asylóque redditus multitudinis scelestissimæ, qui pseudoclerici, ab altarísque accessu abhorrẽtes, vertice tantũ sanctis similes, cætera profani sunt, vel cõtaminatissimi potius. Tam paruo apud nos scelerũ impunitas emitur, sub stupida quorundã religione, canonum verba non sententias animaduertentium. Nã prò superũm sanctarúmque animarũ fidem! quid aliud est mentibus deterrimis vertex forfice delibatus cum elogio breuiculi pontificii, fortasse adulterati: quid aliud (inquã) est insigne illud verticale, quàm phylacteriũ, quàm amu-

letũ, aduersus leges iudiciaq; salubria vitæ, partim ære tãtulo, nulli non obuiũ cõmercium & expositũ? quàm publicorũ iudiciorũ ludibriũ? quàm character licentiæ perditissimæ? quàm symbolum impunitatis, inuitamentum nequitiæ mortalibus exitialis? Hactenus apud nos profectũ est inscita canonicarum sanctionũ obseruantia, vt custodias recognoscentes, à caluo ad caluum (vt ille quondam nequissimus hominum atque perditissimus) sine delectu rerum ac personarum, ducendos esse pronuntiemus.

Reus tessera sanctitatis mulctatus: vel verius impunitatis. Nunc Depulsum à clericatura dicunt.

Tesseram & elogium circunferre initiati verticis perditæ vitæ homines solent, eáque confidentia nihil nõ capitale audere, vtpote qui non nescii sint, quid possit in Francia assertio canonica: aliquãdo ipsa certè tollenda, aut leges antiquandæ ciuiles, põtificióque ordini & sacerdotum nomini condonandæ, rei autem omnes in ordinem redigendi pontificiarum custodiarum in eorúmque carcerem relegandi. Quod posticum est carceris iustitiæ, seueritatísque legum atque innocentiæ vindicis.

Res magna in hoc articulo causæ agitur: ideóque sũma cautione op' est.

Nihil in hac re transigenda captionis esse potest.

Homini in minore ætate circunscripto, restitutio petenda est citra annũ vndetricesimum. Eo enim elapso, ætas illico excesserit è præsidio legum.

Is qui lege agere cœperat ex decreto curiæ, negauit se prouocationi cessurum quamlibet geminatæ.

Exordia causarum & præludia, præscriptiones sunt translatrices, aut depulsrices actionum.

Elemẽta litium exhaurienda ante contestationem. ad quod perficiendum multi menses conterendi sunt. vel, Elementis litium exhauriendis ante cõtestationem, multorum mensium tædium molestiáque deuoranda sunt.

Ad pistrinũ forense ætatem conterere summa est miseria, in qua tamen homines natura controuersi & φιλόδικοι pabulum animi quærunt.

Sua fide reus ampliatus obtineat commeatum, an sponsorum egentium, non magnopere interest.

Percunctatore callido opus est ad reum veteratorem ex elogio interrogãdum. Id est, Super inquisitione criminis.

Mea causa licet reus delatus abeat quo volet. Id est, Eum iam non moror. Dici etiam potest, Rogitator astutus, qui reum identidem rogando, & variè rogitando, per epagogen eò deducat, quo prouidere non potuit. Percunctator epagogicus, qui Socrati in percunctandi arte non cederet.

Reus delatus, cui libera custodia sui intra pomœria permissa primũ erat, cũ quæstio ampliata esset, in diem longiusculã, libello supplici postulauit vt interim ei abire domũ suã liceret bona curiæ venia. Cui postulationi regius actor, quócum (vt assolet) cõmunicandum libellum curia subscriptione sua iusserat, in hæc verba respõdit, Si nullo alio nexu supplicator obstrictus est, mea quidẽ causa liberè abito ad postridie Martinalium, vel Candelalium, vel Cineralium. Id est, ἐμοῦ ἕνεκα. Vel, Per me quidem liberè absit ab vrbe ad qua-

draginta dies.

Longiſſimè teſtes meminerunt, vt ex eorum teſtimonio apparet. Id eſt, Teſtificātur de rebus admodū vetuſtis. Longius hic teſtificatur, quàm meminiſſe per ætatem potuit. Plaut. in Menech. Quid longiſſimè meminiſti, dic mihi, in patria? ME. Cum patre vt abii Tarentum ad mercatum.

Subcognitores ſunt quos ſibi cognitores ꝓficiſcētes ſufficiunt. Et ſubprocurator eſt, qui ab eo procuratore ſuffectus eſt, cui mandata erat rerū ꝓcuratio, cū poteſtate ſubrogādi ſibi procuratoris, ac res ſibi mandatas ſubmādādi.

Meditatos teſtes producere. Id eſt, Antè commonefactos, quibus roſtrum (vt aiunt) concinne exacutum eſt.

Apparitorum curiæ munus eſt ſupplices libellos, quibus curia ſubſcribendum per actuarium duxit, aut litigatoribus ipſis, aut eorū cognitoribus denuntiare, deſcribendique poteſtatem facere, quódque denūtiari reſponſum ſit, elogio ſuo teſtificari.

Diligentis litigatoris eſt, aut eius cognitoris, inſtrumentum ſuum iandiu prolatum ex indice ſuo recognoſcere: & certamine inſtanti, id eſt, cum cauſarum conflictus iamiam futurus ſperatur, copias ſuas iudiciales recenſere. Id quod in manibus fieri licet apparitoris aut actuarii tāquam ſequeſtris nequid interciderit, aut fraude interceptum ſit. Id quod ſi contigerit, inſtar eſt calamitatis in fundo.

Quod Cauſam eſſe in valuis ſententiæ vulgo dicimus, Latinè dici poteſt, Certamen in procinctu eſſe.

Subſidia cauſæ cōparare, Copias quaſdam tanquā in ſubſidiis collocare, Aciem copiarū inſtructā, inſuper ſubſidiis ad omnes caſus firmare, ſignificat Inſtrumentum ſuū copioſius facere, vt certior ſpes victoriæ ſit. Quod tamen proprie Supplere copias ſuas dici poteſt. Et Supplementū copiarū aliud atq; aliud dici poteſt, cū inſtrumētum in dies cumulatius facimus. Res autē ad triarios rediiſſe dici poteſt, quādo copiis noſtris diffidētes, & cauſæ ſummā in cardine parū firmo verti exiſtimantes, noua ſubſidia excogitamus, eáque diplomatis venia in medium adducimus. Quod Noua facta articulatim ponere, ſermone pragmaticorum dicitur. Latinè dici poteſt, Themata noua articulatim edere, eáque probanda ſuſcipere. Quod in prouocatorio certamine ſæpius fieri ſolet. Aliquando etiam in primi conflictus controuerſia, cum copias aduerſarii explicatas inſpicientes, noſtris metuere cœpimus vt imparibus. Interim enim certamē detrectare forēſibus inſtitutis licet: quod multi in ſpeciem faciunt, imminentem ſummæ rei offenſionē procraſtinare volentes, ſiquid ſpei melioris affulſerit interim expectātes, aut litis decidendæ laxamentū occaſionémque captātes. Nonnulli, vt erinacius animal aculeoſum (quod in Græcorū eſt prouerbio) partum ſuū in aliū atque aliū diem reiicit, ægriore in dies pariendi cōditione: ſic illi cum incremento damni non obſcuro, in ipſius damni dilatione, animo ſuo indulgent. Sunt quibus id genus remedii non magno diſpēdio in ſummā decretorium fuit. Præterquam autem in ſuas ſupplēdas copias ſumptū facere, ita etiam in aduerſarii coguntur apparatum: quatenus quidem æquare ille ad defenſionē copias, non exu-

perantiores facere voluerit.

Litem lite, litibúsque sæpe resoluunt iudices, qui huiusmodi dát sentẽtias, è quibus vna vel plures lites subnascantur. Quod interdum culpa iudicũ, interdum litigatorum euenit, qui vinci semel nequeũt. Huiusmodi etiam litiũ quarundam natura est, vt earum materia elidi radicitus nõnisi multiplici ac varia iurisdictione possit. Et alioquin hoc tẽpore, hac morum iniquitate, his hominũ studiis, ad cõtrouersiarum aucupia incumbẽtibus, ista denique multitudine interpretum iuris, cuius nomẽclaturam ediscere, & memoriter referre, nõ cuiusvis est memoria præditi, ista scriptorum voluminum cuiusque eorum iliade: non magnopere mirandum est lites tã multas esse, litésque litium iam perfœcundas, vnámque litium sementem in multas messes restibilem. Præsertim cum calumniæ litigantiũ hinc quæstus seruiat non aspernandæ partis hominum elegantiũ, illinc eo amplius indulgẽtia faueat ciuilis ambitionis, vt nulla sint alia litium alimenta. Id est profecto forẽsium cõtrouersiarum seminarium, quod esse oportebat excidium.

Conditioni iam latæ auctarium adiicere, est Vberiorem cõditionẽ offerre. Lites quædam breuiculæ, quædam mẽstruæ, quædam dierum paucorũ, quædam annuæ: quædam bima, trima, quadrima die vix bene contestatæ sunt. Quædam non tantum lustrales, sed etiam seculares sunt, ad quas auspicandas Nestore adolescente, ad finiendas porrò senescente opus est, nisi hæredi mandaturus est. Quanquam translatitium est apud nos, cõtrouersias ab auis exorsas, ab nepotibus iam grandiusculis absolui.

Conceptis verbis adactus iurisiurandi fidem dedit.

Commentarius litis inspectoris, in foro Extractus dicitur.

Ei qui ob secus quippiã admissum pecuniæ damnatus est, carcer statim ineundus est, nisi iudicatum faciat. Qui igitur à penuria laborant, hoc metuẽtes, aliquãtisper publico carere, atque ex medio se subducere solẽt, quoad pecuniam tantam aut auctione facienda curarint, aut ab amicis corrogarint, aut à mensa sumpserint, si nondum fidem suam labefactarint.

Docti patroni officiũ est in scriptionibus cõficiẽdis, argumenta causæ, capitáque thematica concenturiare ad instruẽdam litis aciem, quoad eius fieri potest, artificiosissime. Plautus, Cõcedere hinc mihi aliquãtisper intro liber, dum concenturio in corde sycophantias. Et Centuriare vel Decuriare themata causæ, & Centuriati thematum articuli: id est, Articulare facta causæ.

Cõmentitia themata atque sycophantica in scriptionibus edita. vulgo Falsa facta in medium missa dicuntur.

Scriptura thematica, vulgo Intentiua dicitur, quæ differt à Iuridiciali, in qua iuris est, non facti sermocinatio, nisi vtriusque formulæ sit particeps.

Procudere dolos forenses, & Fabricari captiũculas, & Doli forẽses fabrefacti. &, Fabrûm forensium præfectus. Hoc est, ὁ τῶν ἐγδιούργων ἡγεμών.

Institor causæ diligens & callidus, qui recte atque ordine promit & condit literas atque auctoritates quæ è re futuræ sunt eius, cuius causam procurandã suscepit. vulgo Sollicitator.

Hac ratione res erit planè soluta. Id est, Nullus iam eo nomine quippiam petere iudicio poterit.

Res nulli magis soluta, quàm huic esse potest. Id est, Hic est cui certo solui potest, & summa securitate.

Causarum fiducia non magis iure stat, & moribus, quàm iuris experiũdi ratione & peritia. Neque verò, qui certo iure nitens, iudicium vel intendit vel recusat, continuò securitati indormiscere debet. Vt enim pertinet ad summam litis, iuris sui compertam habere firmitudinem: sic ad successum magnopere refert, causæ certo quodam modo instituendæ tractandæque ratio.

Ducere causam, Est prolatandæ litis occasiones alias atque alias nectere, nec tam litigare, quàm litem extrahere.

Prudentis est aduocati, non ea tantum quæ in rem sunt, dicere aut scribere, sed quæ ab re sunt prætermittere.

Exarmata causa est, cuius copiæ præcipuæ intercidẽrunt, vel dolo sublectæ sunt. Quod vsu venire in curia, nõ tam rarũ est, quàm halcyonem auẽ videre. Noui enim, cui cõtigit ea causæ calamitas alioqui certissimæ, vt sacculi instrumentales diu non comparuerint, inspectoris causæ culpa, in ea re tam securi, vt in litigatoris captione summa, sextantem æreum suũ vix agi existimarit. Inermis autẽ est causa, quæ literis, & auctoritatibus, testimoniis, aliisque documentis iuris sui caret, in eo quidem genere quod probatione constat.

Circunforanei homines, basilicani, atque in vniuersum iudiciorum alumni, vulgo Practici vocantur. Hominum natio, aliena patrimonia securè, augendis suis luculente, negotiari solita in foro iudiciali.

Negotiũ habere durũ est in basilicæ foro cũ homine vel suapte vi, vel necessariorũ & propinquorum poteti, vel nimiũ gratioso, non lepòre, non morũ cõcinnitate, sed persuasibilioris gratiæ imperiosiorísque cõmẽdationibus.

Sudandum & algendum cum litigatore rem habenti in sua palæstra exercitatissimo, qui cũ medius tenetur, consertísq; manibus, anguilla fit (vt aiũt) vel Proteus potius.

Noui hominẽ mihi summa familiaritate, omníque officio coniunctũ, cui certamen fuit cum Vlysse forensi, cùm Autolico vicino, cum Roscio iudicũ salutatore, cum AEsopo quiritatore: ad hæc hominum permultorum studiis in omni pene foro gratioso. quem hominem cum ipsi (amici enim causæ, vt cõmuni studebamus) ob ingeniũ quoquo versus versatile versutúmque demiraremur, nõnihil etiam vel inuiti amaremus ob Vertumni faciem, ob gestuũ, vultuum, verborũ elegantiã scena dignam, nihil in eo desiderabamus, præter fidem, religionem, iurisiurãdi reuerentiã: cætera hominẽ affabre factũ diceres, si in iis paucis conniuere tibi persuaderes: quod amico homini auctor eram: tametsi vicem eius tanquàm meã dolerem, cui ille non minus infestus erat, quàm cynomyia cani leporario, talem indignanti aduersarium.

Aui sinistra & liquido auspicio iudiciũ intẽdere, vel litẽ cõtestari, significat consultò & auspicatò id facere, auctoribus consultis, & rerũ forensiũ peritis.

Sententiam abstuli ex animi mei sententia. Vel breuius, Sententiam tuli, pro Abstuli. Res iudicata est vt optabam.

Milui circunforanei prædæ semper imminentes, oculis omnia lustrant, forum circunuolitantes: Homines sunt aut basilicæ, aut cuiuscunque fori alumni, miluinis oculis, vnguibúsque. Adunciores tamen vngues sunt, tenacioresque eorum qui formulis grassantur pontificiis, vt qui nihil in pignora iuris habentes, animas hominum pignerari stygiis nexibus soliti sint, post vnũ & alterum eremodicium, idque paucorum dierum interuallo geminatũ, caput hominis sola egestate nocentis, cætera insontis, furiis maniísque deuouent. Quod genus diri maledicti non thure, non myrrha, sed auro tantum expiabile esse dictitant.

In articulo causæ quippiam contechnari, Tempestiua fraude aduersarium circunuenire.

Rei quidam detrusi in Acheruntem custodiarum in carcere pontificio, viuaces in pœnam animas trahunt, lucis prorsus exortes, vt qui mœrore pro cibario, lachrymis pro potu victitent. Quorum certè nõ miserescere, quos non miserabũdè visere, prorsus inhumanum est, nedum scelestum ac nefarium, eos, quidem certè quorum est inspectio. Neque enim pro domicilio calamitoso carcerem, sed tartarum potius habere mihi videntur.

Forensis est instituti, in libellis & scriptionibus, aduersarii honorifica appellatio, si in magistratu est cum imperio: titulosa, si titulis honorandis præditus est: ne inimico animo fraudari honoris ac p̃sonæ præfatione videatur.

Petitor ac rei vindicator suam rem sentẽtia iudicis saluã habere iussus est, cum accessionibus fructuum, litis impendiorũ, & quatenus interfuit ipsius, simul atque lis vindiciarum instituta est, rem fuisse traditam.

Illiberali causa, non liberali, vt prisci loquebantur, manu patroni clientes suos asserunt, ab iniuriáque iudiciali defendunt, qui sordide, aut quæstuose tantum, non etiam benigne & ciuili animo defendunt.

Conuento mihi homine opus est, domi prius, deinde in iure, si ius & æquũ poscentem non audiet.

Causa quálibet acerba suapte ratione atq; amarulenta, tamẽ nõnihil leniri actionis comiter habitæ cõdimento potuit, si iuris tantũ persecutioni seruire litigator, aut eius aduocatus, non etiã obsequi animo concitatiori statuisset.

Auctor ab emptore fundi laudatus, si fidem auctoritatis præstandæ prodiderit, & res vindicata ab emptore fuerit, ablatáque à vindicatore: omne causæ dispendium, omnis calamitas controuersiæ ad ipsum tandem redibit proditorem. Nihil autem ad auctoritatem præstandam, fideíque destitutæ noxã luendam interest, auctoritatis præstatio verbis nuncupata sit, an tacita fide promissa in contractúque hærenti, si modo verbis ipsa certo quodam modo conceptis non recepta sit.

Tu in causam incubuisti admodum ancipitis euentus, & parum læta consultorum auctoritate. A qua vereor ne calamitas instet patrimonio tuo.

Homo nimium amans litium, implicatus est grandis pecuniæ controuersia, iudicísque peritorum euariantis, mea verò sententia deteriorem in partẽ vergentis, & (quod ominari homini mihi amicissimo vereor) longè latéque in eius censum & familiam pauperiem factura, si secus res cesserit.

Vtinam satis hoc agerent causidici quod acturi sunt : elemẽta causarum animaduerterent, institutatúmque litiũ rationẽ, argumenta, & firmamenta consulto expenderent, copias instrumentúmque accurate percenserent, ac litis vtensilia: ita fidem in tyrocinio datã meminissent, religionéque obstrictam. Melius profectò cum iis, & felicius ageretur, qui in foro negotiantur: sed exilius fortasse & angustius cum turba eius fori proxenetria.

Supplementũ causæ laboranti comparare, & Copias supplere, est Prolationẽ copiarũ auctiorẽ recentiorémque facere, Nouum supplementum cõscribere, Copiarum delectum alterũ habere, Auxiliareis copias vndiq; accersere.

Libellos ferẽtarios (vt loquar comica dictione) inter copias auxiliareis numero, eásque non inermes, si huiusmodi ferentarii in loco collocati sunt, & scite instructi & opportuni.

Impeditã controuersiã moris est diplomate expedire, plerũque cõmẽtitio.

Agant iam, siquid agũt præsides & conscripti, atque aleæ causam mãdent: nostræ enim iam partes sunt atque aduersarii, vota nuncupantium.

Alea iam causæ in manibus est curiæ, vel Calculi potius in manibus iudicum & consilii. Vrna in manu prouidentiæ, interdum in fortunæ nusquam non obrepentis, victoriæ & offensionis alea.

Communis adhuc Mars campi, albo nigróque solo distincti, ancépsque diu expectatio, litigãtes miseros exanimat, salutatoriã interim in basilicæ statione factitanteis, ingredientium vultus, egredientiúmque anxiè obseruanteis, ex eorúmque responsis agnoscenteis omnia aut abnuenteis.

Hic articulus causæ erit decretorius, Hoc caput in causæ summam erit decretorium.

Dum alea adhuc communis, conditiones ferendæ sunt atque accipiendæ, si è re vtriusque æquè esse videantur, aut non valde iniquæ.

Cum ancipiti certamine vtrinque diu disceptatũ esset, paulatim impressio in alterã partem facta, & ita impulsæ alterius partis copiæ, vt subsidia causæ promouenda non sine tumultu viderentur. Id euenit sæpe cum prolatis litis instrumentis, cœpit innotescere vtræ copiæ firmiores sint: & cum testificationes vel documenta quæ decernere rem existimabantur, acriter & appositè refutata sunt, eorúmque fides labefactata: aut vice versa, cum alterius partis testimonia aut nulla esse fide, aut exili probatione sperabantur, post decretã inquisitionum editionem, earúmque exempla vtrinque cum vtroque communicata, liquere de fide earum argumentóque cœpit. Tunc enim in alteris castris trepidari necesse est, vltimáque consilii remedia tentari.

Calculorum iam parte in vrnam coniecta, id est, principum sententiarum punctis nominatim (vt assolet) adnotatis, inclinatam rem & propemodũ perditam, vnus & alter conscriptorum iudicum prouocatori restituerunt, acrius & pugnacius censendo. Quorum auctoritatem multi secuti, instantem ab ea parte offensionem verterunt in victoriam. Nam pro eo vt rectè atque ordine iudicatum pronuntiaretur, temeréque prouocatũ, adiecta statæ mulctæ clausula: rectè atque ordine ipsum prouocasse dictum est, iudicémque vnde erat prouocatum, nec iure, nec legibus iudicasse.

Infectam prouocationem facere, idque quóde prouocatum est.

In sententia qua reus absolutus est, id receptum esse cóceptis verbis aiebat, Siquid cæterum actor agere vellet, vt ius experiri ad eum iudicem posset, quẽ ad iudicem ea res pertineret, cum eóque homine quócum eo nomine experiendum esset. His verbis significatur, saluam actori actionem aduersus eum futurã, quem aduersus æquum erit. Plaut. Nunquid cæterũ vultis? Alibi, Nunquid cæterum? Verba sunt proficiscentis.

Secundum petitorem hactenus res iudicata: cætera is vnde petebatur, superior fuisse visus est.

Prouocationis meæ causa exeunte, acritérque vtrinque concertata, qui tũ consilii princeps erat, in tribunali (vt assolet) obeundo, réque in orbẽ consultanda, diutius immoratus: cúmque sententiæ euariarent, à profanorũ decuria ad initiatorum reuersus, singulos sedentium reuocauit: tãdémque collatis circulorum & veluti confusis sententiis, huiusmodi arestum ex tempore cõflatum est. Curia appellatorem, quatenus in assem intẽtionis aduersarii dãnatus erat cum impendiis litis, iure & meritó, cæterum perperã ac temere prouocasse pronuntiatum voluit, in dodrãtémque petitæ pecuniæ damnatum, in trientem absolutum, sumptibus litis vtrunque erga alterum pro portione mulctando.

Cum vtrinque ab eadem sententia prouocatum esse contigisset, non eodẽ tamen à capite sententiæ, aut non eodem nomine: idcircóque ancipites & bifrontes vtriusque causarum actiones fuissent & personæ geminæ litigãtium, id est διπρόσωποι: curia prouocationibus vnà rebúsque iudicatis inductis, vtrũque impendiis litium iudicio reciprocãte mulctauit. Quarum æstimatio impar, argumentosáque descriptio, ne cognitoribus causarum compendiũ, causarum dominis dispendium afferret, quodã æquitatis præiudicio ineundæ rationis vtrinque facto, æquiparãda censuit, vel exæquata potius: dispẽdio pragmaticorum in rem cedente litigatorum, qui alioqui rationum codicibus articulosé implendis quæstum faciunt vberem & copiosum, sed legitimũ, moribúsque receptum.

Tantum quidam hodie in foro iudiciali possunt, quantum olim AEdiles in foro vænalium.

Litigatorum par iniqua conditione compositum, alter natura controuersa ætatem in foro egit: alter ciuilis pacis alumnus, fori limen antè nunquam supergressus est, vt loci formidolosissimi.

Conditionem luculentam aduersario meo tuli: quam si accipere grauabatur, cur non mihi eandem, aut similem in causa pari vtriusque retulit, siquidem litium non amans fuit?

Re à me in iudicio vindicationis abiudicata, meũ ab auctore seruaui, quod mihi præter spem euenit.

Ad recuperatores in limine curiæ post omnia calumniarum perfugia damnatus, curiã appellauit. Tanti fuit homini malæ mentis, iudicati faciendi tẽpus eximere, negotiúmque exhibere aduersario, vt versuram graue ad extremum soluere litis extractæ, non nollet, animo suo obsequendo. Vulgo Com-

missarii ad barram vocantur, id est, Ad longurium porrectum, quod podii vicem præstat in vestibulis ædium.

Priuati tribunalis iudices, priuatam ditionem, priuatũ territoriũ habẽtes. Hoc est, Non regales.

Regii quidam iudices sunt, quorũ sententiæ protinus in curiã iudiciũ refor tiũtur. Sunt & regii imi tribunalis iudices, quorum sentẽtiæ præfecturis sunt obnoxiæ.

Sunt quædam causarum genera, quæ primum iudicium in curia sortiũtur, vt causæ Regaliorũ, & duodecimuiratuũ, & aliæ quædam sanctionibus regum iurisdictionibus prouincialibus excẽptæ, quæ prima eadémque vltima sortitione in curia disceptantur & finiuntur.

Moris est iudicialis, vt si quid ab actore vel dictum vel editũ sit, quod in rẽ esse defensoris videatur, id ipse defensor hactenus tantũ agnoscere se in indice & catalogo instrumenti sui dicat, quatenus cũ causa sua facit: cætero abnuere atque repudiare.

Homo petitione exclusus, cum curiã appellasset, maiorẽ fraudem veritus, id est prouocatoriam mulctam, inuitus ille quidem & fremens, sed tamen tandem fecit, vt sententia staret, & prouocationem victori renuntiaret.

Homo pacatæ vitæ infensus, lites & calumnias factitans, ætatem cum patrimonio in foro tandem conrriuit, ǽsque alienum multum sibi cum infamia conflauit.

De re iãdiu consopita, & quæ obliuione putabatur esse sepulta, negotiũ homini facessitur publici actoris nomine, sed mutuatitio & adumbrato, eorundem inimicorum coitione atque ambitu, qui vetusti criminis inuidiam rediuiuam conflauerunt ipsi & familiæ nihil minus cogitanti.

Indagine quadam criminum reos delatos circundare, eósque reatu diuturno inter custodias enecare, nocẽtes vnà nocẽtiúmque similes, regii cognitores impune moribus possunt, cũ ita eis visum est, cũ libuit, cum sua suarúmve necessitudinum interest, specimen edere muneris quidẽ publici, cæterũ priuatis studiis magnam partẽ seruientis & addicti. Rursus reis indagine cinctis quæstionis variæ ac multiplicis retia summittere, (vt venatores aiũt,) & verò irretitos iam & deprehensos explicare, vel comi atque ambitiosa cõniuentia, vel impudenti & sordida, cũ ostentandæ potestatis suæ materia est ampla publicis auctoribus, tum priuatam rem augendi occasio maxima in minuendo iure populi regióque. Quocirca homines malè sibi conscii, rerũ periti atque experiẽtes aduersus id malum publicè priuatímque noxium ac pestiferum, antidotum præsentissimum non ipsi præsumere, sed porrigere istis solent: actorésque alioqui truculentos, ac tragœdias publicæ charitatis ac feruidæ excitantes in iudiciis, propinando mulsi poculo domi demitigare, vt nõ mirũ sit quosdam è quinta classe hominum ad hoc munus obrepenteis, non multorum annorum interuallo, ad classicorum ordinem euasisse, primariorúmque censuum. Huiusmodi natio togatorum, iurisdictionis Franciæ habenas regere, vulgo existimatur, præsertim quantum est quod attinet ad iustitiam sanguinariam, vindicémque publicæ securitatis. Eorum autẽ coryphæi, ad quos

omnia vndique referuntur, in summæ iurisdictionis consiliis, specimen magistratus huius luculentius atque illustrius præbent vtroque versus vt è loco longè supremo, ita longissimè conspicuo. In vniuersum autẽ magistratus ipse variis sermonibus per ora populi primorúmque exagitatur, & traducitur, ac moribus eo fungentium, aut in cælum laudibus ac votis fertur (quod vt fortasse rarum, ita summè est æmulandum,) aut in tartarum maledictis deiicitur, dirísque execrationibus, sed non perinde formidolosis, omnia maleficia pretio precibúsque exæquantibus.

Causa longa tabe exanimata, id est, Præscriptione litis desertæ, ac longissimo tempore pro derelicto habitæ.

Veneno iudiciali causæ intereũt, quæ vel falsis auctoritatibus iudicatæ sunt, vel falsis testificationibus, vel quæ sordibus & ære prolato victæ sunt.

Ab stirpe auctoritas tituli requirenda, vel possessionis est. Id est, Probatio ab auctore primo repetenda. Similiter ab stirpe auctoritas testificationũ sciẽtiáque repetenda est, & percunctanda. vt in specie capitis, Si arbiter. de Probationibus, in Pandectis.

Cum in auctoritate literaria hæc sit causa constituta, harum autẽ quæ prolatæ sunt, nulla sit, aut futilis certe sit ac fluxa: exilis est spes eius & fiducia.

Saccularii iudicum pedissequi munusculis exorandi sunt, vt Sacculi domi in obliuione ne sint.

Saccularia professio fieri solet in cella actuaria, ab iis quibus inspectio litiũ attributa est. Et rursus, Accepti latio fit sacculorum, & rescriptio, cum sacculi ad officium referuntur, aut cum in alium consiliarium transcribuntur.

Singulis conscriptorum classibus in curia, sua exhedra ascripta est. Et singuli etiam consiliarii in certam suámque exhedram adoptantur, cum magistratum ineunt.

Auditorium maius in curia, est Camera prima, Auditorium minus, Tholus est quæstionum.

Iurisiurandi formula iudicum, qui in curiam codicillis adoptãtur, cæterorúmq; iudicum, qui in verba solennia adiguntur, in hanc fere sententiã con cepta est. Manu sublata adactus, oculis in numinis curialis simulachrũ inten tis, præeunte præsidente iurat, Iustæ munia impleturum boni ac probi iudicis & consiliarii regii, in iudicio diuites ac pauperes eodem loco numeróque habiturum: personarum delectum in iurisdictione nõ seruaturum: suũ vnicuique perinde tributurum. Libenter se facturum, vt sartam ac tectã sanctionum regiarũm auctoritatem tueatur, curiǽque dignitatem comiter conseruaturum atque honorifice in auctoritate curiæ se futurum, eíque dicto audientem futurum. In allegendis autem conscriptis, hoc additur, Decreta curiæ quæ celanda fuerint, arcanáque non proditurum.

Honoraria iudicum, & sportulæ iudiciatiæ, & velut corollaria inspectorum litis, Species vulgo dicuntur.

Moris est in curia litigantibus pluribus ex causis supplici libello Recuperatores exposcere, altercationúmque vestibulariarum disceptatores, qui vulgo Commissarii ad repagulũ, vel ad podium curiæ dicuntur. Hi liticulas formu-

lari ordine iuridicialiter aut inficialiter cõstitutas,& copiis suis instructas ad curiæ consessum referre solent, vt sic iudicatæ arestorum numero habeãtur, & rei semel iudicatæ vim obtineant, si tamen illico de causa liquere potest. Alioquin ampliantur aut ad inquirendum, aut ad vadimonia ab integro repetenda, si in iis quippiam peccatũ est: aut alteram ob causam, quales multæ esse possunt, ob quas alias atque alias iterum & tertium lites procrastinãtur.

Huius rei disceptatio huic & illi his verbis mandata est, Partibus audiendis operam danto. Hic & ille, ὁ δεῖνα, καὶ ὁ δεῖνα, Eorúmque disceptatores sunto quæ discrepabũt. tum controuersia constituta, qua de re agitur ad curiam referũto. Vulgo Audiant partes, dicunt.

Ecce autem in benignitate ciuilíque officio hoc reperi negotium. è Plauti loco sumptum. Vulgo dicunt, Pro benefacto in litem incidi.

Libellarii salutatores curiæ, aditus eius obsident, candidati audientiæ. quorum quidam è ferentariorum cohorte, gratiarum prærogatiuam præstipulari clanculum sibi solent, ex eóque in comitiis commendabiliores esse.

Curialis, & conscriptus siue cõsiliarius, summo officio præditus. Id est, Qui curialis functionis munus implet & scite & diligentissime.

Causæ quædam sunt in curia ordinariæ & curiales: quædam recuperatoriæ, horarúmque succisiuarum, aut dierum intercisorum, quorum matutina sessio muneris est necessarii, pomeridiana arbitrarii. Hæ causæ certi cuiusdã generis sunt: & vocantur, vt sunt, Sportulariæ, quoniã è legibus & moribus in consilio iudicantur arripetarum, quos in curiis iurisdictionis summæ, moris est quolibet consilio dimisso auream stipem accipere, honorarium laboris voluntarii, vel operæ aduentitiæ, quasíque corollarium statorum stipendiorũ. Ea iudicandi functio, quasi ager est quidã curialium, amœnus ille quidẽ, & compascuus, cæterum non latissime patens. Quare in eo vnà omnes minime pasci possunt. Sed vt quisq; à tesserario & diuisore, qui idẽ litis inspector est, ad cõuentum ascitus est, ita locum occupat in compascuo. In honorariis autem accipiendis, Præsides duplares esse solent.

Inter conscriptos, quidam munifices sunt, quidam operis faciũdi vacationem habent, id est, litibus inspiciẽdis & exponendis, vel nullam vel raram operam dantes. Quod genus vacationis non magno cõparatur, nec decus aut præmium est emeritorum.

Curia suos fastos habet à maioribus acceptos. Id est, Hemerologiũ, id est, album dierum curialiũ, & dierum nefastorum, qui præter festos ciuiles, festi sunt iudiciales: vt vice versa, quidã sunt festi officinariis, qui profesti sunt curialibus & palatinis. Dies autẽ curiæ nefasti, vt natales Caroli magni & Ludouici, fasti sunt causis recuperatoriis, duntaxat Sportulariis. Horæ etiã matutinæ pridie festos dies, qui vigiliares dicũtur, curiales sunt & munifices: pomeridianæ, immunes & feriatæ: nec tamen non fastæ, & verò destinatæ causis stipendiariis, siue eas vocare AErarias volumus. Comitiales causæ sunt, & Consulta decretáque comitialia, quæ in conuentu omnium decuriarum iudicantur aut fiũt. Est autem curiæ Comitium in auditorio laqueati tecti & inaurati, in quo omnium decuriatũ aresta exaudibili voce partim pronũtiari

memoriter statis diebus solent à quatuor primis curiæ, partim ab actuario è codice recitari.

Diligens & multus in litibus inspiciendis & exponendis, commentariorũ iudicialium assiduè conficiens, Qui breuiaria litium solerter & expeditè cõscribit, Qui elegantes & dilucidos controuersiarum aut quæstionum commentarios conficere didicit, Qui litium argumenta summatim colligere, solertérque didicit, atque è commentario exponere enucleate & summa fide, cum ad res iudicandas ventum est.

In iusto interdicto retinendæ possessionis, moris est vtrinq; themata ad rẽ pertinentia articulose enumerare, vltro citróque opposita per diametrum: Quod Intendere scripto vocant. Id est, Intentiones scribere per facta cõtraria. Scriptiones autem ipsæ geminam vtrinque habent intentionem, & scopum duplicem. Pertinet enim eorum formula & ad vindiciarum præiudiciũ, & ad summam causæ possessoriæ. Finem recredantiæ & principalem lingua Forensis vocat. Est enim causæ constitutio à iudice in eam sentẽtiam, atque etiam in ea verba concepta, vnde scribendi rescribẽdíque vices, aliæ interim atque aliæ pro causarum ratione existunt. Plerunque autem euenit, vt prima causæ velitatio, vel actus litis primus, ad sequestris possessionem redeat, quã Regiam manum vocant. Secundus autem cõflictus, qui iam præiudicii multum habet, eò ferè euadit, vt vindiciis tẽporariis secundũ alterum iudicãdis, res abeat à sequestre, & ab alterutro litigantium fiducia possideatur, quoad iusta possessio sentẽtia litis decretoria adiudicetur ei, cuius causa possidendi superior esse videatur. Fiduciaria autẽ possessio prædibus dandis obnoxia est, nisi curiæ aresto, aut alterius consilii iudicata sit, à quo prouocatio legibus sublata est. Tum demum enim sua fide possidere eum moris est, etiam si obnoxiè possidet & publice. Sæpe autem euenit, vt alteruter litigãtium, qui in præiudicio vindiciarum superiorem causam habuit, & interim possedit, in iustæ possessionis certamine inferior esse comperiatur. In qua offensionis specie, illa accedit calamitas, quòd iudicium in præteritũ quoque valet, & in fructũ fiduciariæ possessionis: atque eo amplius, in id quod videbitur interfuisse victoris, possessionem eius tantisper non interpellatam fuisse. Sed sic sunt spes hominum, cum in vniuersum fallaces sæpenumero & decoctrices, tum verò exaudita hominum vota in re iudiciali, nonnunquam ita cedunt præpostere, vt quæ prius plaudenda visa sunt, & gratulatione amicorum excipiẽda, pœnitenda deinde pudendáque, & abnuenda videantur.

Damnatus vindiciarum is est, à quo interim vindiciæ abiudicatæ sunt.

Exhausta controuersia iustæ possessionis, plenique iuris possidendi. Id est, Finita lis pleni possessorii.

Qui controuersam rei possessionem fecit apud recuperatores palatinos iure codicillari, & possessionẽ abstulit iudicio recuperatorio, potest in iudiciũ titularium trahi apud prouinciæ præsidem, cuius ea est cognitio. Sed non antè eo iudicio contendere ac dimicare cogendus est, quàm is qui possessorio victus est, iudicatum planè fecit. Nec victus antè de domino rei mãcipióque ius experiri potest, quàm rei iudicatæ omnem accessionem exhausit.

Qui sacerdotio triennium non sine titulo, vel quolibet, modo non inani, potitus est nullo interpellante, ita certam iam possessionem habet, vt omnẽ eius cõtrouersiam summouere temporis præscriptione possit, seu possessio, seu mancipium sacerdotii in discrimen vocetur, si tamen mancipio iusto da ri tenerique sacerdotia possunt.

In iudicio possessionis atque vindiciarũ etsi vterque intendentis depellentísque partibus fungitur, tamẽ vindex is esse censetur, qui vindiciarũ iudiciũ lacessiuit. Vindiciarũ autem reus & depulsor, is qui lacessitus est, etiam si vicissim vindicat, vindiciásque refert intendenti. Themata etiã thematibus actoris exæquata rescribit. in formula intentionis paria cum lacessente facit, in nulla deniq; iudicii parte cedit actoris iure partibúsque, par pari referẽdo.

Clausula intentionis conceptis verbis edita in scriptione, vel in syngrapha à partibus cõflata, vulgo Cõclusio petitoris dicitur. Sicut depulsionis formula ab eo vnde petitur in absolutionis summam concipi solet, cum sumptuũ litis additamento.

Profligata litis disceptatio, & causæ concertandæ curriculũ peractũ, & copiæ in numerato prolatæ, cũ clausulari syngrapha vna aut altera in sacculũ coniecta, iísque de rebus testato certior aduersarius semel atque iterũ factus, denique iusta instruendæ litis absoluta, manent iudicis vltimum officium, aleámque causæ decretoriam.

Conscripti curiæ ideo consiliarii vocitari cœperunt, quòd regibus ius dicẽtibus, & magnis de rebus consilium agitãtibus assidebant cum duodecim primis Franciæ. Quare & arestorum curiæ auctoritates perscriptæ in verba regia concipiuntur. Ex consiliariorum autem huiusmodi regiorum conuentu cẽtenario curia tandẽ statαria cõflata fuit, qui Cẽtumuiri curiales dici possunt. De quibus in Annotationibus in Pandectas pauca scripsimus. Aresta autẽ curiæ, vt sermone vernaculo pronuntiantur, significare videntur sentẽtias semel prolatas, & lites dirimentes vltima cognitione. Quod nomen, si id est etius etymon, huius temporis recentiorúmque ætatum aresta iure nõ optimo retinẽt: siue in eo culpa est, quòd non satis planiloquè eorum sunt interdũ formulæ conceptæ, & alterius indigent aresti, quasi verborũ interpretis atque sentẽtiarum: siue ea est culpa alumnorum fori hominum, nodum in scirpo inuenientium, vel comminiscentium: siue ita ferunt vitæ mores controuersæ, ad discordiam in dies magis magísque incumbẽtis, forensi hominum nationi mire stipendiariam.

Tinnule censere & differere in rebus iudicandis, vel aliter disceptandis, est quod Pindarizare vernaculo verbo dicunt. Hoc est, Voce vibranti atque exau dibili plausum ab audientibus captare, leges ac iura fundẽdo, iurísque interpretum multiplicem nomenclaturam. Quod genus multi elegantium titiuil litio non æstimant, vt vtar verbo Plautino.

Sinuosa controuersia, argumẽtique longa ambage exponendi non cuiuſ uis est litium inspectoris & renuntiatoris.

Qui suo marte laborare causam suam sentiũt, libẽter ferè faciunt vt cogni toris regii subscriptionẽ implorent, & quasi copias auxiliareis & suppetias a-

scifcant partibus fuapte vi infirmis. Sed refert quàm quifque quoque in foro gratiofus fit,& quē contra publici nominis patrociniū vtendum roget,quod ftudiis quoque priuatis feruire folitum eft,vt nunc ius habemus conftitutū.

In caufis difceptationis non expeditæ ac iuris ambigui, curiæ auctoritates in eadē fpecie vel fimili ciere cū die ac confule, plerūque decretoriū litis eft.

Controuerfiarum nundinatione aduocatis & pragmaticis iure ac moribus interdictum eft,in quibus quidem ipfi controuerfiis operam nauauerunt litigantibus.

Molefta ratio otii perfruendi,atque homine docto indigna, litigiofa vitæ inftitutio,cui quidem procul inde abeffe licitum fit.

Suæ fponti fententia iudicis redditus eft is,qui fraude aduerfarii in captionem & nexum inciderat,quod venia diplomatis factum eft fuppliciter impetrati. Hoc eft,Syngrapha nexus antiquata eft,qua is obftructus erat.

Caufa labans,opportune fuftentata eft fubfidiis impetrationis diplomaticæ,vel adminiculo impetratiuo.

Oblatiua Pontificis maximi beneficia vel diplomata , dici poffunt,ea quæ Proprio motu collata vocantur,quæ diftinguuntur ab impetratiuis. Sicut olim Auguria impetratiua dicebantur,quæ optata obueniebant:Oblatiua,quæ vltro offerebantur è cælo,vt auctor eft Seruius.

Rufticanæ iurifdictiones,& Rufticana tentoria,vulgo Campeftria loca dicuntur,in quibus non eft copia caufidicorum .

Ancipiti adhuc Marte forenfi inter nos certatum eft,victoriáque alternante caufarum. Hoc eft,Si vna caufa offendimus,in alia vicimus.

Cum multis mihi res eft in foro fociis eiufdem litis. Sed ab vno tātum mihi metuendum eft fignifero controuerfiæ , & cuius aufpiciis fumma caufæ regitur.

Qui vel errore ducti,vel inconfulta fcriptione, vel editione, vel enuntiatione temeraria de gradu exciderunt proceffus iudicialis,codicillorum principalium adminiculo in gradum reponuntur.

Caufa eo die quanquam ab homine diferto imprimis,& exercitatifsimo,tamen ingenti frigore acta.

Caufa nobilis & fummæ expectationis, inepta & ieiuna actione caufidici in magnum frigus incidit.

Prouocatoris caufa fcite & commode acta,expectationem confeffus coronæque erexerat,non fine plaufu excepta. Verum defenforis acre & vehemens patrocinium,fiduciam prouocationis,iudiciíque futuri expectationem magnopere refrigerauit,quæ comperendinatorium exitum eo die habuit.

Caufidicus ea actione mire theatrum commouit,fanè fplēdida & vehemēti,& in qua nihil defiderares.

Aduocatus parum explicatus in caufa aliquantum perplexa,fatagere magis quàm agere vifus eft.

Solertis eft præfidis,obfcuris(vt euenit) caufarum actionibus,lumē quoddam admouere interfatiunculis & percunctationibus. Interdū etiam labātes actiones in tyrocinio togatorū alleuare molli(vt dicitur)& īdulgēti brachio.

Causarum quidam actores, aut natura acerbiore præditi, aut gloriæ cupiditate acti, aut causæ supramodum auctorati, litẽ suam faciunt, clienti sese venditãtes. Id quod sæpiusculè euenit in iis causis, in quibus mores aduersarii in cessendi sunt, aut existimatio sugillãda. Quare prudẽtes aduocati, & citra præuaricationem cauti, præmunire acerbam suapte ratione dictionẽ, veniæ exposcendæ præfatione solent, vt necessitate sibi expressam fidei causæ præstandæ potius, quàm gratiæ ab homine ineundæ.

Litem argumento claram, actione caliginosa cæcare, Causam rectã & expeditam, expositionis ambage lõgius latiùsque repetita, sinuosam reddere, aduocati est oratoris potius, quàm viri boni, & (quod vulgo dicitur) materiã dissimulare volentis, hoc est, transformare calumniosa metamorphosi.

Actio causæ, aut iucũda & suauis, & plausibilis tribunali, subselliis, & curiæ podio fuisse dici potest: aut contra molesta, & putida, & explodenda visa est.

Mauors curialis atque inermis, non minus priuatim magna vertere videri potest, etymũmque retinere suũ, pauperiẽ in patrimoniis faciendo, quàm ille campestris & agmine armatorum succinctus, qui clades stragésque in gẽteis edere solet publicè calamitosas.

Homo litium amãtissimus, multis curiæ arestis perculsus, pœnalibus iudiciis confossus, crebris prouocationum mulctis confectus, tamen nondum salutem dicere foro iudiciali potuit.

Causa quibusdam interlocutionibus saucia, vno & altero præiudicio affecta & profligata, vltimum fatum manet.

Homo diuturno certamine ancipitíque conflictatus, forẽsi pistrino diu ac permolestè versato, ad extremum iam exanguis, victoria clarissima potitus, è manubiis forensibus lacunam rei familiaris propemodum expleuit. Abstulit enim præter litis summam, omnes rei salutæ accessiones, cum interusurio diuturnæ controuersiæ, nũncque opimis spoliis insignis & visendus, oculos omnium circumagit, spatia basilicæ perambulando.

Callidus cautor atq; formularius, versutus & solers pragmaticus, vsu & disciplina fori pollens, institutorũ forensium peritissimus, iuris formularii cõsultissimus. Bonus practicus vulgo dicitur, Ludi forẽsis magisterio præditus.

Aduocatus antistes oraculi basilicani. Id est, Eorum princeps, qui ad res cõsultandas expetuntur.

De litis auspicandæ ratione, euentúque cõtrouersiæ instituẽdæ aut iam institutæ, consulti frequenti cõsilio aruspices basilicani, rem tentandam censébant, fortunámque periclitãdam, omnia secunda promittentes, bonáque spe esse iubentes.

Ab oraculo iurisprudentiæ, reíque forensis peritiæ, omnia læta portendebãtur, res non somniculosè, non inerter agitata est, sed tamẽ euentus nõ modo tantæ fiduciæ non respondit, sed etiam in contrariam partẽ per diametrum cessit. Ita, quod apud aduocatos auspicium ratum, apud iudices vitiũ esse visum est. Refert igitur, non quid iurisconsulti homines, assidui cõsultores de causis existiment, sed quid ii potius censeant quos penes causarum est iudicium. Præstátque longè trium iudicantium puncta ferre, quàm septem de

iure respondentium.

Homo litium alumnus, aliquando fulmine ictus arresti vnius calamitosissimi, iam inde vt vehementer attonitus, foro excessit.

Hominis litigiosissimi patrimonium lautum & compositum, sensim in foro delicuit.

Litis instrumentum literarum, auctoritatum, testificationum prolatione cumulatum, in indiceque recte atque ordine descriptum, curriculo litis percurso, cum syngrapha clausularia apud acta deponendũ est. Túmque demũ perurgendus aduersarius, ne liti iudicandæ moram faciat, detrectanda instrumenti sui prolatione.

Inchoata controuersia, ac iam aliquantum formulari curriculo prouecta, repente de spatio deflexit in aliud aliudque diuerticulũ liticularum è re summa natarum. Aquáque (vt dicitur) principis controuersiæ hæsit obiter in obicibus, Incidentes & emergentes quæstiones appellantur.

Controuersia constitutam & legitimam experiundi iuris, vt in eo genere, formam ceperat. Vulgo dicũt, Processus formam suam ceperat. Hoc est, Lis certa & solenni, suique generis formula instituta, aliquãtum erat progressa.

Cum velut velis passis controuersia, inoffensoque ordine actorũ ferri cœpisset, ecce tibi remora nec opinata cõsistere eam coegit. Nam quasi vento destituente vela forẽsis cursus reflaccuissent, repente processus inhibitus est. Vel sic, Cum vento forensi obsecundante pronio cursu controuersia ferri, ad mediósque actus pulchrè promoueri cœpta esset, non modo eã flatus destituit, sed retro etiam egit.

Præfectus prouinciæ vt maior magistratus minori iuridico prouinciæ, qui Præpositus dicitur, imperiũ inhibere potest, nõ vice versa minor maiori. Liu. lib. 7. de bello Maced. Qu. Fabium prætorem flaminẽ Quirinalem, ne in Siciliam proficisceretur, P. Licinius Põtifex maximus tenuit. Et in Senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum est. & imperia inhibita vltro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati, prouocatum ad populũ est. Religio ad postremũ vicit, vt dicto audiens esset flamen pontifici, & mulctæ ex iussu populi remissæ. Idem lib. 3. ab Vrb. cõd. de Decemuiris loquẽs, Tentationem eam fore abolendi sibi magistratus, ni consensu resisterent, imperióque inhibẽdo acriter in paucos præferocis animi, conatus aliorũ cõprimerent. Et rursus in eodem, Decemuiri turbati, alius in aliam partẽ castrorum, ad sedandos motus discurrit: & leniter agentibus, respõsum non redditur. imperium siquis inhiberet, & viros & armatos esse se respõdetur. Id est, Siquis exercere in eos vim imperii tẽtaret. Plaut. in Bacchid. Hóccine hic pacto oportet inhibere imperiũ magister, si ipsus primus vapulet? Et in Sticho, Vtrum fontali, an Libero inhibere te imperium mauis? Id est, Vtrũ præesse aquæ, an vino ministrando: hoc est, imperitare aquam ministrãtibus. Inhibere imperium ex eo dictum videtur, quòd vt is qui vel telum vel remũ inhibet, manum suspensam & telum erectum tenet: sic qui imperiũ inhibet, minantis habitũ cõpositus est, & telũ strictum tenentis. quasi, ἐπανατεινόμενος τὴν ῥάβδον. Vt sit inhibere imperium, ἐπανατείνασθαι τὸ κράτος τῆς ἀρχῆς. Sic Cicero

Philip.13.vsus esse videtur,his verbis,Ita sibi conuenisse cum Dolobella, vti ille Trebonium,& si posset,Casſium & Brutũ discruciatos necaret, eadémque inhiberet supplicia nobis.Id est,Intenderet & minaretur. Nisi Inhibere pro Adhibere accipiendum putemus.Quid autem sit Inhibere remos,& Nauem inhibere retrò,nos in Commentationibus Græcis diximus,in mentione verbi χρώω.Cæterum duo magistratus interdũ ob iurisdictionis fines controuersos,aut aliam ob causam, de iurisdictione certantes,inter se inhibendis imperiis, & mulctarum irrogationibus velitantur,& curia appellatur ob mulctas dictas vtrinque,aut ab altero. Dici etiam potest,Iudex in contumacem,aut dicto non audientem,imperii sui vim distrinxit,quantam maximã legibus aut moribus potuit. Et Mulctæ irrogationem distrinxit.Non modo mulctam dixit imperio non parenti,sed etiam comprehensionem corporis inhibuit.Et iudex pontificius spiritalis censuræ imperiũ inhibuit, Cẽsuræ pontificiæ imperium inhibuit.

Sanciri etiam legũ promulgationes solent verbis regiis & edictis, inhibendis imperiis pecuniariis & capitalibus. Et Sanciri auctoritas curiæ mulctis dicendis centenariis aureis & argenteis,& minacibus aliis imperiis inhibẽdis.

Necessarii & propinqui inter se sæpe disſident non animis, sed ob res controuersas,& in medio positas.

Nõ diffidere inter se litẽ & amicitiã difficile est,etiã si simultas suppressa est.

Curiæ sententia ambigentes de re iudicio non disceptanda,eo nomine facessere è curia iusſi sunt,litémque dirimere pro derelicto habẽdam. hoc est, Eiusce rei ergô foro & litigio abstinere iusſi sunt, & curia procul esse , vel è curia excedere.

Inuito mihi & gementi contingit diu ad cãcellos fori adhærescere & oberrare. vel,Intra septa curiæ negotium habere,In nexu litigiorum vitam agere,Molam versare inter competitores audientiæ.

In iure iniuria affici,& E' iure iniuriã nasci,genus est atrocis iniuriæ. In iure cum dicebant,apud prætorem significabant,vt alibi diximus.

Litium incendium oblatum ab inimicis,& conflatum,paulatim extinguere,prudentis est hominis,vel opprimere potius prima quaque occasione.

Iuri ac foro iudiciali familiaritatem renũtiare necesſitudinémque statuat homo mentis non obnoxiæ:quæ necesſitudo necesſitate homines astringit digna indignáque summusſim patiẽdi,idq; ab iis(si diuis placet)qui vnicuique suũ tribuere se profitentur,cum interim ex aliena sementi messem non inuiti faciant.imò verò qui ex hominũ calamitate auctiorem suam areã ocu lis non ægris videant,inter quos iustitium sæpe iustitia vocatur. Quod non huius aut illius hominis,sed vitæ vitiũ est,ad ciuilitatem quidem natæ & institutæ,& tamẽ(ô mores)eo vergẽtis,vel incũbẽtis potius omni studio quod dissoluere natum est,ciuilẽ animorum germanámque societatem, quæ vinculum est ipsa ciuitatũ,firmúmque retinaculũ.Valeat igitur forũ istud,quod muricibus stratũ præacutis,non marmore complanatum oportuit, vt Cato quondã dixit.Valeat discordiæ ciuilis domiciliũ,inimicorum hominũ contubernium,damni cõciliabulum, nundinæ simultatum, angorũ seminariũ,

homini quidem certè euthymiæ studioso.

Homo animi causa lites ducẽs, ratione & calculũ ponere cũ foro supersedeat, quod nunquã pares paginas facit acceptorũ & expensorũ. Multũ enim sortem minuunt intertrimenta, quæ in rationẽ non cedunt litis accessionũ.

Iurisperitorum iuuenum qui in curia sacramento dixerunt, & nomen in militiam inter tyrones dederũt, pauci ad tyrocinium faciendum prodeunt. Eorum autem qui ad septum curiæ se applicantes, rationes vitæ ad quæstum honorarium conferre instituerunt, partim ad causas actitandas vehementius incumbunt, partim scriptiones tantum factitant. Alii frequentius dant operam consultoribus, de iure responsitantes. Quãquam aduocati professio tria hæc officia complectitur: & sunt qui præstare, cum opus est, non grauantur: sed scriptum ægre faciunt, qui aliis partibus inclaruerunt.

Acta & conuenta controuersiæ. Vulgo Appunctamenta vocantur.

Pungere scripto & repũgere inter se aduersarii solent. Id est, Aculeatas scriptiones edere.

Lites longo eremodicio contritæ, & obliuione temporis longissimi sepultæ, diplomate exuscitari non nisi solennibus ex causis debent.

Causam iandiu iacentẽ excitare. Hoc est, Interpolare vetustã controuersiã.

Literarum auctoritas vltro citróque colliditur, ac in summa argumentorũ vtrinque labefactatur.

Causa certa, & æquis iniquis iudicibus perinde probabilis.

In hac causa quæ testificationibus statura est, testium fides in refutationes vehementes incurrit & probabiles.

Eius causæ cardo & firmamentum in magnam difficultatem probationũ incursurum est.

Quod vulgo Curiam regulasse partes dicũt, Latinè sic enuntiari potest, Curia partiũ disceptationibus altercationibúsque auditis, hac ratione inter eas constituit, vt vtrisque, aut quibusque, si plurium sit partium concertatio, suæ partes, agendi aut excipiendi, aut aliter in causam incũbendi, constaturæ sint. Vel, Vt vnusquisque eorum qui in iudicium prodeuntes partem faciunt, suã certámque personam sustineat. Id est, Suis partibus iuris expetiũdi fungatur. Sicque certo ordine causa procedat, descriptísque partibus petitorũ aut defensorum. Vel sic, Curia interloquendo omnes qui in causam descenderint ad causæ vlterius disceptandæ, litísque exercendæ curriculum, quenque suo numero locóque reposuit.

Moris est curiæ, eas causas, quæ apertis foribus agũtur, è superiore loco audire & disceptare. Quæ autem occlusis foribus agũtur, quod fit interdum aut argumentorum ergò, aut personarum, è subselliis & æquo loco.

Conuenticula hominum quæ sine legibus, sine iudiciis, sine iure sunt, diuturna esse nequeunt. Id est, In quibus iustitiæ nomen non exercetur.

Causæ fiduciam testimoniis nitentem, scriptarum auctoritatum fides vetusta & consignata, & eleuatione maior, magnopere labefactabit.

Aduersarius infirmitatis sui iuris cõscius, omnem causæ fiduciam, in iudicibus obsequiò cõplectendis, in ambitu, in allegandis amicis atque necessariis,

in magistratus sui atque auctoritatis patrocinio collocauit.

Non iuris fiducia, non æquitate, non bona fide niti, sed contentione forensi, sed ambitu, sed coitione iudiciali, sed aucupanda quouis pacto gratia, ad victoriam grassari.

Vt communis Mars esse dicitur in armorum certamine, ita in iudiciali cōmunis alea iudiciorum à nōnullis esse censetur. Quam causam excusare probabiliter solent consulti consultoribus, cum euentus iudiciorum prædictionibus eorum planè non respondere mirantur.

Quidam in iudicio iure suo, & tanquam suo Marte vincunt. quidam suo Marte atque auxiliari. Nonnulli, suo nō perinde atque auxiliari. Vt ii, qui disceptatoribus iisdem atque consiliariis vtuntur. Cuiusmodi sunt homines in iure gratiosi, & comitate præditi prolixa & benigna.

Propitiis numinibus iudiciorum & præsentibus vti, mire ad victoriam facit: sin minus ad victoriam, certè ad vitādam luculentam offensionem. Vrgere etiam occasionem rei bene gerendæ, litigatoris est prouidentis: & tum in consilium iudices mittere, cum auxiliares adsunt, aut beneficiarii & euocati, & nomina eorum scripta in albo coacti consilii: aut cum ii desiderātur, quorum seueritas metuitur, aut voluntas diuersæ parti iam auctorata.

Ancipiti certamine dirempta est disceptatio, & calculi iudicum adæquaue runt. Ex quo res infecta ad colophonem rediit. Vel, Ita res iudicanda catastrophen colophoniam habuit, cuius anxia & sollicita expectatio, litigātium contentionem, ambiendique necessitatem redintegrauit. Litem partitam vocant.

Cadmeæ victoriæ & pœnitendæ, vt in sole nonnunquam & puluere dimicantibus, ita in vmbratili quoque pugna contingunt, cum ratio expēnsorum prægrauat, aut æquiparat rem iudicatam, non minúsque tabulis rationū domesticarum decessit litigando, quàm vincendo accessit. Et vt quosdam pœnitet non incruēto Marte discessisse superiores è campo, ita non neminem piguit aliquando, interdúmque puduit, victorem è foro discedere, loculis nō inexhaustis.

Paucis constat ratio litis perductæ ad victoriam, propter vsus malignitatē in æstimandis sumptibus.

Nonnullarum controuersiarum tanta est restibilitas, vt vno & altero aresto, & pluribus, quarundam exhauriri non possit litigii semen in basilicæ solum iactum, litium fœcundissimum. Vt mittam diligentiam & peritiam solum ipsum exercentium.

Obductam causæ iudicatæ cicatricem refricare, cuiusuis est aduocati. Id est, Litem è lite serere, quæ huiusmodi aresto curiæ finita est, vt non litis vlcus persanare, sed veluti crusta obducere perfunctoria aut luculenta cicatrice voluisse videatur.

Controuersiam vna & altera altercatione libatam deserere. hoc faciunt ii, qui post vnum aut alterum litis actum aut conuentum ablatū, repente conticescunt, contenti rem in iudicium deduxisse.

Iudex experiens litiū disceptator, promptæque iurisdictionis, aut expeditæ

interlocutionis & rei consentaneæ. Vulgo, In practica certus dicitur.

Lis nata cum homine sui iuris statim ab incunabulis suis, in minorem incurrens, orbata defensore est, antequam minor ad annos tutelæ suæ peruenit, aut curatorem sibi vel causæ suæ accepit. Alioqui petitoris aut defensoris iustam personam minor habere non potest.

Lis cũ vidua cœpta, quæ viro postea nupsit, intermortua esse cẽsetur, quoad vir in iudicium eo nomine vocatus, litis se vindicem obtulerit cum vxore. Nupta enim mulier, statim tutelæ suæ esse desiit, nisi marito defensionẽ vxoris aut actionem repudiante, vxor ipsa veniam iudicialis personæ, ac legitimæ litigatricis impetrauerit.

Lis redinina est, quæ diplomatis venia post eremodicium interpolatur. Irrediuiuæ autem lites sunt, quæ longissimi temporis eremodicio contracto iam interpolari nequeunt.

Causa exanimis iam, aut exanguis. Hoc est, Omni præsidio iuris defecta, & penè conclamata.

Lites quædam sumptuosæ, victoriæ suæ fructum deuorant, sed compendii loco habetur plerunque, magno exiguæ rei sententiam abstulisse ad maiora pertinentem, aut præiudicio futuram in posterum.

Litium seges seminis interdum plus poscit, quàm messis reddituru sit. Sed vt sunt mores huius temporis, & vt est vitæ ciuilis ratio constituta, non modo animo suo obsequi, aliquid esse putatur, sed etiam tanti est magno parta victoria, qua censui & patrimonio in posterum securitas aut præsidium paretur. Moribus enim iniquis comparatum est, vt qui de iure suo decedendo dulcedine tranquillitatis, cespitem suum affodi aut adarari contermino fundo contemptim videre sustineat, versuram tandem ille fœneratitiæ pacis velut inertis animi æquitatis, soluturũ se, sed serius quàm oportuit, animaduertat: si tamen in vicinum inciderit paulo ad rẽ auidiorem, quæ non minima pars est hominũ, tot iudiciis constitutis, tot legibus, tot iuris interpretibus, id est, tam vberi, tam redundante litium calumniarúmque materie & argumẽto. Sic fit autem, vt qui lites auspicantur, quod sibi serere sperant, cum messis optata redit, non sibi solis metere se, sed consultorum hominum ordini, inferiorí que intelligat.

Qui rebus controuersis impendia fœnerari sese sperant, lites diuturnas & sumptuosas exagitando, nomina se facere non sentiunt, primum tarda, deinde ancipitia, postremo inania fortasse, aut pœnitenda futura. Vt mittam dubii Martis aleam, quæ interim miseros ad tabem perducit litigatores, cũ eorum fastidio qui patronorum obseruantia colẽdi sunt, in quorum manibus sæpenumero summa spes litigantium sita est. Sed quid agas, cum aut manus dandæ sunt improbo & insultanti aduersario, aut pistrinum ineundum, sed paulo liberalius?

In puncto occasionis interdum, interdum in copiarum particula non insigni, iudicii causæ cardo, secundi vel aduersi vertitur. Vsque adeò alearis est etiam id genus dimicatio.

Morari iudices iam in consilium euntes rei controuersæ decretoriũ, libelli

oblatione cum diplomate.

Qui antehac successum causæ vrgebat, & iudicium, repente quasi panicis (quod aiunt) absterritus, cessim ire cōtendit: siue est loco & gradu pulsus cōtrà quàm expectabat: siue arcana causæ subodorari cœpit, & rumoris omen veretur.

Agitari cœpta quæstio, ad noua capita sensim delapsura est, ad grauioráque admissa euasura, nisi extincta deprecatione amicorum, aut oppressa citò fuerit.

Receptitia actione, vel iure receptitio cum aliquo experiri. Hoc est, In ius vocare ob fidem non præstitam, vel ob id faciendum aut curādum quod facturum se recepit aut curaturum. Recipere enim, est Nominatim cauere aut promittere. Est etiam Receptitia actio, quæ vulgo Salua & reseruata dicitur.

Subsidia diplomatica ad causas iam laborantes parare, ad vltimum exemplum descendere supplicantium. Id est, Veniam æris alieni poscere quinquēnio non soluendi. ad nouissimum subsidium descendere egentium & addictorum. Id est, Ad cessionem pignorum.

Siderata repente causa dici potest, quæ aliquo præiudicio grandi pro conclamata haberi cœpta est.

In quibusdā iudiciis Pseudodica pro Iustitia colitur. In cuius comitatu lingua causidicorum prostibulæ, & cognitorum manus aduncæ, vtræque iuris adulteratrices, dedecus sunt & inuidia fori.

Captare aduersarii absentiam momentariam, aut rei gerendæ difficultatē.

Angeronæ numen in curia non satis sanctè colitur (vt fama est) tametsi in legem Areopagiticam tyrocinii sacramento sigillatim sit adacta. Sed nullo epistomio religionis os Aii locutii satis cōprimi & obsignari potest. Id quod claris exemplis mea memoria compertum est.

Aduocationis triumuiralis nomē multis insontibus formidolosum, à quibusdam religiose in reatu colitur rerum capitalium, vt numine præditum alexicaco, & verò veniarum principalium nō modo interpreti benignissimo cum visum est, sed etiam vicem implente, si impetrari responsa commoda ab oraculis gratiarum nequeant.

Exhodium condictum ad repagulum curiæ. Vulgo Assignatio ad barram appellatur curia surgente.

Thiasus hilaritatis, & Thiasotæ hilarium, Sodales sunt togati è numero basilicanorum, causidici & curiales, eo nomine & aliqui nobiles.

Traductio crimine damnatorum supplex & tædifera, & tanquam stigmatica, genus pœnæ iam frequens.

Iusta ambitus supplicis implere, cum facculi litium instructarum ad pluteū allati sunt, & classici iudices in consilium mittendi sunt, litigatorum est sollicitorum animíque pendentium. Tum autem præcipue pragmatici, aliíque arcanorum curiæ expiscatores, operam suam industriámque venditant. Tūc allegandi deprecatores, atque internuntii, gratiæ aucupatores. Tunc denique omnis lapis mouendus accuratæ & strenuæ vēditationis sui suorúmque, qua fieri causa possit commendatior.

Transcendẽdo media, summos imis honores, vel ordinũ gradus cõtinuare, est id ferè quod aiunt, Per saltus promoueri vel prouehi.

Proficisci ad res primũ quærendas iussi curiæ apparitores, optiones sibi nõ sumunt, vt maiore fide præditi, quàm vt cooptare subscriptorem debeant.

Codicillis curiæ porrectis, curia ita subscribendum decreuit, Qua de re ageretur in ipsis codicillis, quatenus ad se pertineret, hactenus auctorem fuisse futurámque curiam. Cætera ad eos referendum, quorum cognitionis res atque inspectionis esset. Id est, Ad rationum regiarum præfectos, aut vectigalium summos iudices.

Extitit ea de re huiusmodi placitum curiæ, qua de re ageretur, verba cum existimatoribus eius generis facienda. Vel, Eam ad rem arbitrãdam existimatores huiusmodi rerum callentes adhibendos esse, ab eísque percunctandum quanti ea res esset, aut quem in modum cõstituenda, curiæque renuntiãdũ.

Architectus exercendæ controuersiæ & litis comparãdæ ad iudicium, is est qui Processum ordinasse dicitur. Architectari litis iudicandæ rationem, inspector litis dici potest, qui commentarium confecit.

Iudicis vel non sui vel iniqui præscriptio, iustitium causæ facit, vel causæ iudicatum inhibet. Eius autem iudicis qui prouocationi non cessit, ea de re præscribentis, iudicium nullum est.

In tricipitis aduocationis magistratu, ita trium est collegium, vt consilium sit vniuersorum, & penes vnum sint fasces honoris, cuius etiã sunt vnius auspicia. Quippe omnia acta collegii, omnia decreta & postulata, nomen eius præferunt. Ex quo fit vt eorum benefacta, & quæ ab ipsis in Remp. & principis consulta, transacta, postulata sunt, illi vni accepta referri hominum opinione solita sint, cuius nomine personato in acta referuntur. Quod idem in alteram partem, in iis quæ secus admissa aut tentata, fallere nequeunt homines trans vultuũ tectoria, & per inanes rerum colores perspicientes. Hoc autem magistratu fungẽtes, simultates sub eius persona exercere, aut amicitiæ officia necessitudinísque pro potestate vsurpare, & quasi pro imperio, hominum est magistratuum ius decorúmque ignorãtium. Quod vtinam tres sensus & mentes ingenio, doctrina, moribus interdum longe dissimiles, in Geryonem coire nefas esse aut indecorum certè ducerent, vt priuato singulorum studio vniuersi asseruirent.

Causæ iã expositæ & disceptari cœptæ iudicatus in remoram incurrit: quæ quũ præsentis explicationis non esset, ampliari rẽ oportuit pluriũ opinione.

Causa enarrata, & instrumento litis vtrinque recognito, satis liquere de causa visum est, nec de testium fide eleuata aut reprehensa inquirẽdum. Vel sic. Et quanquam testes refutati sunt, ea res tamen iudicationi moram nullã afferre visa est.

Ad instrumẽti autem sui cumulum reus, quod ab actore prolatum est, addere se testatus est & agnoscere, duntaxat quatenus in rem suam cessurum est, vel è re sua futurum est, vel ad causam suam facere videbitur. Cætera se abnuere & reiicienda ducere, vt absurde exprompta & rei quæ agitur minime consentanea. Verba sunt fere litis instructæ indicem claudentia.

Causam iam inclinatam & ruenti similem fulcire nouarum rerum molitione. Id est, Nouorum thematum editione, codicillis regiis eam ob rem impetratis.

Post causam vltro citróque iterum actam defensámque, moris est causidicos conticescere suapte sponte, aut eis indici conticinium. quandoquidē nō licet tertium altercari, etiam cum plurimum licet.

Non vt quisque augere in curia numerum togatorum cœpit, noménque solenni iureiurando dedit, ita protinus tyrocinium facit causarum agendarum: sed in echemythia verecunda moris est aliquot annos modestiores acquiescere, & spectatores antequam scenicos esse, interim dum frontes adolescunt, & maturæ curiæ & proscenio fiunt.

Homo in causarum iudiciis experiens & facilis, litium etiam inspector diligens, disertus etiam, expertúsque enarrator.

In consiliis maioribus censendo refricare callum obductum vetustæ hominum opinioni, receptǽque in curiis sententiæ ab iuris interpretum antiqua auctoritate, quālibet antiquitatis ignorātium, frigidū est acroama scena prima & secūda, & fiduciæ nō cuiuslibet indigēs: Etsi sensim incalescere potest, secūdioribúsque sensim auribus excipi, siquidē cōmendetur quæsita auctoritate. Huius generis fuit nostra memoria vsurarū cētesimarū semissiūmq; interpretatio, & quædā similia, nondū absterso archaismi callo parū vēdibilia.

Quædam causæ sunt, quarum prima actione omnia iura exhauriri possunt, præsertim si aduocatum nactæ sint causæ magis studentem, temporísque cōpendio, quàm facundiæ ostētatorem: cuiusmodi quidam causidici, iudicésq; frequentius, innumera legum capita, responsorum iuris vim magnam nūcupatis non modo capitibus, sed etiā interpunctis & commatibus distinctam, ciere tinnula disputatione solent, iurísque interpretum nomenclaturā auribus inculcando conterere, iliadásque commentariorum multiplicium.

Cum causa iustis defensionū rationibus vsitatísque defecta est, ad nouissima exempla subsidiorum descendunt, quædámque è periculo petita, ii qui cedere foro imperare sibi nequeunt, herbámque forēsem porrigere ante dimicationem vltimam.

Ad nouissimum exemplum litis dirimendæ descēdere, est Causæ ipsum suæ iudicem esse velle, & ad eas conditiones descendere, quas negare aduersarius non possit, si cupiat. Sic ferè, licet inuiti, faciunt in curia ii qui prouocationem renuntiare consultorū auctoritate coguntur, aut à causidicis destituuntur certamen pudendum tentare detrectantibus.

Homo periclitator multis dissuadētibus, frænū mordere instituit, & cōtrouersiā grauiter exercere: nec malè res ei cessit præter peritorū opinionē. Etenim existunt paradoxa quædam aresta contra prædicta oraculi basilicani.

In fidem regiam aut curiæ receptus, vasa, comitésque eius cōtra minas aduersarii. Liuius, Fœcialis interrogat, Facísnè me regium nūtium, vasa comitésque meos? Saluum conductum curiæ vocant. In præsidium fidei regiæ receptus imperio inhibito & interminatione mulctæ aut fraudis capitalis. Fidem autem curiæ aut iudicialem implorant, qui ab aduersario minaci se

metuere curiæ aut iudici probauerunt, vt ire & commeare publica fide & regia liceat.

Forma loci controuersi descripta in charta, atque deliniata, inter partes cõuenit & confessa est.

Sæpe inter treis aut plureis controuersum est sacerdotium, sed alteri cum tertio tacitus intercedit consensus, & societas coitur ad ludibrium litis, & alterius iudicio circunueniendi gratia. Collusio vocatur. Id est, συ[illegible]κακουργία.

Causa non nuda iudicanda est, sed personis induenda litigãtium. Hoc est, Qualitates ascribendæ sunt.

Is à quo fundus vindicatur, in diem rem differri iure petit, quo die auctorẽ laudatum sistat, defensorem succidaneum. Consultius tamen eum qui à malo auctore atque egenti quæsiuit, ipsum suæ causæ adesse, quàm fidei labantis homini eam credere.

Lis transcriptoria est, qua litigator transcribendam in se actoris aut defensoris personam postulat impetrato diplomatẽ, sufficiendi sui causa in locum demortui, vel qui iuris persecutione cessit.

Actionum curialium diebus, apparitore vociferante, classicum (vt sic dicã) forense ad limen curiæ canitur, ad quod cognitores causarũ patroníque illico conueniunt, vtpote quos tanquam in procinctu stare sub horam cõmittendorum certaminũ, sanctiones regum iubent. Ita nomina in codicẽ prouocationum relata, recitantur ab Accenso curiæ (siue principem eũ Apparitorem vocare placet:) quorum si vlli desiderãtur, eremodicia in eos præconio prius indidẽ euocatos, à præside pronuntiantur. Cuius iudicii, noxiǽque in summam causæ admissæ, dies inde iam cedere ille quidẽ cœpit, sed non etiam venisse existimatur, prius quàm dies iusti præterierũt plures aut pauciores moribus cõstituti, prout loca longius hinc aut propius absunt, vnde prouocationes oriundæ sunt. Vel, Pro eo quantum est interuallum à curia ad vnumquodque forũ, vnde curia appellata est. Quibus diebus præteritis, licet iam ab officio eremodiciorum elogia subscripta & consignata auferre: ex iísque rursus vt litem decernentibus, ad iudicatum faciendum in condemnatum agere, vt prouocatione inducta, nec ipsum iam iudicatum morante.

Proferat postulator desideria sua palàm in iudicium. Verba sunt subscripti libelli supplicis.

Moribus Galliæ satisdato litigandi ius in vniuersum abrogatum est, ne egentes homines deteriore essent cõditione in iure persequendo. Id quod æquitati satis consentaneum, tamen calumniarum patrocinium esse ingens & speciosum vsus fori comperit & docuit.

Ad officium curiæ deferre sacculos instrumẽtales causarum moris est, indéque singulos conscriptorum accipere fide sua & chirographo, quibus constitutione præsidum attributi sunt domúmque auferre inspiciendos, & vnde commentarios conficiant.

Audientiæ caducæ, vel Quæ in causam caducorum euaserunt. Vulgo Amissæ dicuntur.

Audientiarũ cõgiaria, sunt codices qui Extraordinarii vocãtur. Frequẽtissi-

mum eo die auditorium,& à tribunali,& à subselliis,& à circunfusa septo curiæ turba,fuit propter insignis vnius causæ expectationem.

Vltro citróque transcendere causidici septum auditorii solent,dum causas agunt.qui & Cancelli dici possunt. Causas enim prouocationum auspicatur è superiore loco & exteriore septo. In secũda autem actione & in altercationibus ex inferiore loquuntur. Qui autem detrectantes periclitandæ prouocationis aleam,dicere tamen aliquid tentant, quod in rem esse videatur eius qui prouocauit,cancellos non solent transcendere.

Sacerdotia sodalitia plerunque beneficiaria sunt episcopi,vel beneficii munerísque episcopórum.Id est,Ab ipsis conferuntur canonicatus.

Cum sacerdotium aliquod in curia ambigitur inter duos homines, & lis vindiciatum ad sequestrem manus iniectione deuenit:si interim alterutri aliquid acciderit humanitus,is qui superstes est,postulare in iudicio palàm solet,vt caducorum iure manus iniectio soluatur,& res à sequestre abeat.

Cum curionatus & sacerdotia parœciarum controuersiosa esse cœperunt litis cõtestatione,in iis sacerdotiis archidiaconi diœceseon iura caducaria vẽdicare sibi solent,quoad lites diremptæ sint.

Edere certis ac distinctis nominibus,& verbis nuncupare vel rem, vel hominem,& locum & tempus.vulgo dicunt,Tradere per declarationem.

Signa strenue inferre,& pedem conferre cum copiis aduersarii,significat fidenti animo instrumentum litis suæ proferre,& manum conserere.

Equo & pedibus æra merere palatina. Quidam enim mula vehuntur,quidã pedibus eunt. Sic quidam lingua,quidam manu æra merẽt.hoc est,Quidam scriptum faciunt,quidam causas agunt,Vtrisque autem & aliis permultis vectigalis est basilica,& stipendiaria litigantium multitudo. Multi verò ordines sunt,& dignitate inter se lõgè distantes, nationis alumnæ ciuiliũ discordiarũ,& veluti ludi altercatorii partim magisterio , partim disciplina præditæ,partim assectarum munere comitúmque fungentis,& tanquam reliquias colligentis eorum quæ magistris excidetunt, causarúmque mancipibus, vel accessiones potius iustorum stipendiorum,nequid decedat sorti.Hisce tamẽ atque huiuscemodi elemẽtis societas humana charitásque concreta est, quæ ciuitates vocantur.Quarum coagmentum,& tanquam harmonica compages,iurisdictione vincta est:quam Iustitiam vocamus,nomine sanè honesto, & verò æqui boníque comitatu insigni & visendo , quem præ se fert ipsa vocis eius nuncupatio.

Causa summo iure lapsa,& quasi iacens, diplomatis principalis adminiculo subleuata,candoris quoque & simplicitatis patrocinio pronis animis cõscriptorum defensa est.Id est,Curia iuris summi & æquitatis potens,multum fauit homini insonti ignoratione lapso.

Puræ parmæ albǽque nõ pauci tyrones, ætate tamen maiusculi,causidicorum nomine censentur multitudinis opinione: quippe qui insignia fori gestantes,professionem quoque ementiantur fallaci specie & personata.

Strophæ & antistrophæ forẽses,sophismata & antisophismata,mirificos ludos edunt iis qui causarum iudices sunt. Quorum si bilem adeo cõmouerẽt

ad animaduersionem, vt splenem exercent ad hilarem vrbanitatem: melius cum rebus ciuilibus ageretur, sed deterius fortasse cum foresibus, & ieiunius. Strategemata autem fori & Antistrategemata ordinis sunt honestioris hominum, qui ad victoriam memorabili solertia animum adiecerũt in causa probabili. Sunt enim vt in campo iura Martis dolis & insidiis pollentis, sic in foro sua iura dolo non degeneri, & legitimæ captioni citra fraudulentiam. Huiusmodi sunt nonnulli vel patroni causarum vel cognitores, vel litigantes ipsi, nõ sophistæ, nõ improbe captãtes, cæterum experiẽtes & strategematici.

Orba causa est, cuius vel dominus vel cognitor mortuus est.

Par rectè compositũ in spectaculo foresi, vel in altercatura forensi, quasi in vmbratili gladiatura. De duobus aduocatis dici potest inter se altercantibus, vel pari doctrina & facũdia, vel de duob' cognitoribus ĩprobitate certãtibus.

Cõtrouersiã primo certamine decernere. Hoc est, Citra comperendinationem. Vulgo, Sine appunctamento in iure, dicunt. Quarum prouocationes, Processus verbales vocantur, hoc est, Non comperendinatæ sententiæ, sed præsentanei iudicii appellationes.

Formulæ litium curialium, in dies longius, longiúsque de more maiorum decedunt, ingenti dispendio iure litigantium.

Ecce autem in causa quæ secundis auspiciis ferebatur, repente vitiũ obuenit, vnde minime metuebatur.

Iustis sponsalitiis solui, & Solennibus sponsalium solui, est Trium præconiorum, quæ fiunt in fanis, necessitatem redimere.

Verba solennia sese sacris peristyliis deuouẽtium effari, præeunte hetæriarcha, vel adigẽte antistite viro vel fœmina, quæ etiam Antistita dicta est. Pro quo etiam dicas, Sacramento sodalitio dicere, Sacramentum sacræ sodalitatis inire, In manum conuenire antistitis, & In mancipio antistitis esse cœpisse. Quæ est ἱεροδουλία. Iusta vero catechescos implere debent antequam iusto sacramento rogentur, & auctorentur deuotione.

Diris programmatibus per compita confixi, vel dira proscriptione. Vltimis exemplis diræ proscriptionis confixi. Vulgo Aggrauatos appellant.

Domus venit, & quæ domui cedunt. Vulgo Pertinentiæ dicuntur.

In consiliis amplis litigantibus, amici vnius præpotẽtis auxilium pluris est ad victoriam causæ, quorundam opinione, quàm triũ iurisperitorũ consiliũ.

Curiæ iurisdictiõis vltimæ, officinæ quædã iustitiæ sũt, ad amussim illæ quidẽ exacta iudicia promẽtes, sed æquitate condita & tẽperata, vt quidẽ dignitas earũ, præ se ferre videtur. Quarũ officinarũ mãcipes eiusmodi esse debẽt, qui velut oraculi iustitiæ ãtistites esse possint doctrina, industria, & volũtate.

Quibus res minus sua spe secundæ, aut perplexæ, aut ancipites, iterũ & tertium è foro nuntiantur, in foro olitorio placide obsonitanteis beatiores esse dictitant, quàm in foro iudiciali turbidè volitanteis: quippe nundinantes iustitiam ægre & ærumnosé. Sic enim appellant tanti suum seruare, nedum tanti sæpe perdere. Sed sic sunt mores, ita est vita ciuilis, ea sunt studia hominum, ad rem faciendam contendentia, vel tuendam pertinacius.

Iuris prudentiæ quasi matronæ elegãtis & honestæ lenociniũ quodãmodo

faciunt, qui non liberaliter aut reuerenter eam tractant. Quanto igitur capitalius est, iustitiæ decus, aut potentiæ aut opulentiæ prostituere?

Paucis vsu venit litigātib^9, è foro redire memorabiliter auctis simul æquitate iustitiæ, simul eius officinæ benignitate & comitate. Vt enim ratio iuris vnicuique tribuēdi cōstituta est, vt ius admetitur ipsa iuris interpretādi præses, magno stat in foro ius suū obtinere, manibus multis vtēdū, ad intromittēdos homines pronis atq; benignis: ad dimittēdos supinis & flagitatricibus.

Ad curiam prouocatus non modò diem & horā obiit, sed etiam vltrò occurrit, & vrgere prouocantem occupauit, cunctantíque institit. Id est, Cū moram certamini facere videretur, quasi lite deserta, aut illo diem & horam non obeunte, dimitti se flagitauit, & commeatum postulauit.

Dialectos fori primū edisceda est iis, qui negotiari in eo institerunt. Alioquin in cōmerciis forensibus, & ineundis cōuentis, in rebus cauendis, in syngraphis concipiendis peregrini fori & hospites videbuntur. Ita interpretum indigētes, omnia sumptuosius, pleraq; suspiciosius, alienáq; fiducia trāsigēt.

Versicolores obtentus certamen forense detrectantium, seculares lites faciunt: qui pascuus est ager circūforaneæ multitudinis, cuius fines in dies proferuntur iurisdictionis conniuentia.

Multorum facultates in litibus exercendis intabescunt, impares longis, ac magni tractatus cōtrouersiis: partim etiam cedere tandem coguntur aduersariorum opibus & ambitui, nō sine sugillatione genii iudiciorum præsidis, cuius fides nequicquam interdum imploratur ab inopibus cōsiliaria manu destitutis & auxiliaria.

Moribus comparatum est, vt nobiliores controuersiæ in curiis iurisdictionis liberæ, obnoxii aut ambitus aut cultus esse existimentur & appellentur. Salutationum enim munia obire matutina solenne est conscriptis curiam ingredientibus, εἰσιτήρια Græce dicta: curiáque dimissa eadem repetere, quasi exhodia stata & legitima. Quod ita Ineptire vocari potest, vt tamē causas commendabiliores faciat: vt certè prætermissum, non perinde gratiosas.

E trioboli litibus grandes tragœdiæ aliquādo excitatæ sunt, inexpiabilésq; discordiæ, vt è fomite interdum enatum incendiū obuia quæq; depopulatur.

Cum idem non sit omnium ætatum sensus, omniúmque curiæ decuriarum: minimè mirandum est, si eius auctoritatum varia sunt exempla atque interdum pugnantia.

Exempla extant hominum capitalium ita præmeditatorū ad quæstionem futurā, sic omnia circunspicientium in maleficiis suscipiēdis caute & percallide, vt nec locum vllum crimini, nec argumentum delationi reliquerint.

Parum est septum esse ciuem à ciue legibus & iudiciorum fiducia, vt quidē sunt mores hominū, & vt quæstionū exercendarū ratio apud nos comparata est. Nam cum multa sunt impunitatis asyla reis potentibus, aut gratia forensi præditis, aut necessitudinibus hominum nixis in foro præpotentium: tum iudiciorum huiusmodi agitandorum tarditas, pignus est, pársque impunitatis. Accedit vel ludificatio, vel iniquitas eorum, qui rebus quærendis à curia qualibet vel cōsilio designati sunt, testibúsque rogandis, iterādis, & cum reis

componendis. Hi enim persecutorium eorum impetum frangunt cunctationibus & fastidiis, qui iniurias sibi illatas suísve vltum ire contendunt. cum interim huic molæ magno sudore algoréque versandæ, accedat cumulus angoris, impendiorum magna vis, ingēteis sæpe lacunas in patrimoniis efficiēs, & ad persecutiones deserendas vt deploratas, aut vtcunq; decidendas adigēs. Quod sæpe consulto fit ab iis, qui iuri suo vnicuique reddendo publice præfecti sunt. Tum iure moribus constituto, non modo populares, sed etiam (si diuis placet) equestres & patritiæ, penes cognitores regios depositæ sunt. Et animaduersio maleficiorum publicè priuatímque admissorum, quasi gladius legum, sic in eorum sinu conditus est, vt in vagina regia.

Solon tabularū legalium auctor illustrissimus, vnde ius ciuile Romanorū ortū est, inter alias multas leges commendabiles, hanc legem ciuilis charitatis condidit, id est, philanthropiæ, quæ societatis humanæ glutinum est tenacissimum, compagésque ciuitatum. Sanxit igitur ille auctor lege memorabili & prædicanda, vt siquis ciuis pulsatus esset à ciue, aut damno ac pauperie affectus, qui sibi satis adesse vel ob inopiam non posset, vel ob eius potentiam à quo vapulauerat, aut damno affectus erat, primo vt cuique ciui liceret, eo nomine deferre hominem iniuriæ auctorē, iudicióque persequi. Quod ideo (Plutarchus inquit) ab illo legislatore institutum est, vt ciuis ciui assuesceret condolescere, & vt inter se ciues, veluti corporis vnius membra, alter alterius vicem doleret vt propriam. Huic autem (inquit) instituto consentaneum est eiusdem apophthegma Solonis. Quodam enim quondā ab eo percūctante, quámnam vrbem moribus optimis temperatā esse existimaret, Eam (inquit) potissimum, in qua facinus iniurium omnes tam vltum ire legibus contenderent, quàm qui iniuriam perpessus esset, aut ad quem facinus pertineret. At instituto nostro hominibus publice iuxtà priuatímq; maleficis atque facinorosis, pars est impunitatis gratiam vtcunque vel gratuitam vel repensam iniuisse ab Actore publico. quippe cuius arbitratu temerario, vel libidine potius, iudices admetiri ius & æquum, & cuius voluntate, quasi libra, tametsi inique, inscite, temeréque examinata, iustitia appēdere iudicia sua debeat, vt eorum bonam veniam emerendam, aut emercādam habeas, si ius tuum obtinere cupias. Quòd nisi iurisdictiones non obnoxiæ eorum subscriptionibus studii priuati redolentibus auscultare perfunctorie instituissent, iisque ad honorariam formulam magis, quàm ad animaduersionum rationē intendēdā aut remittendā vti, quid iure tū publico tū priuato, quid legibus, quid deniq; quæstionibus publicis antehac factū esset, aut posthac faciendum, nemo non intelligit. Certè in curia centenaria, eiúsque cōsiliis æmulis, eandem (vt opinor) ob causam iam olim institutum est, moribúsque receptum, vt nemo nō censendo, sic cōsiliarius idem cognitórque regius esse videatur, vt olim iidē patres conscriptíque Senatores dicebantur: hodiéque non absurde permulti curialium dici possunt, quibus ætas id non negat.

Deterrimū genus hominum in iudiciis exercendis, proditores veritatis, & iustitiæ simulandi dissimulandíque periti, & patientiæ cōniuentis comissimi largitores iustitiæ euersoribus. Mihi autē inuisum genus, qui officio officiūt

ſubdolo & ſcenico. Tum qui Lycurgæam ſeueritatem præ ſe ferentes, corruptam mentem, venalémque obumbrant cenſuræ ſupercilio: & cum inſontiũ bonorúmque captione perditis hominibus legum ſeueritatẽ cõdonare non grauantur, ſiquidem fallendi hominũ ſpes eſt. Huiuſmodi hominum nationis ſcelus eſt (quo enim nomine alio appellem?) quòd in iudicio, id eſt in iure, iniuriatum eſſe ſeminarium, hominum ſermone peruulgatum eſt.

In forenſi palæſtra aduerſarium eluctari vel iure, vel iniuria.

In cauſis opimis vberíſque prouentus aduocati meſſem annuam, cognitores vindemiam, pragmatici ſpicilegium & racematione faciunt: vt nũc omittam honorarium diſceptatorũ, & quæ ad incerta litiũ ſeponẽda ſunt. Ita dominis ipſis cauſarũ ſpes tantũ reliqua eſt in ieiunis & exuctis patrimoniorũ titulis, eáque ambigua, & in euentum ſuſpenſa certaminis nonnihil temerarii caſus habentis. Sed quid agat homo prudẽs, ſed nõ perinde felix, cui lites ſæpe obueniunt pro caducis legatis aut hæreditatibus? Seminariũ litiũ, id eſt Calamitas ſegetũ & tabes rei familiaris, iuris eſt diſciplinæ inſana cõmẽtatio in dies excreſcentis, & nonnihil interim euariantis. Cuius diſciplinæ incremento reſpõdere neceſſe eſt litium iliadẽ. Quæ eouſque iam profecit ingeniorum ſtilíque contentione, vt ea quæ Iuſtitia dicitur, nõ ſuum iam magis vnicuique tribuere, quàm alienũ videri poſſit, ſiquidẽ ad veritatẽ loquẽdam germanã & limatam. Adde quòd iuris ciuilis ſcopus, atque etiam priſci pontificii, cum litium argumenta acciſa, tum verò tempora circunciſa voluit. Nunc verò nulla cauſa tam fugax eſt ſua natura, quam non ætatem ferre inſtituta forenſia docuerint, ordine conniuẽte iuriſdictionis ſummæ potẽte.

Multi fronte hilari & ſerena ad lites inſtituendas veniunt, ac fiducia freti rei bene gerendæ, qui nubila tandem & obducta ſalutem foro dicunt. Quorum etiam nonnulli victores dicuntur diſcedere, ſed Cadmæa victoria, nec magnopere plaudenda.

Mihi res fuit aliquando in foro celeberrimo cum omnium dierũ apparitore, omnium horarũ ſalutatore, quorundã etiam iudicum paraſito, & verò anteambulone principũ cõſilii, cũ ille ſic ambire me ſciret ad ineundam cõtrã gratiam, vt Cæſaris candidatum aut principis commendatione fretum.

Quidam curiæ conſcriptorum, & matutini & pomeridiani ſunt in ludum ventitatores: quidam ſæpius alternorum dierum, iíque munia ſucciſiua curiæ non obeunt, quæ capturis attributa ſunt.

Hominum baſilicæ affinium partim eò tanquã ad paſcua ventitãt, quæ maxima eſt multitudo: partim tanquam ad ludum literarium, munúſque magis neceſſariũ quàm iucundũ: partim velut ad officinã ſui atque honorarii opificii: multi etiam animi cauſa. Litigantium autem bona pars velut ad nundinas anxietatum χερχώπων ἀγορὰν, vocitantes. Ipſe diebus vel horis non mei muneris, tanquam ad acroaſim porticus antiphiloſophiæ.

Diẽ obeundi vadimonii teſtato renuntiare, eſt Irritam cõdictionẽ diei obeundi facere per denuntiationẽ contrariam. Et Renuntiare prouocationem prouocato, eſt Denuntiare ſe mutaſſe conſilium exercendæ prouocationis.

Prouocatus ſecundũ quem ſententia lata eſt, ſi veretur ne iniquè iudica-

tum ſit,& impendiis litis prouocatoriæ mulctandus ſit,conſultius eſt vt ſententiam prouocatori teſtato renunciet,& quod eam ob cauſam impendit,ſe repenſurum dicat.Quod Sarcire iacturam iniqui iudicii vocant.

Diſceptator à curia nuncupatus, vulgo Commiſſarius ad cauſam appellatur.Et Subnuncupatus diſceptator,eſt qui Subrogatus dicitur.

Aduerſatores ſunt,qui vulgo Opponẽtes ſeſe dicuntur,& qui Se partes facere dicũtur.Et Pars aduerſatrix, quæ vulgo Pars opponens dicitur & impediẽs.Terẽt.in Heaut.Nullam ego rem in vita mea volui,quin tu in ea re mihi aduerſatrix fueris.Plautus, Nunc aſſentatrix ſceleſta eſt, dudũ aduerſatrix erat. Idẽ in Trinũ.Etſi aduerſator tibi fui. Et Aduerſari verbũ pro ἀντιπαρατάττεσθαι. Et Non aduerſari quo minus lege agatur,eſt Cauſam non dicere quin fiat,hoc eſt,Moram rei exequendæ nullam facere. Vt iam nõ exhibere ſe aduerſatorem auctionis faciendæ,Iam non morari auctionem.

Interceſſor vel aduerſator omni iure caſſus, abſiſtere incœpto coactus eſt, & infectam interceſſionem facere.

Veniam impetrare litis intermortuæ, vulgo Interruptio dicitur. Cauſam interpellatam ſarcire.

Controuerſiæ longiſſimo tẽpore emortuæ venia iure impetrabilis nõ eſt.

Cauſæ tardè procedenti gradum addere,eſt Cauſam vrgere.

Lites duas agglutinare,vulgo Iungere dicitur.

Lites duas mutuis argumentis inter ſe complexas, eadẽ ſententia dirimere & abſoluere.Id eſt,quarũ ſingularũ iudiciũ,commune futurũ eſt ambarum.

Vincere rem iudicio,& Auferre iam iudicio,eſt quod Euincere dicunt.Cicero pro Quintio, Mihi ſiquid deberetur, peterem,atque iampridem iudicio abſtuliſſem.

Qui cauſas prouocatorias agunt in curia,poſt expoſitionem litis,& prouocationis cauſas explicatas,epilogum nuncupare coguntur, aleámque iacere. Quod Concludere vocant ad male iudicatũ.Et ſimul epodion addere, quod omnibus in cauſis hæret & ſcribendo & actitando.Hoc eſt, Petere impendia, damna,& quod intereſt.

Permiſſum eſt actori iniuriam illatam aut vim factam perſequenti, teſtimonium denuntiare teſtibus repetendis,& cum reo committendis,ſi ita curiæ viſum fuerit.

Vadimonium iniuriarum aut vis illatæ alicui impingere ad curiam,vel ad iuridicum vel ad præfectũ.Hoc eſt, Vadari hominem ad ſe ſiſtendum, iudicíque percũctaturo præſto futurũ.Sic dici poteſt, vt Impingere dicã iniuriarũ à Terentio dictũ eſt Græcorũ more, qui ἐπάγειν δίκην, ἢ αἰτίαν dicunt.

Primæ litis acceſſiones, ſunt ſumptus: ſecundæ, ſunt fructus rei petitæ: tertiæ,ſunt æſtimatio eius quod actoris vel rei interfuit rem in controuerſiã deductam non fuiſſe.

Inuadere in arcem cauſæ aduerſarii,eſt Firmamentum cauſæ oppugnare.

Venditor fundi ſartam ac tectã eius in iudicio auctoritatem emptori præſtare debet,non etiam vis inferendæ ſecuritatem,aut iniuriam illatam.

Amicus ab amico rem iudicatam exigere non ſuſtinuit.Id eſt, Sententiæ à

causa sua latæ executionem petere.

Forum iudiciale rectè atque ordine constitutum, castellum esse debet iustitiæ, perfugium asylúmque non eorum tantum qui vi & armis spoliátur, sed qui compilantur forensi grassatura.

Acta causarum isagogica, vulgo Præsentationes in curia dicuntur: è quibus actis volumina causarum conficiuntur, & catalogi nominum quæ in auditorio maiore citanda sunt diebus oratoriis.

Introuocantur actores causarũ & cognitores, cũ nomina inclamãtur prouocatorũ ab Accẽso curiæ: qui est prĩceps apparitor, vel decurio apparitorũ.

Codex vel volumen causarũ nomenclaturæ, Rotulus vulgo dicitur, à forma membranæ aliquando conuolutæ.

Non pauca sunt nomina quæ extra ordinem recitantur, cum causarum domini introdant sese, & libello præsidi porrecto citari causam suam postulãt. Quod si eis conceditur, & altera pars detrectat præsentaneum certamen, causa iterum & tertium comperendinatur, & deinde quarta eius inclamatio pro voluminari cedit, iusta'que omnia eremodicii iura habere solet.

Scriba causarum in curiam inductarũ, vel introductarũ, id est, Isagogicus, is est, qui volumina conficere solet, & catalogos causarũ agendarũ in magno auditorio, statis diebus cuiusque præfecturæ & anni cuiusq;. Habet enim causas ꝑuocationũ in conditorio & regestis muneris sui perscriptas, die & cõsule designatas. Ipsæ autem causæ ita in numeros voluminares referri ab ipso solitæ sunt, vt constare possit, prouocator an prouocans referendam curarit.

Siquãdo autem, cũ causarum nomina citantur in curia, verborũ cõceptio in controuersiam vocetur, præses interfari solet, vt personarum appellationúmque ratio ex renuntiatione viatoris constituatur, cuius ministerio causa ipsa ad curiã trãscripta est. Qualitates corrigere appellant secũdũ explemẽta.

Fundamenta iurisdicendi iacienda in auspicanda causa.

Huius causæ cognitio in curiam illapsa est prouocationis cuiusdam occasione: quæ, vt sæpe vsu venit, in ordinanda lite à iuridico contigit vnde curia appellata est. Cuius iurisdictio eam ob rem constitit, quoad appellatio concertata & disceptata fuerit.

Dies & menses & annos defensor eximere petitori in dies alios atque alios pergit, fugitando, prolatando, tergiuersando.

Intercalare causarum expositiones & iudicia, sanctionibus vetitum est. Id est, Cum curiæ vna classis de causa quapiam in consilium missa est, quõad iudicium absolutum fuerit, leges vetant causam causæ superinducere.

Cum curiæ cõsilium alicui controuersiæ ita auctoratum est, vt iam expositum eius argumentum sit, improbi est artificii intercalando alius causæ tractatu, diẽ illis eximere, quorũ causa agitari cœpta erat, vel quorũ sors exierat.

Coitione res iudicata, decuriatisq; iudicibus qui æquiores alteri parti erãt.

Cũ duo essent eiusdem sacerdotii petitores, alter appositus esse præuaricator visus est in captionem alterius. Id est, Colludere cum defensore, vt sentẽtiam defensor obtineret interim & possideret.

Antelucana supplicatione id actum esse alter conquerebatur, paucis corro-

gatis iudicibus,conſcriptiſque decuriatis ante præſidis aduentum.

Ad conditionem quamlibet deſcendere,hominis eſt inconſulti, aut cauſæ diffidentis vt conclamatæ.

Areſta quædam curiæ nobilia & inſignis memoriæ, auctoritatiſque exemplaris,in curia ſæpe laudantur vt oracula quondam Delphica.

Cauſa in curia inclamata eſt intercalari audientia & beneficiaria.Id eſt, Per ſcedulam vocata.

Quidam audientiæ aucupes cæteris operam curiæ præripiunt.

Imminere occaſioni curiæ in conſilium de cauſa ſua mittendæ.

Aucupari diem litis in medium expromendæ.

Audientiæ quædam facile exemptiles,& quædam ægré.

Cauſa miro artificio imminenti fato exempta , & in aliud tempus reiecta ope amicorum inteſtinorum,quoquo pacto decidetur.

Homo in cataſtam forenſem cópactus,ſæpius erúpere fruſtra conatus,vota nequicquam nuncupat ſurdis numinibus curiæ.vel,intra ſepta curiæ cóclu ſus.Id eſt,Qui audientiá ambit nulla aut exili ſpe.Quod de cúria dicimus,nó magis de cétumuirali,quàm de eius æmula dictú volumus, quæ eſt pars principis comitatus,cuiúſque par eſt in iuriſdictione auctoritas & poteſtas,& Cóſilii magni appellatione illuſtrata eſt.In qua collegiú magiſterii noſtri, ſententiæ dicendæ ius habet antiquiſſimo loco ſecundum Cancellarium.

Cauſa vix tyrone digna primum ſe proferente , ac ſpecimen ſui dante , vel quolibet aduocato.Contrà,Cauſa cauſidico veteratore digna,& rerum foréſium callentiſſimo.

Qui fide regii cognitoris vt in cauſam incubituri freti ſunt,licentius in iudicio graſſari aduerſus quencúque poſſunt. Subſcriptio enim in cauſam etiá calumniæ ſubmanifeſtam,tamen titulum regii patrocinii præferens, tectorium eſt ſpecioſum oris duri litigantium.

Simul atque iuſtitiæ genium non puduerit ſupparaſitari genio inſolentis impotentiæ,fortunatricis hominum,protinus aderit maieſtatis eius internicio,ordiniſque ius dicentis reuerentia,hominum ſermone proculcabitur.

Iuſtitia pro tribunali ſedens, decus eſt vitæ ciuilis:cui prouinciatim munere ſuo fungenti , lucernas non dubie præferunt curiæ iuriſdictionis ſummæ. Lucernis autem ſenſim magis ac magis exuccis oleum is inſtillare debet, legúmque exercendarum rationem illuſtrare , qui oraculi regii antiſtitio præfectus eſt,vnde ſanciendi iuris, æquitatiſque temperandæ reſponſa manát & auctoritas.Eſt enim ita vel natura vel moribus comparatum,iuris vt officinæ vitium contrahant iniuriæ proximum, niſi certis interuallis reconcinnétur, non in ſpeciem tantum,ſed ad verum & bona fide.

Reipublicæ ac principis ſummopere intereſt iuſtitiam in aperto templo coli,neminíque inacceſſo,potius quàm in adyto.Sic enim fit, vt iuſtitia ipſa aperte ſeſe proferens,nó inane ſimulachrú eius,colatur.Iudices autem ipſi ne grauentur interdú aurem accómodare iuris ſui ſtudioſis ius æquúmque poſtulantibus.ne aſſeclæ ſint menſarú extructiorú . ne operam ſuam venditare ſuſtineant iis qui rerú potiuntur.ne gratiæ (vt ita dicam) rependédæ nomina

contrahere videantur, quæ diſſolui ſine ſugillatione nequeunt ordinis hominum honeſtiſſimi.

Pſeudurbanæ iuriſdictiones dici poſſunt, quæ non oppidorum magnitudine, ſed conuentuũ iudicialium frequentia celebres ſunt, vnde protinus in curiam prouocationum cauſas litigãtes reſortiuntur. Reſortiri autem verbum à more Græcorum tractum, qui λαγχάνειν δίκην dicunt pro iudicium dictare, Reſortiri tamen proprie παλινδικεῖν eſſe videtur. & παλινδικία, Reſortitio: Id eſt, Rei iam iudicatæ controuerſiam referre.

Auſpicio liquido & ſecundis auibus, atque è ſententia conſultorum, iudicium dictare, vel propulſare. Hoc eſt, Certa ſpe vincendæ litis. Qui autem inconſulte id faciunt, vel diſſuadẽtibus peritis rerum forenſium, Inauſpicato, aut auerſa vel aduerſis auſpiciis id facere dici poſſunt. Vel ambiguis auſpiciis, & Dubiis auibus, Vel parum lætis.

Fiduciariis curatoribus fundus controuerſus ſententia vel areſto permiſſus eſt. Id eſt, Commiſſariis ſub manu regis regendus eſt datus. Et Auctoritas fiduciæ iudicialis, vel Curationis fiduciariæ obſignatio, vel Elogium ſubſcriptum & conſignatum. Vulgo Commiſſariorum ſtabilitio nuncupatur.

A vi & iniuria hominem prohibere verbis curiæ, Eſt quod ſaluum conductum curiæ denuntiare vocant.

Sartum ac tectum hominẽ cum familia ſua ab inimico minaci, regio imperio tueri, vel diplomate regio. Diplomatis regii denũtiatione in fidem regiam ſeſe conferre ii ſolent, & aſciſcere, qui à minaci inimico metuunt.

Quibuſdam diebus faſtis profeſtiſque ac iuſtitiæ colendæ dicatis, tamen iuſtitii inſtar eſt aut ſpecies, in foro vel in curia, cum ſtrenua & accurata litium diſceptatio deſideratur propter infrequentiam iudicum ventitantium; aut aliam ob cauſam.

Dies quidã curiæ faſti ſunt & ἔνδικοι, iidem officinis feſti: vt quidam curiæ feſti ac nefaſti, hoc eſt μὴ δικάσιμοι, qui opificiis profeſti ſunt, id eſt, ἐργάσιμοι.

Vt oracula quædã olim Delphica, flexiloqua extiterũt & ambigua, ideóque hominum expectationem fruſtrantia: ſic aut ſententiæ, aut areſta perplexa, aut parum explicata, non tam lites dirimunt, quàm litem lite reſoluunt, vel verius litibus.

Texere plagas litigiorum, hominéſque minime malos omni occaſione captare, quadruplatorii eſt ingenii, id eſt, δικορράφου, καὶ ἐν ταῖς δίκαις ἐργολαβοῦντος.

Donatiua eremodiciorum curiæ ab auditorio non pridem ad ſcribarũ officium reiecta ſunt. Vtilius enim & cõmodius futurũ id curiæ, eremodiciorúmque petitoribus viſum eſt, magnúmque compendium temporis allaturum, contrà verò fugitiuis, fugæ tempora minuturum. Donatiuorum autem dies ex propinquitate locorum, & longinquitate conſtituti ſunt.

Iure iniquo, tempore aduerſo, conſeſſu non ſecundo litigare, incommoda ſunt fori. Iure autem iniquo, ſignificat Iniqua conditione.

Omnia quæ iuris ſummi ſunt auferre velle, hominis eſt nimium de iure ſuo meriti & nihil æquitati tribuentis.

Vtinam curiæ ſenſus incumbere pergat ad compẽdia litium, & fugitiuorũ

reprehensionem acrem & pœnatiam.

Nummariæ sacerdotiorum collationes aut cessiones, nundinatiáque com mercia, Simoniæ vocantur.

Damnati rerũ capitalium, interdum à curia in ergastula nautica relegãtur.

Multi causidicorum actionum molestiam pertæsi, è proscenio curiæ discedunt, & intra scenam non segnius operam dant foro & causis instruendis.

AEtas præsulatus potens vel cuiuscunque muneris sacerdotalis, est ætas legibus canonicis definita ad obtinendum id munus. Translatitiũ tamen esse cœpit iandiu interpretatione iuris Mercurialis, eos qui nondũ tutelæ suorũ bonorum facti sunt, immo verò qui necdum in suam tutelã venerũt, ad annos venisse fingi tutelæ animarum, annalium legum solutione.

Omnes numeros implere fungendi sui muneris, is dici potest, à quo nihil desideratur.

Omnes numeros nonnunquam vacationum obtinent sacrarum legũ conniuentia, aut earum certe interpretum & conditorũ, qui munerum permultorum personis inanibus quidem illi, sed visendis ornati sunt, & verò æmulãdis primi & secundi ordinis hominum opinione.

Inter causidicos agere homo doctus atque facundus desiit, non etiam scriptitare litigantibus, & de rebus forensibus responsitare consulentibus.

Iudex iuris & vsus fori consultissimus, & præterea cordatus, circunspectus & industrius.

Rerum in numerosis consiliis iudicatarum gratiã sæpe suam faciũt iudices quidã improbæ comitatis, alioquin inertes in sui muneris functione, nec tã causarum iudices, quàm arbitri & spectatores, numerum tantũ augentes. cuiusmodi ludificatio propria est nationis chrestologiæ studentis.

Sectores magistratuũ vel sacerdotum in reatu existentiũ, ii sunt qui damnationi reorum inhiãt, vt prædæ iam desponsæ, licet præproperè impetratæ.

Repetere rem iudicio, vi vel clam, & fraude vel precario ablatam, est Ad restitutionem agere.

Cõstitutiua causæ clausula iterum interdũ & tertiũ repetita, indicis instrumenti finis est sæpissime, sed capitis cardinisq; loco numeróq; habetur, vt sine qua iudiciũ nullũ sit. Appũctamẽtũ ad ius audiẽdũ vnũ & alterũ appellãt.

Instauratiua inquirendi decreta, Renouatæ commissiones dicuntur.

Vnius aut alterius mensis instauratitia curiæ sessio, vacationum mensibus. Parlamentum continuatum. Instaurata curiæ sessio mẽsem vnum. Princeps edicto statuit, vt solennes curiæ vacationes hoc anno ne valerent. vel, Vt anniuersarium curiæ iustitium hoc anno ne esset, edicto regis constitutum est, vel edicto solutum est.

Anniuersarii iustitii tẽpore, moris est decuriã tholensem quotidie sedere è delectis cõflatã, custodiisque producẽdis & carceri exhauriẽdo munus facere.

Vacationũ mensibus moris est singulis conscriptis hoc poscẽtibus, pẽsum suũ attribuere peregre absoluẽdũ. Cõmissiones vocãt. Iis autẽ qui peregrinas huiusmodi prouincias obire grauãtur, suburbanæ, & velut animi causa, intra vicesimũ aut tricesimũ lapidem destinãtur. Quidã prædia sua longinqua, aut

gentiles & propinquos visendi causa, quasi liberas prouincias obiter obeundas sibi impetrant, ita vt Martinalibus ad munia curialia conueniant.

Reus ad aliquot dies intra pomœria custodiæ suæ satisdato commissus. Id est, Per vrbem vadimonii nexu solutus.

Iudices rerum iudicialium consulti, & iudicii officii scientes, & legis actionum callentes. Id est, Periti executores.

Moris est curiæ, pridie insigniũ festorum custodias recognoscere, causásq; reatuũ & elogia percunctari, qui quidem ob causas non atroces in carcerẽ cõpacti fuerint. Et siquæ causæ præsentis disceptationis esse videantur, misericordiæ patrocinio, & veluti die deprecatore, calamitosos missos facere.

Causas iudicatas recognoscere. Vulgo Reuisionem facere dicũt. Quod Cicero Verri in actione 3. criminose obiicit.

Iuxta litis inspectæ & expositæ æstimare, est Taxare sportulas iudicũ, Honorariorum iudicialium rationem inire, Dicasticorum modum cõstituere.

Quidam cõscriptorum, curiæ antiquitatis periti, curialium ceremoniarũ antistites dici possunt, qui nouerunt & meminerunt maiorũ instituta ad decorẽ tuendũ ordinis amplissimi pertinentia, vt cum res quædam memorabilis nata est in curia consultanda, vel siquod officium instet à curia conspicue obeundum, cuius ratio modúsque ab exemplis repetenda sint.

Sacris iustitiæ æquitatísque operari, Est quod dicimus vernaculo sermone, Facere iustitiam. Cuius autem, cum bono & firmo iure in curia litigans nitetur, superior etiam causa fuit ad extremum, is Iustitiæ curiali litauisse dici potest, & præsenti vsus esse numine iustitiæ ius dicentis.

Pro re iudicata hominem pignerari, vel pro mulcta iudiciali, est Manum iniicere pecuniæ iudicato. Quod ferè euenit ex maleficio dãnatis, aut iis ex causis ob quas nexum inire necesse est non satisfacientibus.

Ad basilicam vt ad emporium quoddam conuenarum multi ventitant, curialium bona pars, vt ad honorariæ functionis conuentum: aduocati, cognitores, & curiæ comitatus in vniuersum, vt ad almam suam nutricem: tyrones, vt ad palæstram lucripetarum, ludúmq; opificii rei familiaris. nõnulli vt ad nundinas litiũ, quæ messis est vberrima togatæ nationis, in segete multiplici reliquorum ordinum.

In curiæ iudiciis nonnunquam, tanquam in culinis opiparis & liberalioribus, iura multa miscentur & confunduntur, ciuilia, pontificia, diuina, regia, formularia: vnde sententiarum quidam & placitorum cinni iudiciales fiunt, modicè quidem illi plerunque sciréque temperati, cæterum æqui boni longe plus, quàm iuris summi recipientes.

In quibusdam controuersiis acie instructa pugnatur, id est, Instrumento litis prolato: in quibusdam nõ acie, sed agmine decertatur, certamine rei summæ decretorio, vt in quibus ex tempore iudicium repræsentatur. Id est, Citra iuridicialem causæ constitutionem.

Cõtrouersia scriptitandi vicissitudine altercandíque concertata & agitata. deinde testimoniis, auctoritatibus perscriptis, literísque multifariã instructa. tum testes vltro citróque refutati, testimoniorum fides auctoritatúmq; scri-

ptarum eleuata, rursúsque diluta vtrinque arguméta fidem testiū literarúmque infirmantia, testimoniisque refutátibus ex aduerso obiecta. Sunt vicissim testimonia refutantia, omnibúsque numeris instruendarum causarum controuersia ipsa cumulata est, consiliúmque manet iudicum.

Iura causæ agnata, sunt iura cessa, vulgo Confortantia vel Ampliantia dicta, vel præter ius anterius siquod aliud hæreditate obuenit.

Causæ fescenninæ & hilarienses, sunt Causæ lasciuiores, & dignæ quæ Hilaribus agantur. Hoc est, Pridie Cineralium.

Controuersia ad calcem à carceribus curriculum suum impleuit. Vulgo dicunt, Processus cursum suum accepit, & ad finé perductus est. Dici etiam potest, Spatium litis decursum est vsque ad rei iudicatæ fructum.

Quidam rei iudicatæ executores sunt tantum, vt viatores: quidam etiã interpretes esse possunt, vt cóscripti curiæ, vel iuridici, & iudices prouinciarũ, quibus executio arestorum mandata est. Viatores autem, administri sunt tãtummodo, & iudicati transactores, non etiam disceptatores.

Homo stigmate rei iudicatæ inustus, testis esse non poteſt. Id est, Famoso iudicio intestabilis factus. Quidam tamen interdum ita iniuriarum damnãtur, aut alius iudicii ignominia suapte natura notantis, vt indulgentiore sententia stigmate subleuentur. quod Notæ stigmaticæ eximere Latinè dici potest. vel, Notæ ab ignominiosa actione inurendæ. &, Gratiam facere ignominiæ affeclæ iudicii infamantis.

Accensus curiæ, qui decurio est apparitorũ, cum catalogũ causarum è volumine canora voce recitat, hortaméta facit causidicis in procinctu actionũ existentibus, quasi celeustes quidã & hortator inter nautas aut alios artifices.

Controuersiæ quædam sunt intractabiles, atque arguméti sinuosi, perplexi & inexhausti. Id est, Quæ ad finem perduci non possunt nisi ægerrime.

Præcipitis curriculi controuersiam suum mox fatum excepturum est, nisi primo quoque tempore decidatur.

Simulatque prouocator prouocationé prouocato iudicíque denũtiauit die ad curiã dicta, causa curiæ ita auctorata est, vt iam ab alio iudice cognosci causa, aut ei⁹ lis dirimi, quàm ab ipsa curia, aut aliter quàm ei⁹ auctoritate nequeat.

Rei rerum capitalium interdum ita sospites euadũt, vt in orbe numellato medio foro venalium sito, vel in foro cetariorum (quas Hallas hîc appellãt) ter circumacti ignominiosissime, insuper liliato stigmate inurãtur. quæ pœna esse solet falsariorum.

In ludo forensi calculum prior ille promouit non satis auspicato & inconsultè, quod serò nunc intelligit, cum ad incitos redactus est. Translatio est à ludo scruporum, in quo refert vter collusorum promouere auspicatus sit, vt in interdicto retinendæ possessionis vter litem lacessiuerit.

Togati quidã in curia ad podium humerali pelliculato cóspicui, adhuc tamen puræ parmæ tyrones sunt, id est, agédarum causarum tyrocinium nondum fecerunt, & adhuc sunt intra tépus echemythiæ, adituq; interim cãcelli nó arcentur. Cætera multitudo sacramento iam adactorum poné septum curiæ spectat, partim etiã auscultat, qui ob id Auscultatores dici possunt, id est,

ἀκουστικοὶ, & catechesim curialem facientes, ideo nō intromissi, quòd tesseram professionis non gestant, hoc est humerale gestamen. Maluntenim adhuc inter mystas, quàm inter epoptas conspici.

Causarum actiones Acroamaticæ dici possunt, quæ foribus clausis curiæ auditæ sunt, vt fit interdum in gratiam litigatorum, non nūquam aliam ob causam, & extrà ordinem.

Multarum palmarum nobiliúmque litigator vel causidicus dici potest; qui lites nobiles, multásque vicit.

Actiones quædam aduocatorum, & altercationes officiosæ atque oratoriæ sunt, quædam rabulares atque proteruæ.

Penes secundum præsidem curiæ fasces sunt, cum primus aut abest, aut demortuus est: & apud tertium, cum primus secundúsque aut causarii sunt, aut excusarunt, aut aliàs desiderantur.

Sic moribus comparatū est nostris, cum causæ exponi cognoscíque cœptæ sunt in consiliis maioribus, & quasi calculi iam esse videntur in manibus iudicum, vt ii quorum res agitur, tāquam inter sacrum saxúmque stanteis, obnoxias factitare quotidie salutationes soleant ac debeant. Id adeò, vt propemodum deserti obsequii rei esse videātur multorum opinione, quos puduerit hoc facere aut piguerit: nimirum quasi obire grauentur munia in iure concertantium. Videre est quosdam hac opinione imbutos, alioqui non sui contemptores, tamen obnoxiè se venditanteis litium inspectoribus, aliísque quorum manu rerum iudicandarum cardines verti putant, & penè mediastinorum loco numeróque præsto se exhibenteis. Dignos profectò litigatores, qui in iudices incidant inani censuræ supercilio graues, istorúmque supplici comitatu gaudentes vsque ad fastidium insolentiæ.

Causa in controuersi iuris primùm formulam, deinde in facti constituta est. Id est, Postea partes in controuersiam factorum euaserunt.

Causa rectū cursum tenere inoffēsūmq; nō potuit, sed per omnes mæādros forēses peruagata, ad extremū hæsit in vado, vnde erui nonnisi ægrè poterit.

Instrumenti phalange valida & composita, inconditum agmen copiarum aduersarii fundere ac disiicere.

Iurisdictionis summæ lenociniū quodāmodo faciūt atriensis auræ captatores, si qui sunt, qui rerū potientibus supparasitari dignitatē personæ non grauentur, ius suū singulis & vniuersis tribuere profitētis & nomine præferētis.

Legati ad regē missi cum auctoritate curiæ. Id est, Cum literis & mandatis.

Proscribi solēt eremodicia, & statis dieb⁹ pēdēre. Id est, In albo exposita esse.

Vadimonium compendiarium in triduū ter repetitum, præconio insuper edictum & programmate. Et Vadari reum requirendum adnotatum, tridui tergemini compendio inclamato & proscripto.

Nouationē veteris nominis exigere, vel Veteris auctoritatis nouationē exigere à fundi vectigalis domino. Nouū titulū vocant. vel Ad ineundā obligationē agere cum domino hypothecæ. vel, Iudicium dictare agnoscendi vectigalis gratia cum domino prædii, vel agnoscendæ pensionis annuæ.

Alumna gens basilicæ huius vrbis, almam suam colit magistram, obser-

uátque officiose ac diligenter, quippe quæ se & cōmodis & honoribus & existimatione augeri ab ipsa atque ornari sentiat. Ad nostrā autem ætatem eadē ipsa basilica cōuentus tantum togati diuersorium, nundinæ iurisprudentiæ, officina magistratuum fuit, cum interim orchestram musarum rusticarum & vastiorum eam fuisse norimus, inaccessámque musis politis & elegātibus. Nunc autem hospitalis illis mire facta est, in diésque magis ac magis cum illis sociabilis.

In consessu summarum iurisdictionum nullus conspici debet, nisi liberi & ingenui spiritus, & verò noxis (vt aiunt) furtísque planè solutus. Sic enim futurum est in posterum, ne exempla citari possint iudiciorum ac placitorum obnoxiæ conditionis.

AEquitatis iuridicæ promptuariū apertū esse debet supplici innocētiæ atq; simplicitati. Verū temporum cōuersione, & hominum ambitione factum, vt quod promptuarium erat iustitiæ vnicuique suū tribuentis, conditorium esse penetralius cœperit, aditúsq; angustioris & stipatioris, quàm vt destitutæ simplicitati eò penetrare facile sit & expeditum. Et admissionibus præest ambitus, institor gratiæ forēsis, simplicitati parū familiaris, affinísque versutiæ.

Rei iudicatæ peractor, Executor dici potest, Qui si magistratu iuridico præditus est, rei peragendæ etiam cognitor esse potest. Huiusmodi autem magistratibus arestorū executio ita mandata videtur, aut decretorū curiæ, vt si res quæpiam nata sit, quæ vim imperii, id est, imperiosam iurisdictionem postulet, nec intercessioni cedant, nec prouocationi cuicunque, nedum trāslatitiæ. Id quod tamen se facere meminerint & testentur sine captione prouocantium, nec se quicquam præiudicare in prouocationis certamen.

Sententiæ & iudicati transactor, ita datus, vt siquid inter partes discrepet, etiam disceptator sit & arbiter.

Episcopatus in Francia plerique quidem hoc iure sunt: Qui episcopi designati sunt, non antè fruendorum sacerdotiorū potentes Regaliorū lege existimantur esse, quàm fidem supplicē sacerdotio ascriptam in manibus regiis agnouerūt solēni iureiurādo. Sic enim moribus antiquis ita ꝓditū est, vt minora sacerdotia episcopatus cuiusvis beneficiaria, regii beneficii interim esse censeantur, quoad huiusmodi sacramento adacti sint episcopi. Quod genus beneficentiæ à principe collatæ, Regaliorum ius vocatur, omnibus numeris præditum iuris optimi. Quod ita suum ius esse regum censetur, & receptum est, vt fatale ius, & benefica vis inde manans, non sua magis Parcarum esse possit, ne cum Ioue quidem ipsa communis, poetarum sententia.

Latitanteis reos aut extorres patria, denuntiationibus vadatoriis edictísq; classico & proscriptione peruulgatis euocare. Est autem Edicere, Programmate promulgare. Liuius, Ipse comitia in quem diem primum potuit, edixit. Cicero Philip. 6, Tumultum decerni, iustitium edici censeo.

Cōtrouersiæ speciem cum suis circunstantiis & cōplexibus exponere, quæ Accidētia causæ etiam vocantur. Est autem Cōplexus, περίςασις. Quintil. lib. 5, Præsertim cum plurimæ probationes in ipso causarum cōplexu reperiantur, ita vt sint cum alia lite nulla cōmunes. Et lib. 3, Negotialem vocat cau-

ſam,in qua de rebus ipſis quæritur remoto perſonarũ cõplexu. Dici etiã hoc modo poteſt,Controuerſia ab inſpectore in conſilio exponenda eſt cũ adiũctis cauſæ & circunſtantibus, omníque cauſæ complexu in medium exponenda eſt dilucide & explanate. Nunc dicunt,Caſus litis ponendus eſt.

Cauſam nudam exponere,& abſolutam. Hoc eſt, Nec propriis perſonis indutam,nec temporibus,nec adiunctis definitam.

Exemplum rei iudicatæ citare vel proferre in eodem genere cauſæ, iiſdem adiunctis,iiſdem accidentibus,prorſus eodem cauſæ complexu vel indiſcreta ſimilitudine. Nunc dicunt In indiuiduo.

Omnia munera aduocati implere,eſt Cauſas actitare atque defenſitare,ſcriptitare, reſponſitare.

Aliud eſt cauſa cadere,aliud Præcipitare, aliud etiam Appẽdice litis cadere, aliud,Summa quæſtione.

Iudicatus ære partus,& iure ciuili,& regum ſanctionibus improbatus,ſententia abrogandus eſt: quemadmodum & magiſtratus omnes ære parti,quibus iudicatus adiunctus eſt.

Togatorum quidam natura ac diſciplina conſulti,quidam non ſcripta diſciplina literaríaque,ſed pragmatica conſulti, quidã & ingenio & communi tantum ſenſus pædagogia conſulti, & vſus litigandi magiſterio. Quidam æqui & boni,quidam iuris magis quàm æquitatis conſulti, qui nihil non tribuunt ſcriptorum auctoritati.

Lites diobolares & dipondiales,acceſſiones trahunt ſæpe nõ centuſſes modo, ſed etiam talentarias.

Quorundã conſcriptorum in iudiciis cenſentium tanta eſt auctoritas, vt pedatias pediſequáſque multas trahant. Rurſus quorundam vox audita inter primos cẽſentium,inſtar eſt auium in auſpicãdo,quæ nec præpetes nec oſcines augurium faciunt. Nam vt illæ ad rerum futurarũ augurium, ſic horum nec ſententia nec auctoritas ad ſummã rei iudicandæ pertinere exiſtimatur, aut non magnopere facere. Quidam etiam olim capita erant ſuarum decuriarũ,qui poſtea exoletæ auctoritatis, & numerus tantum fuerunt. Quidam functionis iam emeritæ conſcripti,liberam habent,cum libet, vacationem & rurſus,cum libuit,augendi ſententiarum numeri poteſtatem.

Cauſidicus frontis panegyricæ,id eſt,Summa fiducia præditus. Sic cõſiliarius fiduciæ in curia comitialis. Id eſt,Qui omnibus curiis coeuntibus intrepide ſententiam dicat vt in ſua decuria.

Cauſa tam ciuili iure quàm honorario nixa. Id eſt,Cuius actio vel defenſio non modo iuſta ſit,ſed etiam honeſta. Contrà, Cauſam agere ſummo magis iure,quàm honorario nitentem. Vel,Iure quidem ſcripto cauſam tueri,non etiam moribus recepto bonorum & grauium,vel paulo honeſtiorum.

Hærere veſtigiis fugacis litigatoris,& cauſæ iudiciũ vrgere p omnes numeros formulæ iudicialis. Hoc eſt,Nihil laxamenti indulgere ad litẽ inſtruẽdã.

Homo vſus forenſis peritus,& in exercendis controuerſiis ſolers, & verſabilis inuentionis.

Litis ſuæ inſpectorem admonitũ ire ſalutabunde,diligentis eſt litigatoris:

flagitatum autem, molesti & odiosi.

Proditores arcanor ũcuriæ perfidiosi,omnibus inuisi sunt: vlterius pœnas non pendunt,ne miremur aliquos semper esse.

Occludere iustitiæ auditorium, & Fores aperire curialis audientiæ, inter se opposita sunt.

Iustitiæ facies quálibet formosa visendáque, coloris tamẽ fere longè plus, quàm succi sanguinísque habuit veri & incorrupti.

Reus sibi & vadibus plenum commeatum absolutúmque abstulit.

Qui fidei cõmissam causæ persecutionẽ habet, Pragmaticus vocari potest.

Vt causæ in ordinem redactæ sunt numerorũ apud officium exhibitionũ, ita in volumine perscribuntur causarum agendarum,deincépsque earum nõmina citantur in magno auditorio,nisi aliquid extra ordinem præses de quibusdam statuerit.id quod sæpe fit.Vt cum causæ gratiosorum aut cõmendationis primæ numeris exemptæ,peculiari volumini attribuuntur.

Si ab vno quoque eorum,quibus causarum cõmentationes attributæ sunt, moris esset pensum suum exigere constitutis temporibus, melius cum iis litigatoribus ageretur,qui non satis curiæ commendati sunt.

Secundis auribus de curiæ audientiam adipisci, nonnihil facit ad stomachum censentium.

A curia & consiliis cognitionis summæ ad principem non prouocatur,cũ ius vnius cognitio maior est omnium & superior. Sed & iure & sanctionibus proditum est institutũ appellationis supplicis: quam tamen mores sanctionésque appellationis vocabulo ideo non dignati sunt,quòd ad idẽ ipsum iudicium fit prouocatio,vnde sentẽtia nata est,nec alia curia appellatur, aut aliud tribunal. Quare & sua quadam certáque lege ac peculiari concipienda est huiusmodi appellatio,& exercenda. Errorem causari vocãt.Id fere est verecundè cum curia ipsa apud ipsam expostulare ob causam neglectim, aut aliud agendo cogniram: sic tamen, vt non iniquitatem iudicii expostulent, sed quasi hallucinatricem animaduersionem excusent, iniuriámque erroris deprecentur,qui non iuris imperitia, sed aut aduersæ partis culpa, aut vitio humanitatis obrepsit. Proinde eius intentionis clausula supplex eo pertinet summáque, vt curia ipsa ne grauetur,causam quàm ad lucernam erroris (vt sunt humana)se cognouisse intelliget, eandem ipsam ad illustriorẽ lucernã quasíque recti iudicii recognoscere. Sic enim futurum,vt iniuria in ius vertat, & sua constet fides religióque curiæ aut consilio.Hæc spes vt victis contrà quàm opinabantur,solatium est,ita si temerè tentetur,præter omnem offensionis iudiciariæ calamitatem, mulcta duplex quàm quanta est temerè prouocantium,temerarium supplicatorem manet.

Reiectiones conscriptorum in curia non ægre admittuntur,si causæ curiæ approbentur:eorum etiam facilius qui lites inspexerunt. Sed non rarissime euenit,vt qui vel disceptatorem datum reiecerit, vel causæ suæ inspectorem, postquam alius in reiecti locum substitutus est, creditorem verius vertisse se sentiat non optima conditione,quàm rem bene gessisse.Sic res iudiciariæ,earúmque consilia ancipitis sunt euentus.

Transfactum iudicio decisúmque negotium esse censetur, non tãtum si lite iam adulta id factũ sit, vel præcipiti, sed si adhuc ineunte vel appetente tantũ.

Controuersiam procurrentem & penè iam præcipitantem qui decidere in præsenti nõ potest, sustẽtare solet aliquo sufflamine diplomarico, interímq; inhibere quoad conditionem tentarit.

Cãdidatos basilicanos & gratiæ curialis competitores obseruare pars est visendi spectaculi, aut iudices prehensanteis cum causæ iudicatur, aut audientiam petentes, quibus vtrisque nomenclatore sæpe opus est ad singulos ambitiose salutandos & suppliciter, aut nomenclaturam ediscere. Atque eo amplius sonora suscitabula quasi lucubraturos habere ad salutationes diluculares, tametsi antè matutino veterno assuefactos.

Lites longæ & dispẽdiosæ fructus sæpe rerũ deuorant, de quibus possessores ambigunt: ad extremúmque nonnunquam res ipsas iudicio ablatas hausisse comperiuntur, præter laboris contenrionísque iacturã, atq; ætatis detrimẽtũ.

Multæ aliquãdo in curia lacunæ, aut in classibus, iudiciis causarum moram afferunt. Fiũt autem lacunæ aut morre, aut absentia. Vidimus autem aliquãdo non vnam aut alteram, sed multas paucis diebus suppleri. Absunt autem aliqui absentia iusta & causaria, quorum partim ad causas recuperarorias delegati sunt, aliqui qualibet absentia & vtcunque probabili, nonnulli quasi libera, & tanquam codicillares sint tantum conscripti atque honorarii, quod sanctionibus vetitum est. Est enim furtum sui facere curiæ. Quidam fortassè quamproxime absentes causariorum loco sunt & numero oculorum curiæ conniuentia, ita locum lacunarum occupantes, vt tamen non impleant. Quanquam quibusdam licet munifices esse censerique, si numerum tanrum in speciem suppleant venritando.

Est instituti veteris, vt expositor litis, & qui primus sententiam rogatur, & ab actore & à reo multa verba faciat, ancipitémque expectationem sui iudicii diu faciat. quippe qui vtroq; versus pro modo doctrinæ & facundiæ differat (siquidem causa ambiguæ disceptationis esse videatur) æquali aliquandiu libramẽto suæ prærogatiuæ. Ad extremum aurem cum satis addubitanter verba fecisse sibi visus est, quasi ab æquilibrio sensim in alteram lancem vergere opinionem suam non dissimulẽt, in qua lance momenta argumentorum sita, præponderare videntur ea quæ in altera lance collocata sunt. Is inter iudices sic primas partes obtinet disserẽdi, vt coryphæus inter symphoniacos incitamentum voces emodulandi, quasíque partes præcentorias. ἐνδόσιμον Græci vocãt. Hoc est, τὰ πρῶτα τῆς χοροστασίας. Venit enim meditatus, & tanquã extorum causæ inspector, facile omnia in medium proferre potest, si doctrina & oratione non defectus est.

Ad causarũ maiorũ conflictũ quibusdam in foris ac cõsiliis cõmittendum & moderãdum, non tãtũ Themin deam consultã, nõ rantũ Pitho facundam asciscere, sed etiam Charites moribus receptũ est, quarũ in omni ferè parte vitæ ciuilis late patet auctoritas, & vehementer pollet. Sed Gratiarũ nõ vna est natura, æquáque omniũ facultas ad fomenta causarum laborantiũ. in Gratiis gratuitis & ieiunæ comitatis vel effœtæ non magna spes collocãda est. Gratiæ

prægnantes,& vt (inquit Plautus) grauidæ, magnam vim commendationis habent apud iustitiam sibi quoque ius dicentem.

Nos in alto litigii multum ac diu iactati concertationum fluctibus,in portu iam nauigamus.Quare in vtranque iam aurem nobis dormiendũ est.Vel, Res nostra scopulos fori ægre prætervecta,in vado iam spei esse cœpit.

Ex alto litium referre me omni ope cõnitor:sed æstus me nõ sinit, identidẽ nauigium retro inhibẽs iacturis luculentis nõ leuatum, sed exhaustum.

Philysecho cuidã,in patrimonio auito acquiescẽti,litiũ in primis fugitãti, & metuenti,negotiũ primũ aspernabile, deinde alias res agenti, & tanquam paruæ rei securo, multiplex repente esse cœpit & pene capitale cũ sesculysse vicino aduentitio,qui ius ex iniuria facere instituisset augendi hæredioli sui gratia,cũ supplantatore simplicitatis,cum palæstrico forensi,cũ plano basilicano, cũ philotherfite aduersario,cũ gratiæ iudicialis aucupe mirifico,homine affabrefacto ad circunscriptiones scite & eleganter factitandas. Neutri res cessit ẽ sentẽtia.Ille ex casu incõmodo animi ægritudinem cõtraxit:Hic dum augere rem suã quacunque ratione contendit,lautiorẽmque larem suum familiarem,vtraque ad tabem perduxit.Mihi atque amicis vtriusq; casum procul abesse velim,si humana prouidentia hac ætate hoc sibi præstare posset.

Agitandarum litium exercendarúmque & tractãdarum methodum aduocatos & cognitores perdidicisse oportet, quemadmodũ disceptãdarum dirimendarúmque iudices,vrgendarum pragmaticos.

Arbitri & æstimatores impendiorum litium, Taxatores dicuntur, rationẽ per capita ineuntes,& deinde colligentes in summam.

Expensorum capita disceptata, & tandem definita adhibitis cognitoribus. Et Expensorum capita controuersa & prænotata.Hoc est,Cruciata.

In hac causa actor longe plureis habet iudices in partibus, & velut auxiliareis.Id est,Plures ab eo sentiunt.

Primus,secundus actus argumenti controuersiæ, & deinceps dici possunt, & catastrophe itidẽ,quasi fabulæ, dici potest pro fine litis. Huiusmodi enim argumẽta,iudicibus & aduocatis,aliísque fori asseclis, ludorũ scenicorũ vicẽ præbent,& materiam loquendi cauillandíque in circulis & conuiuiis,& ambulationibus basilicanis. Quintus autem actus est, cum litis instrumentum profertur à partibus.Causæ igitur in mediis actibus hærent:interdum in primo,id est,ante litis contestationem.Hoc est,In ipsa quasi prolusione.

Curia causas euocare potest à quocunque iudice obnoxio, pro iure maioris imperii, imperiúmque inhibere cuicunque,duntaxat intra fines ditionis suæ summæ.

Causa hæc non modo magna est,sed etiam expassis omnibus velis, cursus eius mouetur.Vel,Velis,remis,omnísque organo fori mouetur.Hoc est,Testibus,literis,testium refutamentis,contradictionibus,scriptionibus, rescriptionibúsque vtrinque instructa est.

Lites quædam ductim tractímque exercentur, quædã raptim procurrunt. Causæ quædam firmo iure solidóque nituntur, quædam iure cassæ sunt, inanes & ieiunæ:litésque potius, quàm causæ.

Obire diem horámque sententiæ pronuntiandæ.

Causa splendido iure nixa, scite, consulte, assidue curata, nulla parte instrumenti defecta, tamen expectationem litigatoris consultorúmque fefellit.

Farcturæ & complementa instrumenti prægrandis. Vulgo Frusta vocantur parum ad rem pertinentia.

Delumbare firmamentum causæ aduersarii auctoritate irrefutabili. Id est Infirmare & frangere eius defensionem.

Causa prudenter & copiose instructa, quasi acies firma ad prælium accincta spem facit victoriæ.

In consiliis magnis quidam sunt suæ sententiæ iudices: quidam alienæ potius quàm suæ sententiæ. Id est, Doctiorũ auctoritati facile se dedentes. Quidam non suæ magis quàm alienæ, religioni officii præcipue seruiunt. quod genus in primis commendabile.

In iudiciis, vrbanitas causas commẽdantium, aut comitas sese ad obsequiũ rependendum tacite auctorantium, nonnihil momenti affert ad sẽtẽtias in rebus ambiguis alternantes, alteram in partem inclinandas.

Sunt qui ad primos actus litium sic hilares ingrediuntur in iudicium, quasi Beneuentum venerint, qui in litium catastrophis quasi Maleuẽti negotiati, tristes & vultuosi domum redeunt. Spes enim rerum iudicio cõtrouersarum benigna pollicitatrix, maligne plerunque dependit quod promisit, etiã si repromissores dederit homines vsus forensis peritissimos. Vt enim in summam victor abeas, tamen multum sortis decoquunt alimẽta controuersiæ, &(vt ita dicam) versura multiplex in foro facienda, iis maximè qui in multo ære suo sunt.

Apud officium actorum curiæ & scribarũ, litium sacculi primum è præfecturis, supppræfecturísque afferuntur: deinde certis tẽporibus classium curiæ præsides inter se comparant, quæ causæ quibus classibus cõtribuantur: deinde quibus consiliariis cuiusque classis inspectio mãdetur, Præsidũ est arbitratus, qui bini sunt in singulis inquisitionũ classibus. Formidolosus autem hic articulus esse solet causarum curatoribus & pragmaticis: quãdoquidem sæpè securis & aliud agentibus iis, quorũ res agitur, noxa cæca & abdita in summã causæ capitur, si litis inspector designetur alteri parti æquior, aut alteri iniquior, aut ea necessitudine cõiunctus, quæ eiurãdo iudici idonea sit. Siquidẽ litis inspector & cõmentator, ad causæ iura examinanda easdẽ ferè partes obtinet quàm zygostates in vasis aureis argẽteísque expendendis & æstimãdis. Qui nisi oculis custodum altrinsecus sedentium obseruaretur diligenter, vel dolo vel incuria, vel inertia vel inscitia magnopere incõmodare causæ alioqui superiori posset. Quanquam rursus metuendum ab obnuntiatoribus est, redẽptis & allegatis ad suspectos eos faciendos, à quibus nihil re vera metuẽdum est, aut ad eos deposcendos inspectores, vt causæ studiosos, qui à causa animo auersi sunt. Sed difficilis est cautio ab hominibus largiloquis, vendibilẽ comitatem ac benignitatem præferentibus, causarum (vt ita dicã) sicariis, impunè grassantibus sub integumento vrbanitatis facundæ & capitalis.

Consiliarii curiæ disceptatores dati, cõuentorũ testes atque arbitri. Id est,

Coram quibus inter partes hoc cõuenit,& à quibus cõuenta subscripta sunt.

Iudex quispiam volens ac propitius adesse alteri litigatori videtur, ac præ se fert, cum ab altero stet occultè animo propensissimo.

Cum lis in cõsilium missa,& sacculi super pluteum excussi, cum vtriusque partis copiæ in procinctu sunt,& iudicii alea intra alueum iacta est, iam animante tuba galeatum sero duelli pœnitet. Iudicium est enim, non deliberatio. Et serum est veniam promere codicillarem manus vltro dandi aduersario ad deprecandam prouocationis mulctam, aut copias supplendi post commissum certamen rei summæ decretorium.

Inire rationẽ expensorũ in litem. Id est, Calculos singulos æstimare, quorum quidem ratio habenda est: superuacaneos prætereundósque expungere, confessos in ordinem redigere, cõcertatos ac disceptatos æstimare, adhuc cõtrouersos illustri signo solennique prænotare, tum qui iurato æstimati sunt, addito elogio subscribere. Hoc est, habito iureiurando. Extremus autẽ calculus honorario eorũ destinatus est qui rationem subductam subsignauerũt.

In quæstionibus extra ordinem agitãdis, Cognitor regius, aut verbis eius regius Causidicus, mulctam in re præsenti reo verbis, vel si absit, aut tum nolit, postea scripto irrogat, vel corpore pendendam, vel pecunia luendam, vel vtroque modo pœnam æstimandam maleficii postulat libello subsignato.

Saluis auspiciis res iudicata vel transacta. Id est, Nihil contra sanctiones regum factum. E' contrario autem, Contra auspicia factum dici potest, quod sine infractione constitutionis vel principum vel curiæ fieri nõ potuit. Sic Saluis auspiciis leges latas Cicero Philip. 5. dixit, Easdem leges de integro, vt populum teneant, saluis auspiciis ferri placet. Et Cõtra auspicia latas, in oratione de Arusp. resp. & Magistratum aduersus auspicia gerere. Tranquil.

Nulla lex vnquam tam fixa fuit in Francorum animis, quàm illa Sallica dicta de fœminis ad regni hæreditatem non admittendis.

Reo delato dies dicta est, ob cædis suspicionem, ipséque lege Cornelia eam ob causam interrogatus est. Cic. in Diuinatione, Scimus Decimo Syllano Cn. Decium diem dixisse propter vnius hominis paterni hospitis iniuriam. Idem alibi, Quis me vnquam vlla lege interrogauit? quis diem dixit? Nũc dicunt, Nunquam reprehensus fuit apud iustitiam. Id est, Nunquam rei criminosæ insimulatus est.

Curia mulctam grandem interminata est homini, si aduersus arestũ quippiam ausus esset, vel Mulctam dixit. Hoc est, Interdixit sub pœna mulctæ grauis. Cic. in Philipp. Pontifex Maximus mulctam dixit flamini, si à sacris discessisset.

Reus probrosi in Deum diuósque maledicti insimulatus, vel conuictus. Nunc Blasphemiam verbo Græco dicunt. Reus impii maledicti delatus.

Fuit homo, vel extitit potius in Francia, quem ætas nostra vel vidit, vel meminit, summæ quidẽ ille rerum curæ & potitus & potens, sed cupiditatis insolentioris impotens, quem homines periti dicebant ad euertendã Francicã libertatem non modo sobrium & prudentẽ venisse, sed inita (vt dicitur) subductáque ratione, ad pessundãdam summarum curiarum auctoritatẽ, in or-

dinémque redigendam pedestrem & obnoxium. Certe quidem eam laudem tulit improbitatis, vt iustitiæ genium capite minutum se auctore magnopere cupierit, & voti tam proterui viuus vidénsque reus mox factus & damnatus sit. Quippe ingenio Alcibiadis præditus ad audẽdum inusitata, Archimedis ad excogitandum machinamenta ausis consentanea. Aiunt eius tempore expressa quædam esse curiis summis decreta, circunuento principe ab huiusmodi institutis natura abhorrente. Eáque ita in acta relata, intelligi vt olim posit aduersus auspicia ea fuisse facta, minimẽque secũdis voluntatibus. Notas enim habent non curiæ consultorum, sed necessitatis temporísque placitorum. Is homo ingenii sui memoriam in omni parte Reip. impressam relinquere incisámque voluit, sed parum felici faustáque cõmemoratione. Tanti illi fuit nomen suũ vtcunque memoriæ mandari, non etiã commendari visus est expetiuisse. Verum iam olim subinuisum ferè fuit semper nomen curiæ iis, qui legũ indignantur vincula. Quippe cuius auctoritas & regũ voluntate semper, & omniũ ordinum opinione sic fuerit constituta, in sensúsque communis reuerentia consecrata, sedem vt præcipuam habere iustitia ius dicens in curia centenaria, in eáque tanquam in sinu nutritio maiestatem ipsa suam ac dignitatẽ deposuisse videatur. Qua arce iustitiæ disturbanda, decus opimum vir Syllana felicitate memorabilis affectasse creditur.

Bonis moribus non conuenit, in certamine forensi punctim vt cæsim aduersarios inter se petere, stilo & voce quorundam causidicorum, qui clientiũ suorum sensui seruire non recusant, vel blandiri potius, quod alimentũ est litium, operæque eorum commendatio. Sic sunt eorum ingenia, quibus cordi sunt ea quæ si nihil ad causam, tamen ad stomachũ faciunt & suũ & clientium. Ita se (credo) amicos veros ostendunt, qui etiam habere cõmunes non nolint simultates, dum modo sibi tantum mercedem communitatis.

Causa hæret in salebra, quando aliquo obice cursus eius sistitur.

Litigii sinuosi, multiplici radice intra ambitũ basilicæ consibrati, difficile est stirpitus reliquias elidere, quæ post vnã alterámque, & multas sententias, arestáque curiæ, pullulos sæpe emittunt, nodosámque sobolem.

Litem ducere interdum ac trahere conducibile est: interdũ vrgere, ac præcipitem agere, si occasio se dederit.

Huius diei disceptationem, litis cardinem esse duco, qui rei summã huc illúcve decernet. &, Huius diei acta litis erunt decretoria. vel, Huius diei edictũ iudicis, vt omen agnoui in causæ summam. Quod curia hodie interfata est, omen in euentum litis esse arbitratus sum. Id est, Spem mihi fecit in summam causæ.

Palæstra aduocatorum, vsúsque iudicialis peritorum, Basilica Parisiensis.

Præsides curia excedentes suæ dignitatis fascibus, & anteambulonum officio ambulantium turbam per basilicam summouent.

Litem vetustam & cariosam diplomatis mangonio interpolare.

Diplomatica venia edere articulose antea nec scripta, nec in medium allata, Articulare noua facta vocant.

Nata mihi erat controuersia & agitata maleuolente fori numine. Aduersis

auſpiciis forenſibus ius experiri mihi contigit. Verum ſibi res ſuas habeat forẽſe cõmerciũ, nuntiũ illi remiſi. Nihil iam mihi cũ foro, eiúſque comitatu.

Inquiſitores in cauſis priuatis ſubinquiſitoris indigẽt. In quæſtionibus autem apparitores curiæ, & alii quidam ſine cuſtode inquirere primum ſolent, antequam dies reis delatis dicta ſit. Ad teſtes autem rogandos cauſarum priuatarum, ſocium aut comitẽ prouinciæ inquirendi adoptari neceſſe eſt ab eo cui mandata eſt inquiſitio. Vir virum autem legere debet partibus nõ ingratum, altera parte reclamante.

Cauſa multæ expectationis, dignáque Roſcio cauſidicorum.

Quæſtor ærarius curiæ mulctas in tabulas actorum relatas, iure nexus exigit. Id eſt, Corporis comprehenſione. Iudicati etiam pecuniæ ob vim illatã, aut aliud maleficium, nexum inire tenentur quoad iudicato paruerint. AErarii, igitur facti cuſtodiarum numerum augent, vt inopes, qui pœnas pendunt prouocationum temere inſtitutarum. Fiunt etiam interdum quæſturæ veterum ærariorum, quorum domicilia longius abſunt à curia.

Sunt qui dicant è Repub. futurum, ſi reorum palatinorum acta diligentius obſeruarentur, quæſturáque veterum reorũ vni aut pluribus cuſtodibus mãdaretur à principe, cuiuſmodi Græci ἀντιγραφέας appellant. Sic enim fieret, vt nõnulli rerum capitalium inſimulati, qui neceſſariorum ambitu aut factione vadibus datis quibuſlibet gratioſè ampliati ſunt, aut alia ratione è nexu curiæ erepſerunt, multorum annorum ſilentio non ſeruarentur, vt qui ex antigrapho cuſtodum requiſiti repeterentur, aut reprehenderentur vt fugitiui. Nunc gratioſa & comis publici Actoris obliuio, vel incuria Reip. eiúſque cõſcripti ſilentium eblanditum aut ſpontaneum, cui quæſtionis inſpectio attributa eſt, inſtar eſt veniæ principis etiam in iis criminibus quæ maiora ſunt venia. Niſi verò quis tam procul abſit ab vrbe, à curia, à baſilica, vt huiuſmodi ignoret ludibria fungendorum magiſtratuum.

Det operam prouinciæ Præſes, cui exequendum curiæ decretum mandatũ eſt, vt imperium curiæ, maieſtatíſque regiæ auctoritas atque reuerentia ſtrenuè conſeruentur. In curia & vulgo dicunt, Faciat executor, vt rex & iuſtitia ſint validiores. Agmen autẽ cogi, & ad arma vocari inconſulto principe non ſolet, etiam ſi vis tentetur aduerſus edicta aut placita curiæ.

Sæpe euenit, vt cauſarum cognitiones inter duas curias iuriſdictionis ſummæ, controuerſæ ſint, vtriſque cõtendentibus ſuarũ eſſe finiũ lites, quas propter cõtrouerſias curia Cõſiliaris appellari ſolet ab iis litigatoribus qui ab ſuis finibus abſtrahi ſe grauantur. Curia magni conſilii vulgo vocatur, quæ comitatus regii ſummam habet cognitionem, ſi à prætoriano iudice prouocetur, præter alia multa cauſarum maiorum genera legibus principum illi mãdata. Moris eſt autem in ſupradicta ſpecie cõtrouerſiæ inter duas curias ortæ, cauſam quamprimum auocare vtrinque, iuſtitii tantum tẽporarii gratia, quoad forum ſuum cauſæ conſtitutum ſit. De hoc enim tantum ſuo iure ac pro imperio ſuo ſententiã dicere poteſt, nõ de re controuerſa, id eſt, Vtrius curiæ iuſta ac legitima ſit cognitio. Ad fines remittendi cauſas euocare appellant.

Eſt & aliud genus cauſarũ auocandarũ ad curiã comitatus, id eſt, Conſiliariã

principis & prætorianam. sed ea iussu tantum principis ipsius fieri potest. id est, auctoritate codicillari. Fit id plerunque ad cohibendas hominum præpotentium, vel in curia quapiam nimium gratiosorum factiones, & in necem aduersariorum coitiones, qui illic pares esse nō possent studio & ambitui potentiorum, aut gratiæ eorum quos commendat multitudo propinquorum & amicorum. Res ferè inuisa curiis, & nomine ipso inuidiosa, nec tamē perinde ab æquitate abhorrens. Multas enim causas iure inferiores, gratia & suffragiis superiores, in ordinem redegit iurisdictionis seueræ & legitimæ. Idque è Rep. & singulorum esse, atque existimatione iustitiæ ius suū cuique tribuentis, claris inclaruit exemplis. Huícque instituto hominum cupidorum improbitas, iudicúmque apertè iis studentium impudentia comperta, magnos patronos asciuit. Sed vsus immodicus, & causarum ludibria pro iustis causis cedentia, rem inuisiorem facere in dies pergunt. Princeps etiam interdum quasdam causas è curiis ita auocat pro imperio regio & legibus superiore, vt cognitionis regiæ faciat.

Cognitiones quædam causarum & lites vernaculæ sunt & indigenæ, quales sunt ordinariæ: & quædam peregrinæ & exteræ. Et litigant homines apud iudices suos & vernaculos, seu municipes: quidam apud exteros, vt qui codicillis euocantur ad recuperatores basilicanos. Causæ etiam ipsæ vel municipales sunt ciuilésque, vel externæ & aduentitiæ, peregrinæ & aduenæ.

Tabulæ iudicialis simulachrum perfundere animos iudicum iudicandi religione, simillimum veri est, si tam sæpe in animos, quàm in oculos incurrat.

Qui interdictum intendit retinendæ possessionis, in ea verba querelam rerum nouarum concipit, quòd interpellatam contendat suam, certam, pacatámque possessionem. Non plus autem annum, aut certè annum & diem esse contendat, cum ipse acquiescens in suo iure interpellatus est. Iudicium autem dictare interpellatori debet, non ei cuius commodo cessit obturbatio.

A reo statim in alienum forum vocato, omnia in eam sententiā dicta sunt, quare ad suum forum transferenda lis esset. Quod cum ei pernegatum esset, appellauit curiam. Ea res iudicis cognitionem diremit. Vel, Prouocatio disceptandi finem fecit. Iudex enim intelligebat abrogatam sibi interim iurisdictionem esse qua de re agebatur.

Recognoscere bona hæreditatis, est Inuentarium facere. Curtius, Postridie supellectilem Darii & omnem pecuniam recognouit. Index autem bonorū, est Inuentarium. Quem indicem is qui faciendum curauit, si eo vti velit, iureiurando agnoscere debet moribus, eique coronidē addere, clausulámque solennem. Iurata coronide claudere indicem absolutum, dici potest.

In iudicium vt hæres vocatus, deliberaturum se respondit intra dies cōstitutos, quid consilii caperet, vel quid sui esset officii. Iustis autē diebus elapsis, sese eiurasse testatus est ius cernendæ hæreditatis, vel abnuisse hæreditatem.

Cognitor subdititius, est adulterini mandati cognitor, hoc est, Falsus procurator ad causam. &, Exceptione adulterini mandati summotus ab actione. vel, Mandati renuntiati exceptione repulsus.

Infectum mandatum cognitori facere, & Mandatum renuntiare, est Ab eo

agenda in posterum abnuere.

Producere diem condictum in crastinum vel perendinum diem, Cōtinuare assignationem vocant. Liuius, Ita producta die conciliū populi extra portam Flumentanam indictum est.

Diem diffundere, est In crastinum reiicere.

Hac de re instauratum triduum classium curiæ conciliū, vel Instaurata triduum curiæ comitia. Hoc est, Tribus diebus curia coacta est propter huius rei iudicium, vel decretum.

Recuperatores à rege in ea verba dati, Quicquid pronuntiarent, id ius ratúmque perinde futurum atque si arestum curiæ esset. vel, Eiusce rei causa iudicandæ arbitri à curia in hæc verba dati, Quicquid ea de re arbitrati essent, id instar iusti aresti esset, nec ab eo prouocari ius esset. Liuius, Vt perinde ius ratúmque sit, acsi in Panætolico concilio dictum esset.

Quod cognitor absente litis domino, sine mandato eiusce rei ergò nūcupato, duntaxat curia non auctore egerit, fecerit, agendum, faciendum mandarit, id nec ius, nec ratū esto. Id perinde sit, acsi nec actum, nec factū foret.

Ad hanc rem transigendam nō Titius cognitor causæ, sed Seius pro cognitore affuit. Id est, Vt substitutus procuratoris.

Siquis è conscriptis curiæ capitalis fraudis crimine delatus sit, hunc damnari vel absolui pro vniuerso curiæ concilio moribus proditum est. vel, Pro vniuersæ curiæ sententia. vel, De vniuersæ curiæ sententia.

Reus rei capitalis, etsi crimen non inficietur, tamen coram arguēdus est. Id est, Testes cum eo componendi.

Arguere literas atque auctoritates ab aduersario prolatas, Cōtradicere vocant. Et quæ Contradicta vocamus, Argumenta refellentia dici possunt. Cic. pro Cecinna, Alter testis non modo Ebutium, sed etiam seipsum arguit. Liuius, Primo eleuabatur index indiciúmque, deinde vt coràm arguebantur, fassi omnes atque in dominos seruósque animaduersum est. Et, Argumentis refellētibus auctoritates, vel maledictis testes infamantibus & eleuantibus rescribere, est quod Saluationes tradere dicūt, Argumentis probrosis rescribere, Maledicta probrosa scripto diluere, Calcatam testium obtritámque fidem subleuare, Cum argumētosa testificatione auctoritatúmque eleuatione paria facere, Nec chartæ parcere, nec dispendio causæ chartæ compēdium facere.

Litigatores octonis diebus scribere vicissim rescribereque iussi. Id est, Scribendi rescribendíque vicissitudine octonaria certare. Octonis diebus testiū fidem labefactare, totidémque confirmare.

In causam aliquē deducere, In causam trahere, Subscriptorē asciscere, Eadē lite implicare. Liu. Petebāt, ne se temere in causam deducerent expositos aduersus Italiam pro omni Græcia, & primos Romanorū impetus excepturos.

Aduocatus frequens septi forensis stipator, ab ineunte ætate assiduus actionum curialium altercationúmque discipulus. Institutis curialibus formulísque à tyrocinio suo imbutus. Ab incunabulis curriculi forensis alumnus curiæ perpetuus.

Ea res vt minime memorabilis, tacito curiæ decreto memoriæ exēpta tabu

larum publicarum, vel actorum curiæ. Id est, Vt è regestis curiæ eximeretur. vel, Decretum, vt memoriæ tantum hominum, non tabularũ memoriæ scriptæque mandaretur. Retentum curiæ vulgo vocãt. Curiæ eiusce rei obliuionem esse placuit. Rex eiusce rei amnestiam esse iussit in perpetuum.

Implorare leges, instituta maiorum, curiæ fidem, Iustitiæ nomen identidẽ ciere, hominis est iniuriam aut vim passi ab aliquo præpotente, aut gratia flagrante apud eos qui iurisdictioni præfecti sunt.

Id ab eo ius cum post x. x x. x x x. x x x x. annos, & post hominũ denique memoriam, tum verò post annũ semper vsurpatum esse contendit. Verba sunt intentionis scriptæ in interdicto retinendæ possessionis.

Affuit causæ auctor laudatus, assertorémq; rei vindicatæ obtulit. Id est, Emptorem non destituit.

Auctor in iudicium vadimonio accitus, auctoritatis defensionem prodidit quam promiserat.

Liu. lib. 2. de bel. Maced. Imperia inhibita vltro citróque, & mulctæ dictæ, pignoráque capta, appellatíque tribuni. Simile est propemodum quod fit hodie inter duos iudices ex æquo rei controuersæ iurisdictionem vsurpantes occupationis iure. vndẽ sæpe curia appellatur. vel si id inter duas curias summæ iurisdictionis contingat, Consilium Prætorianum appellatur, vel Regii comitatus, vel Curia regis viatoria.

Disceptatio partium iuridiciali formula constituta, perplexam causæ iudicationem faciet. Id est, Difficilis erit iudicatu.

Ephemerides curiæ, sunt acta cuiusque diei in tabulas relata.

Postulare auctoritatem curiæ ad inquirendũ, Commissionẽ vulgo vocant.

Priuatorum criminum quæstiones interdum in ciuiles disceptationes exeunt, & nouam formam accipiunt, ex æquóque vtrinque partes disceptant, siquidem reus ad causam dicendam per patronum admittitur, & ad inquirendum diluendi criminis depellendíque causa.

In interdicto retinẽdæ possessionis, quæ Possessiones baptizatæ in foro vocantur, Consectaria capita iuris vsurpati dici possunt, ab vtraque parte edita. In iis enim series vsurpati iuris & possessionum consecutio exposita est, ordine possidendi consentaneo & congruenti. In quibus consectariis concipiendis animaduersione non oscitante opus est, quando iis ius stat interdicto experiundi vincendíque.

Cum ad locum & diem inquirendi ventum est, is qui testibus testimoniũ denũtiandum mãdauit, edere debet aduersario suo testiũ nomina, eorúmq; cõditionẽ, vt inquirere ille in eos possit, eósque refellere, si sibi ita visum sit.

Eripere legibus & pœnæ reum vel ambitu, vel factione, vel exorato principe deprecabũde, aut alio qui eripere aut subducere iure magistratus & imperii possit. Id cũ muneris honorarii loco poscitur, Exposcere dicitur, & Græcè ἐξαιτεῖσθαι, & Deposcere. Valer. lib. 9. de Pompeio loquẽs, Ille verò non etiam in foro erubuit, P. Scipionẽ socerũ suum, legibus noxium quas ipse tulerat, muneris loco à iudicibus deposcere. Cic. pro Flacco, Deprecari dixit, Siquem infimo loco natũ, nullo splẽdore vitæ defenderẽ, tamen ciuem à ciuibus hu-

manitatis iute deprecarer, ἐξαιτήμην ἄν. Expoſcere verò & Depoſcere reum ad iudicium vel ad pœnam, eſt quod nunc dicunt Remittendum quærere. Quod facere ſolent ii qui contendunt ſuam eſſe admiſſi maleficii cognitionem. Liu. lib. 8. de bel. Maced. Legati ad expoſcẽdos violatores fœderis ex tẽplo Lacedæmonem miſſi ſunt. Idem alibi, Res ex fœdere repetũtur, publica fraus abſit. Auctorem culpæ & reũ criminis depoſcũt. Alibi, Ad ſupplicium depopoſcẽre me ducẽ, ἐξητήσατο & ἐξῄτησε. Expetere pœnas ſignificat, quod Petere iuſtitiã ob maleficiũ dicunt. Cic. de Nat. deor. Vt ſiquis morte pœnam ſceleris effugerit, expetãtur hæ pœnæ à liberis, à nepotibus, à poſteris. Liuius, In omne nomen Albanũ expetiturum pœnas ob impiũ bellum dictitãs. hoc eſt vltimum. Cic. in quadam oratione, Dii ob delicta pœnas expetiuerunt.

Interim dum iudicium reiectaneum agitur, conticinium eſſe debet à iudice reiecto: alioquin ſententia nulla erit iudicis qui non ceſsit reiectioni. Et ſi eam ob rem curia appellata ſit, cauſæ cognitio ad alium tranſcribetur.

Quando actor & reus ſcripta reſcriptáque ſua inter ſe comparare iuſsi ſunt decreto iudicis, aut extra iudicium inter eos conuenit intra quotum diem ſcriptiones ipſas inter ſe compoſitas conſtituerent, ſiquæ capita reiectanea eſſe videantur in alterutrius ſcriptis, ſuper eo diſceptandum eſt, à iudicéque pronuntiandum.

Facere ſui controuerſiam iudici, ſignificat Remittendum ſe ad ſuum forũ poſtulare. hoc eſt, Allegare incompetentiam. Sic Fidei clientelaris controuerſiam facit is, qui ſe beneficiarium alicuius eſſe negat.

Interceſſor interceſsionem, & prouocationem prouocator remittit, quando eam renuntiat iudici executoríve, & ſuo aduerſario, & morã ſe facere negat lege agenti, aut cognoſcere pergenti.

Viatori non licet moribus iudicis partes præſumere, & iudicis perſonã induere, Pro poteſtate cauſæ cognoſcere, Arrogare ſibi iudicium, & diſceptatorem agere.

Inſtrumẽtum litis. Quintil. lib. 12, Adeóque opus eſt intueri omne litis inſtrumentum, quod videre non eſt ſatis, perlegendum erit. Litem igitur copioſe inſtructam dicere poſsis, vel ieiune & anguſte. Et rurſus, Breuiter, ſed commode, compoſite, probabiliter. Et Litem non modo large inſtructã ampléque, ſed etiam ornatam. Erit & cauſa inermis vel ſemiermis, & quædam armata ſuo inſtrumento, quaſi cataphractis copiis, id eſt irrefutatis. hoc eſt, Cui timendum non eſt, vt ad victoriam certam paratæ.

Nullum non eruendæ veritatis aditum tentare, Omnes tenebras illuminare, Probationum receſſus quamlibet ſinuoſos penetrare indagando, omnibúſque veſtigiis veritatem rei quærere.

Quidam rogati ſententiam, omnes iuris anfractus obire, longiſsiméque excurrere cenſendo ſolent, leges ciuiles, pontificias, reſponſáque prudẽtum ac iuris enarratorum fundere: deinde frigidum epilogum vagæ diſputationi addere. nempe quaſi memoriæ ſpecimen edatur, non cauſæ iudicium æquitáſque agatur.

Cauſa probationibus deſtituta, ieiunis auctoritatibus prædita, cauſa nulla fi-

de,nulla auctoritate vendibilis. Probatio æditis factis impar.

Litem & controuersiam vi & armis,non iuris ac iudicii disceptatione exercere. In armis ius experiri,quod vincere disceptatione non possis.

Litem longo interuallo repetere diplomatis venia. Causam lōgo situ obductam excutere,refricare,retractare.

Lites principum non in iure,sed in campo disceptabiles. Causa parum certa,sed tamen disceptabilis.

Causæ quædam probabilis sunt argumenti,quædam disceptabilis,quædam vtriusque participes. Id est,Quarum iudicium partim testificationibus stat; partim iuris disceptatione. Hoc est,Partim inficiali formula constitutæ,partim iuridiciali. Quarundam litium probatio decretoria,quarundam iuris disceptatio.

Primarii iudices dici possunt Prouinciarum præfecti, à quibus protinus ad curiam prouocatur. Secundarii,à quibus deinceps prouocatur:à quibus tertius aut quartus curiæ est iudicatus. quales sunt castellani,pagani, & qui non sunt regales.

Quæstionem illatæ vis vel iniuriæ libello postulare,est Petere veniā inquirendi,vt bona venia curiæ liceat inquirere,& Curiæ renuntiare. Curia autem Decernere dicitur. Hoc est,Libello subscribendum iubere, auctoritatémque inquirendi curiæ verbis dandam. Liuius lib.2. ab Vrbe,Quæstionem postulātibus iis qui pulsati fuerant,decernente ferocissimo quoque , non sententiis magis quàm clamore.

Quæstionem exercere, est Processum rei extra ordinē facere,vt loquimur in foro. Cic. in Finibus, Qui cum Prætor quæstionem exercuisset inter sicarios,aperte pecuniam cepit.

Quærere crimen testibus, tormentis, vel per tormenta , omníque ratione quæstionis agitandæ,comperiendǽque veritatis.

Præscriptione non prolati intra diem instrumenti exclusus. Forclusus vulgo dicitur.

Hic est cardo causæ meæ,Hæc summa mihi quæstio , Hoc est quo ego maximè nitor,In eo ego fiduciam iuris experiundi posui.

Conferre pedem non recuso. Id est,Tergiuersari nolo. Cic. Nō possum magis conferre pedem,aut propius accedere. Rectà pedem cōfert, vulgo dicūt, Liberè ad punctum venit.

Pedem causa efferre,est A lite digredi,Exire ex argumento in iudiciū deducto. quod fit ab iis qui vltimi discriminis dimicationem refugiunt.

Per me licet vt in hoc quod contendis & ponis, summam controuersiæ cōstituamus:vt id sit litis decretorium. Id est,Ius accipere ex eo paratus sum.

Eodem in vestigio intentioni actoris respōdere. Id est, In te præsenti, illico,ex tempore,dilationem non petere.

Iudicem curiam,vel alium iudicem nō recuso. Deposco etiā curiā disceptatricē,si curiæ placeat causam è municipio auocare. Cic. Pop. Romani disceptationem non modo non recuso,sed etiam deposco. Recusare aliquando est Inficiari quod factum dicitur. Idem in Partit. Deinde subiiciat rationem

recuſationis ſuæ, id eſt, Depulſionis. Loquitur enim de reo inficiante. Recuſare etiam eſt Excuſando detrectare, vel Iniquũ eſſe dicere quod petitur. Quintil. Iuſiurãdum recuſant cum ab ipſis exigitur. Cic. pro Cecinna, Quoniam ſatis recuſaui, venio quò vocas. Id eſt, Quoniam ſatis docui iniquum eſſe quod poſtulas.

Recuperatores nonnunquam extra ordinem certo numero à principe dãtur, ad iudicandas quaſdam cauſas à curia prius auocatas. Huiuſmodi ferè erant διαιτηταὶ apud Græcos. Idque iudicium recuperatorium princeps iubet ſemel rei decretorium eſſe. Hoc eſt, Inſtar eſſe areſti. Sunt etiam Recuperatores in curia, qui vulgo Commiſſarii dicuntur. Et Cauſæ certi cuiuſdam generis ſunt, quæ in recuperatorium modum iudicandæ ſunt. Id eſt, Quæ vniuerſæ iudicari non poſſunt, ſed partibus iudicandæ ſunt.

In hac lite dipondius tuus agitur, in quam tu acriter incubuiſti, magis vt mihi negotium exhibeas, quàm vt rem tuam ſerues. Idque vel odio mei facis, vel aduerſarii mei ſtudio. Id eſt, Hæc nihil ad te pertinet re vera. vel, Perparui tua intereſt, quod inter me & aduerſarium meum agitur.

Res diu concertata, tandem in diſceptabilem modum conſtituta eſt; ex vltro citróque dictis in ſyngrapham à partibus conflandam referendis. Vulgo vocant Actum à partibus accordatum.

Coram diſceptatore dato non tam diſceptatio quàm dimicatio fuit: nec tã Litigium, quàm Iurgium vocari ea concertatio debet.

Cauſa quæ in procinctu ſuperior eſſe videbatur, in ipſo iudicatu conſpicuè inferior apparuit. vſque adeò res iudiciaria in contrarium vertit ad extremũ, quàm præ ſe ferre videbatur.

In exercenda lite aut inſtruenda falſi ſe alligare.

Suſcipere in ſe litem auctor debet, euentúmque præſtare.

In rem præſentem venire, ibíque vindicare, id eſt, Digito demõſtrare rem petitam.

Contradicere inſtrumento litis, Contradictáque diſſoluere, & Cõtradictorum diſſolutio, Saluationes vulgo dicũtur. Quintil. Cic. 2. de Orat. Quia neque reprehendi quæ contradicuntur, poſſunt, niſi tua confirmes: neque hæc confirmari, niſi illa reprehendas. Contradicere, aliquando eſt ἀπολογεῖσθαι, & recuſare. Idem pro Plancio, Quod in hac cauſa contradicẽdum eſt, in qua hominum ipſorum videtur eſſe facienda contẽtio. Et ad Qu. fratrem, Gabiniũ de ambitu reum fecit P. Sylla, contradixit L. Torquatus: omnibúſque libentibus non obtinuit.

Prouinciæ à curia vel in curiam prouocatione ius petentes, ſunt quas Reſortiri dicimus, id eſt, Iterum de eadem cauſa ius experiri. Plin. Hi in Beticã iura petere iuſsi ſunt. Curtius, Hunc exitum habuit regia totius Orientis, vnde tot gentes iura petebant.

Rei damnati qui curiam appellauerunt, ad curiam cum elogiis ſuis, & cum quæſtione perſcripta aduehendi ſunt.

Quæſtio crimino ſiſsima dici poteſt, & Teſtimonia criminoſiſsima, quæ reũ valde premunt. Conſcii & affines criminis, ad quos aliquãtum crimen vel

quæſtio pertinet.

Reus ſemper inficiator confidentiſsimus, teſtibus aut indicibus compoſitis exanimatus eſt, & ad infantiam redactus. Expreſſa eſt tacita ab eo confeſsio, cum deprehenſus inficiari non perſeueraret niſi labante fiducia: & velut coràm ab indicibus iugulatus, animum deſpondere cœpit.

Vniuerſim teſtes rogantur ad conſuetudinem probandam, vel Decuriatim teſtificantur. Res vniuerſim vel decuriatim teſtata. Cic. in Verrem, Vniuerſi decreuerunt. Id eſt, ἀθρόως, vnà omnes iudicauerunt.

Deferre nomen alicuius vt malefici, eſt ferè quod Denuntiatorem eſſe dicunt, non iuſtum accuſatorem.

Iudicis ſententia in bona poſſeſſum miſſus, ex Liuio lib. 8. bel. Maced. Sic nunc dicas, In bona publice poſſeſſum mittere, eos qui Commiſſarii dicuntur. Id eſt, Sequeſtres pignoris prætórii, vel rei interdicto controuerſæ.

Fero tibi iudicem, ni vi, bona poſſeſſum ieris. Id eſt, Contendo, & Iudicium tibi dicto ob bona vi rapta, vel ob poſſeſsionem vi captam.

Adumbrare in cauſa ſibi aduerſarium. Hoc eſt, Apponere præuaricatorem. Et Adumbrare perſonam petitoris in cauſa. Hoc eſt, Vtendum nomen rogare alicuius ad concinnandam calumniam & inſtruendam.

Reuocata teſtimonia, ſunt repetita, quæ Recolamenta vulgo dicuntur. Et Reuocati teſtes, qui iterum teſtificantur. Ex Cicerone & Valerio.

Redhibitoria actione iure gẽtilitio nata, emptor fundi cõuentus ab agnato vel cognato, remancipare tanti coactus eſt ipſum fundum, quanti mancipio acceperat, cum iuſtis pretii corollariis, & acceſsionibus.

Iudicium dictare remancipationis pactitiæ. Hoc eſt, Redhibitionis conuentionalis.

Amittere è manibus, vel de manibus (ex Cicerone) coguntur prædia ſacerdotio quocunque titulo quæſita ſacerdotes, niſi codicillos emortuæ manus impetrauerint. Hoc eſt, Remancipationis veniam.

Cauſa ſæpe retractata & commentata, necdum tamen abſoluta eſt.

Cunctationem deliberandi præcidere vel eximere. Id eſt, Cogere ad extẽporalem defenſionem.

Præcidere capita ſententiæ, ob quæ curiam appellauit, appellator cogitur. Hoc eſt, Præciſe edere. Ex Cicerone.

Reo eremodicii iudicato præciſa eſt intentionis recuſatio, duntaxat ſalua inficiatione. Hoc eſt, Cum eo tamen, vt ſaluum ſit ius inficiandi quod petitur.

Eremodicium diplomate vel conuento remiſſum, reúſque ad eam cauſæ partem vnde ceciderat, reſtitutus eſt ab integro, cum eo quidem, vt damnum eremodicii ſumptúſque actori rependeret.

Prouocatio diplomate vel conuẽto inducta cum ſententia vel legis actione, quam propter curia appellata fuerat: vel cũ eo vnde nata prouocatio. vel Eremodicium infectum factum eſt cum eo quod inde natum erat.

Inducere litis cognitionem, eſt Litem expromere, & in conſilium mittere. Quod inſpectores facere ſolent, cum occupandi loci dieique occaſio eſt. Plin.

n. ii,

nius, Postero die causæ cognitio variis sermonibus agitata est. εἰσηγμένη δίκη. Vnde causa οὔπω εἰσαγώγιμος, nondum in consilium mittenda, nódum inductioni matura, nondum inducenda. Actuariorum autem officium est in præfecturis, instructas causas promere iudicibus & introducere. Inductiones autem causarum, muneris sunt præsidum in curia.

Comperendinatum reum intra promœria circũscribere, & Reus intra pomœria comperendinatus, & Reus comperendinatus ad viam ad curiam, vel ad aliud iudicium ineundam, vel ad diem vadimonii obeundum. Et Reus ad curiæ prætorianæ comitatum suæ fidei creditus. Ad comitatum consilii relaxatum dicunt.

Dies legitimi ordinis iudicialis, vel curriculi causarũ, Dilationes vocãtur.

Curia actori tunc actione submoto, iuris experiundi potestatem eadem de re saluam fore cauit, duntaxat cum eo quícum, apud quenque lege agi ius esse æquúmque videbitur.

Curia liberam iurisdictionem habere doctorum opinione existimatur, sola quidem certè religione fidéque iudicandi obstrictam. Cæteri iudices obnoxio & legitimo iudicatu funguntur, vinculis legum moréque maiorum astricto. Id est, Non ex animi sententia conscientiáque sua iudicare possunt.

Hæc causa disceptatione concertata, diiudicata, cófecta est. Ex Cicerone in Partit. Illa verò non iudiciali disceptatione, sed conuento transacta.

Dies inquirendi postulata & impetrata exiit. Id est, Dilatio præteriit, non vna, sed altera & tertia.

Tumultuariæ cognitionis res est & cõpendiariæ. Vulgo Summariæ dicũt.

Legem in se sciscere testes non refellendi, vulgo Ligare se dicitur.

Reiicere reum ad leges suas. Cic. in Verrem. pro Ad suum forũ remittere.

Reiicere causam difficilis iudicii ad aliud consilium amplius. Cic. ad Qu. fratrem, Reiectæ legationes ad Idus Febr. ἀναβέβλωνται.

Postulatum est ab aduocato, vt de ea altercatione ad consessum tribunalitium referret. Ex Cicerone ad Atticum. vulgo, Interrogaret curiam dicunt.

Cum de admittendis aut reiiciẽdis testimoniis altercatio orta esset, alterius aduocatus vehementer contendit, inquisitionis aduersarii rationem habendam nullam esse, esséque è litis instrumento reiiciendam, vt improbandam.

Appellare, est Iudicium dictare. Quintilianus libr. 5, Eras pauper, & hæres, & appellabaris magna pecunia à creditoribus. Vbi magnæ pecuniæ lego. Sic enim Appellatus pecuniæ dicitur, vt Arcessitus, & Dãnatus, & Iudicatus. Modestinus de nautico fœnore, Si nemo sit qui à parte promissoris interpellari traiectitiæ pecuniæ possit. Colum. Nec rursus in totũ colonis ius est remittendum. Quin vel optima nomina non appellando fieri mala fœnerator Alphius dixisse fertur. Id est, Locupletissimi debitores decoctores fiunt, si diutius non interpellentur, in iudiciúmque vocentur.

Retractare causam situ & carie obsitam. Id est, Eius exercitationem interpolare, & tanquam situ excusso sacculos exẽterare. Veterem litẽ, & obliuione sepultam denuò in manus sumere, Impetrata venia litem derelictam persequi, veteráque vestigia repetere, ab iísque nouã persecutionẽ instituere. Re-

tractare causam finitam iudicatámque, vel alio modo diremptam, est ipsam litem diplomatis venia iterum tractare & agitare. id enim Retractare significat. Plin. Capitoni, Interim cum tot egi magnas & graues causas (etiam si mihi tenuis ex iis spes est) destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est, studii addidero, mecũ pariter intercidat. Id est, Nisi emendauero exceptas à scribis actiones meas. Sic hodie aduocati altercatrices suas actiones retractant, quas exceptor actuarius inter agendum in tumultuariis actis exceptat. Exceptores enim sunt qui notis scribunt: & manu, linguæ celeritatem æquant. Tranquil. in Tito, E pluribus comperi, notis quoque excipere solitum velocissime. Id memoria sua inuentum esse Seneca dicit libro 14. Epist. Quid verborum (inquit) notas, quibus quanuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur? Opus autem retractatum pro Emendato & Limato dicitur. Cic. ad Atticum, Sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius. Irretractata igitur altercatio est, quod lingua vernacula vocant Placitum non correctum. Retractare causam, etiam est denuo agere & defendere. Idem pro Murena, Tertius est ille locus relictus de ambitu, perpurgatus ab iis qui ante me dixerunt, à me (quoniam ita voluit Murena) retractandus. Id est, Iterum explicandus.

Moris est curiæ, aduentu matutino vacare recitãdis libellis postulatorum, iisque subscriptione responsitare, χρηματίζειν ταῖς τῶν ἱκετῶν γραμματιδίοις, vel ἱκετηρίαις τῶν δικαζομένων.

Instaurare litis ordinem cursúmque eremodiciali sentẽtia iudicatæ. Et Lis instauratiua huiusmodi dici potest, quæ eremodiciis & sententia rescissis ab integro instauratur. Rescindere enim verbũ hoc significat. Cic. in Verrem, Fecerat enim hæc egregie primo aduentu Metellus, vt omnes istius iniurias, quas modo posset, rescinderet. Id est, Iniqua decreta & iudicia irrita faceret. Lucret. Nec validas valeant æui rescindere leges. Instaurare iterum & tertium inquirendi diem, Renouare dilationem.

Vtenti & fruenti patientiam accommodare. Hoc est, Sinere eum frui.

Precabunde deferre summæ rei cognitionem curiæ. Supplicare curiæ, vt principalem causam auocet inter iudicandum prouocationis litem. Deposcere curiam iudicem summæ rei.

Iugulum causæ petere, & cardinem causæ labefactare.

Eremodicialem sententiam inducere vel circunscribere venia codicillari, & causæ ab integro defendendæ litigatorem restituere.

Curia actorẽ id postulantẽ, testésque accitos saluos fore recepit, domúmque tuto reduces. Id est, In fidem suam recepit. Tutum illis cõmeatum à reo esse iussit pro imperio.

Consiliarius primæ sententiæ & exemplaris, in causis maioribus aut deliberationibus rerum magnarum sententiæ prærogatiuæ.

Centũuiralis curiæ duæ sunt decuriæ maiores. Vna cõiugatorũ, altera cælibũ. Hæc est enim diuisio summa curiæ. Hæ in quatuor cõsilia diuisæ sunt, quæ & Classes dici possunt, & Decuriæ promiscuæ. Classici autẽ propriẽ dicẽtur ii qui sunt primæ classis: vt olim apud Romanos Classici ꝓpriè dicebãtur οἱ ἐκ τῆς

n. iii.

πρώτῳ τμήματι. Licet etiam πολῖται οἱ ἐντελεῖς, οἱ ἐν τῷ τμήματι. & Claſsicos eſſe factos, vel Ad claſsicos tranſiſſe dici poſſunt ii, quibus in magno auditorio ſedere iure ſuo licet. Cæteri infra claſſem quodammodo eſſe videntur. Vicenaria claſſis, quæ memoria noſtra conſcripta eſt, Nouæ claſſis nomẽ aliquandiu obtinuit, diutule etiam infra claſſem eſſe proprie exiſtimata eſt (vt antiqui loquebantur) quaſi aſcriptitiorũ, & ſuperuacanea. Quæ nota hominúmque opinio vt memoriæ eximeretur, pars eorũ in alias claſſes cõtributi ſunt, & par numerus aliarum claſſium in illam intercalatus eſt in ſupplemẽtum. Vnde factum, vt inter hos intercalares quaſique minorum gentium, & antiquos quaſique maiorũ gentiũ conſiliarios nihil iam intereſſe videatur. Vt olim Patres & Conſcripti permiſcuè appellati ſunt. Nomẽ tantum Nouæ claſſis loco hæret. In hominibus autem id demũ referri videri poteſt, quòd maiorum quidam gentium Cõſcripti dici poſſunt, in quibus dignitas, doctrina, grauitas, atque exiſtimatio priſcos mores refert. In aliis omnia penè contraria, diſcrimen luculentũ faciunt inter magiſtratus eorundẽ auſpiciorũ. Præſidum autem curiæ appellatio abſoluta apud eos qui religionis antiquæ obſeruãtes ſunt, ſolum eſt quatuor primorum, quibus in magno auditorio præſidere ius eſt. Sex autem alii qui claſſes ducunt, non Præſides abſolute, ſed Inquiſitionum præſides appellantur. Permagni autem referre cenſent Præſidẽ eſſe curiæ, & in claſſe ſua quenque ductorem eſſe. Quod luculentius diſcernitur in comitiis curiæ, cum in ordinem rediguntur omnes præter quatuor. Curiatis autem comitiis adoptari vnũquenque cõſcriptorũ moris eſt, qui codicillos regios porrexerunt curiæ mandati ſibi honoris, quos & ipſos oportet doctrinæ ſuæ ſpecimen ſub certis iudicibus facere, quibus ea prouincia à curia data eſt. Ad quod non antè admittuntur, quàm integræ perſonæ eſſe comperti ſunt, & poſt alia quædam diſceptata atque ad diſquiſitionem curiæ vocata, quæ adoptandis obſtare ſolent. Ex renuntiatione autem percunctatorũ, qui explorare eorum doctrinam iuſſi ſunt, vel admittuntur illi, vel repulſam patiuntur, quod rarò accidit. Ante triduum autem aut quatriduũ in magnũ auditorium prodire ſupplicabunde ſoliti ſunt, ad legem exploratoriam accipiendam ab eo qui tunc habet auſpicia curiæ. Id quod eſt quaſi Quæſtionem in conuentu poſcere, vt Cicero in 2. de Finibus locutus eſt. cæterũ non ex tẽpore agitandam & exercendam, vt ille Leontinus faciebat.

Curia facta infecta fecit, & cauſæ ab integro defenſitandæ prouocatorẽ reſtituit, impendiis prouocatoriæ litis mulctatum, & centuſſe vel gemino aut tergemino, prout prouocationis cauſa aut hornotina, aut bima, trimáve cõperta eſt.

Reo ampliato permiſſum vt cauſam diceret, & teſtimoniũ quibus [illegible]let denuntiaret. Id, Recipi ad ſe iuſtificandum dicunt.

Imperium iudicis detrectare & abnuere, eſt quod Obedientiam recuſare dicunt. & Homo imperii inhibiti detrectator.

Litigatori quamlibet frugi vix vnquam ratio ſumptuũ iudicialiũ conſtat.

Ea quæ litem decernunt, cognitorio munere maiora ſunt, niſi mandatũ in hoc verbis cõceptis datum habeat. Quæ autem ordinandæ liti inſtituẽdæque

ſunt, cognitor pro poteſtate tranſigit.

Omnia cauſæ acta curia cùm prouocatione circunſcribenda cenſuit. Id eſt, Irrita fecit.

Vix eſt vt vir bonus iudex, munerisſui priuatiq; facere ſuſtineat quod muneris eſt publici atque neceſſarii iuriſdictione fungentium. Neque enim cādidi eſt animi, innocentíſque viri, id munificentiæ atque obſequio acceptum referri velle, quod iuri ac legibus debere ſe intelligit.

Quidam iudices per detrectationem fungēdi officii remoras alias ſuper alias comminiſcuntur, ita gratiā ineuntes ab vna parte, vt alteram tædio, ſumptu, & moleſtia enecent, auocamenta captantes captatoria atque impudentia. Sícque ſe poſſe de multis impunè bene aut ſecus mereri, ſtipendiorū ſuorum corollaria eſſe cenſent commoda & luculenta.

Litis iam in medium poſitæ, atque formidoloſi exitus, conſilium & iudicatum abrumpere, ſub velamento ſupplendi inſtrumēti, ſubſidiariarúmque copiarum quæ nuper acceſſerint.

Expugnatū decretū cōcertatione multa. Id eſt, Poſt multam altercationē.

Aduerſarii duo in foro rectè & aptè commiſsi, laniſtis cognitoribus improbis, vel aduocatis potius, ne dicam iudicibus vicem eorum non dolentibus: Vulgo dicunt, Par bene compoſitum, vt illud Horatii in 1. Serm.

-Rupili & Perſi par pugnat, vti non
Compoſitus melius cum Bitho Bacchius, in ius
Acres concurrunt, magnum ſpectaculum vterque.

Soluere conſuetudine vel ſanctione, legéque, ſolus princeps poteſt.

Veniam legis dare, Gratiam ſanctionis facere. Tranquil. Edicti gratiā fecit.

Vi imperii ad obſequium redigere, pro Imperio coercere.

Capite & fortunis cauere, ex Plinio, Nexum corporis ſyngraphæ pacto inire, Nexu corporis & fortunarum ſeſe alligare, Fortunas perſonámque pignori cautionis opponere, Hominem pignoráque obſtringere, Poſſeſſorē poſſeſſionéſque obligare, τὸν κεκληρωμένον τε καὶ τὰ κτήματα ὑποτιθέναι. Capite cauere ſignificat, non modo vitæ, ſed etiam famæ diſcrimine. Cic. pro Quintio, Nam quid iniquius Aquili, quàm me, qui caput alterius, fortunas, famámq; defendam, priore loco dicere? Et in Verrem, Diligēter caueret, nequid eſſet in literis ſociorū, quod contra ſuum caput atque exiſtimationem valere poſſet. Perſona autem Latinè in hoc ſignificatu dici poteſt. Idem Philip. 12, Quòd ſi habēda cum Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen perſona ad iſtam pacē conciliandam minimè fuit deligenda. Et in Prætura vrbana, Sed ego defenſorem in mea perſona, nō accuſatorem maxime laudari velim. Et Philipp. 6, Nō alienū fuit perſonas quaſdam à vobis recognoſci, vt quibuſcū bellum gereretis, poſſetis taciti cogitare: de Antoniis & Trebellio loquēs. Et pro Cluētio, Qui ſuppoſita perſona falſum teſtamentum obſignandum curarit.

Exemplaris memoria antiqui moris ex tabulario repeti ſolet, cū quippiā vſu venit agendum aut curiæ conſulto decernendum. Inſignia enim quædā vel acta extant, vel placita curiæ, quibus quaſi canonibus in medium prolatis formulæ concipiuntur eorum quæ decernenda ſunt vel conſtituenda.

Aduocati quidam quo iure quáque iniuria clientibus suis morigerantes, litem alienam, suam sæpe faciunt, litigatorum animo non causidicorum causas agentes, aut scriptum facientes.

Controuersia de iuris aut litis transcriptione. Id est, Super surrogatione.

De medio excessit vel reus delatus, vel decoctor.

Homo forensi infortunio mactatus, iudiciali offensione calamitosus.

Scitis curiæ tenentur omnes qui in curiam prouocationis iura petunt, qui in curiam resortitione conueniunt. Scita autem curiæ, sanctionum regiarũ instar habent, quoad iisdem de rebus sanctiones promulgatæ sint.

Quæstio scitè, solerter, experiẽtérque tractata & ordinata. Id est, Rectè atque ordine comparata ad iudicium criminis.

Appellationem sine fraude circunducendam curia existimauit, ad suúmque forum litigatores reiecti.

Prouocatore diem causæ non obeunte, si is in iure citetur, & nullus eũ aut defendit, aut quippiam eius verbis excusat, commeatũ prouocatus post inclamatoris renuntiationem postulat, & ibidem impetrat, nec tamen statim aufert. Expectantur enim dies inducendi commeatus, si intra illos forte eiusce rei causa affuerit.

Lis inter amicos agitata, non iudicio, non arbitrio, sed arbitratu dirempta est.

Satisdaturum se promisit arbitratu eius ad quem res pertinebit, aut iudicis.

Ad petitoris postulata defensorem, quæ visa fuerint, ad octauum diem respondere iussit.

Tuas res tibi habeto agitóque, conditione tua iam non vtar. Verba sunt antiqui iuris, quæ apta esse possunt in dissoluenda societate, vel in bonorum cõmunione inter virum & vxorem dirimenda.

Edictum regis huiusmodi verbis sanctum, Qui hoc contra quippiam ausi fuerint, fraudi capitali futurum. Vulgo dicunt, Suspendii pœna luituros, Capitalem fraudem edicere, Capitali pœna sancire, Fraudem capitalem sanctione interminari, siquis hoc contempserit.

Curiæ legatis, quæ præsentis disceptationis erunt, qua de re tunc agetur, libera mandata curia danda decreuit. Ex Liuio. Id est, Auctoritates seu commissiones curiæ subsignandas ad libere disceptandum de iis quæ inter partes in re præsenti non conuenient.

Additum & cautum in decreto curiæ, vel in sententia curiæ, quas auctoritates ad inquirendum litigatores iam ab officio scribarum abstulissent, quarũ dies exiisset, earum vt auctoritatum vi, inquisitores dati imperium exercerent, vel inquirerent. Vulgo, Per commissiones iam sublatas dicunt.

Quibus testibus denuntiatum testimonium esset, ex eorum vt numero, quot per legem liceret, inquisitor interrogaret.

Eius sententiæ auctores fuerunt grauissimus quisque cõscriptorum atque existimatissimus.

Reus potentiæ patrocinio, crimini & pœnæ exemptus, non etiam inuidiæ atque ignominiæ.

Agitandæ litis consulta & instruendæ. Id est, Consultationes. Curtius, Ibi singula animi consulta pensando, noctem vigiliis extraxit.

Nomina litis impēsarum edere in codicillo, Dare declarationem vocant.

Liti expensam ferre immodicam pecuniæ summā, vicissim autem certare imminuēda impēdiorū summa, inducēdisq; nominib⁹ multis & expūgēdis.

Inter expensa litis ferenda, procedunt aduocationum consulta.

Exequi rem iudicatam iussus. Id est, Executor.

Exequi mandata curiæ iussus, strenuè officio functus est.

Iudex iurisdictionis impos vel impotens, cui Compos opponitur. Id est, Suus partium iudex.

Diem à prouocatore indictum die breuiore occupare, est Prouocatori die inuicem indicta anteuertere. Prouocatori die contractiore anteuertere, vel temporis compendio.

In causis quæ in recuperatorium modū in curia iudicantur, suū est operæpretium iudicibus. In causis extra ordinem per certos decuriatos iudicandis iudices operæpretium capiunt. Sunt autem illæ causæ certi cuiusdā generis.

Prouocare aduersarium suum in curiam iudicio prouocatorio, Intimare vulgo dicunt.

Frater fratrem arbitrio prouocauit, ni ius æquúmque postularet, iudicésq; tulit notos homines amicósque communes viros experientes. Et qui prouocatus erat, non inuitus fecit vt restipularetur. Id est, Compromissum pœnale inire non renuit. Vel sic, Amicus de re apud iudicem ambigenda, compromissoria sponsione quingentorum aureorum amicum prouocauit ad amicos communes, pignúsque sponsionis vtrinque stipulatum.

Spōsione ad arbitros legitimos facta, stipulationéque scripto inita, quod arbitri iudicarint, ita ratum est, si ab iis damnatus non prouocarit. Nec aliter fraudi erit prouocasse ab arbitro ad iudicē sui fori, quàm si constiterit perperam prouocatum, & rectè iudicatum. Tum demum enim commissa sponsio esse censetur, etiam si rursus appellari summa iurisdictio potest.

Mihi ad sexagenariam mulctam res rediit, si lite diplomarica cecidero.

Diplomate prouocator impetrauerat, sibi fraudi ne esset curia appellata, appellationē intra diem constitutū non exercitam pro derelicto habuisse videri, si appareret, sontico morbo detētum, diem nō obseruasse. Sed cum impetrati diplomatis causam curiæ non probauisset, cū venia impetrata cecidit, tum sexagenaria fraude sese alligasse visus est. Prouocato enim licet, intra nonaginta dies prouocatione nō exercita, statim prouocatori diem eremodicii dicere. Id est, Prouocationis ꝓ derelicto habitæ. Quod & Denūtiare eremodiciū ꝓuocationis dici potest, & Vadari vt desertorē. In quo tēporis articulo nisi prouocat⁹ ꝓuocatori anteuerterit, nō negatur adit⁹ æquitatis officinæ, veniā suppliciter petēti prouocationis serius exuscitatæ, si appareat interim prouocatū nō occupasse. Post vocē autē curiā appellātis emissam, tres mēses quasi cōsopiri appellatio potest. quibus elapsis, si prouocatus occasioni imminēs incautum exceperit prouocationis reum, commissum est illico prouocato eremodiciū, & cognitori regio mulcta. Sin prouocato abscissa sit ansa ante-

uertendi,& ipse prouocationis reus exercẽdæ appellationis diem lõginquum denuntiarit, secũda spes est codicillare compẽdium prouocationis impetrare,& conflictũ causæ vrgere,& quasi repræsentare:quod Anticipare vocant.

Prudẽtes aduocati nihil nõ ẽ re causæ,imperiti nõnulla ab re dicũt scribũtq;.

In articulo causæ aduersarium opprimere.

Per oppressionem sententiam vel decretum auferre. Terẽt. Hóccine incipere AEschinũ,vt per oppressionem hãc mihi eripere postulet?Est enim Opprimere,Anteuertere,& Astutia aduersarium eluctari.Cic. in Diuin. Nũquã opprimet ille me consilio,nũquam vllo artificio peruertet,nunquam ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur.Et in Catone, Quoties illum lux,noctu aliquid describere ingressum:quoties nox oppressit,cum mane cœpisset?Id est, Quoties lux ei anteuertit, & eum præuenit, ἐπέσχε,κατέσχε, deprehendit.Vulgo Superprendere dicunt.Sic Oppressa coniuratio, & rerũ nouarum molitio dicitur,cum immatura deprehenditur.Brutus ad Ciceronem, Cum ab eo qui tyranni nomen asciuit sibi vindices atque oppressores dominationis salui sint.Cic.Philip.5, Omne malum nascens facile opprimitur,inueteratum fit plerunque robustius.

Omnes articulos temporum forensium tenere.Id est,Occasionum,vel iudicialium oppressionum callentissimum esse.

Ad hoc res iudiciaria rediit, Ad hoc iurisdictionis forma redacta est, vt vincendi ratio non iure solum,sed iniuria etiam constet.

Liceat mihi hoc bona curiæ venia postulare & exorare, vel Hoc modo ius experiri.Sit hoc placitum curiæ,vulgo dicunt.

Fugaces litigatores iusta disceptationum tempora extrahendo, & diem ẽ die eximendo, sæpe non animaduertunt versuram se facere dura cõditione, & fœnerato litis moras impetrare.Sed tanti est litium amantibus negotium exhibere aduersariis.

Doctorum est bonorúmque iudicum assentiri interdum,nec semper censere velle.Hoc est, Non suæ semper sententiæ auctorem esse velle, temporis dispendio,auriúmque iam plenarum fastidio.

Protinus in curiam ius petere licet, id est ἀμέσως damnatis rerum capitalium. In causis autem priuatis non licet, intercedente alio iudicio de prouocatione ius dicente.

Dispungere rationes,est Compotum(quod aiunt) examinare.Expungere autem & subscribere, est quod Claudere dicunt & finire.

Commeatus causarum, quæ in ordinem voluminis curialis incurrẽtes iudicatæ sunt,plerunque venia carent.

Causæ post litem contestatam annos XL ferunt,licet à trimatu statim earum institutio iure summo interire censeatur.

Actum agere iterum & tertium in iure sæpe euenit,cum syngrapha iuridicialiter transacta iisdem verbis, non iisdem tamen temporum interuallis repetitur.Vulgo, Ad audiendum ius vt antè, vocant.

Syngrapha cognitorum chirographo,vel disceptatoris repagularis subscripta.Id est,Iudicis ad repagulum curiæ.

Interfariones iudicum,& Interfari, Interloqui. Ex Liuio & Quintiliano.

Residuæ lites & causæ, sunt quæ penes litium inspectores non modò non iudicatæ resident, sed etiam intactæ,& tanquam sacrosanctæ vel depositæ. Residuarúmque litium & plebiscitis & prudentum responsis rei sunt ii, ad quos earum rerum cura pertinet, cum post multos irritósque libellos eam ob causam porrectos situ & carie in priuatis ædibus tot annos obductæ vel iacent, vel pendent, vt pro derelicto habitæ, nequicquam miseris & spoliatis, Diuæ quæ obsurduit, opem implorantibus.

Commeatus remeatúsque liber extorri datus codicillis regiis, auctoritate curiæ comprobatis. Exul lari familiari penatibúsve restitutus.

Qui codicillos veniales impetrauerunt, eos ipsi porrigere supplicum habitu, aut curiæ aut iudici regio debēr, ad quē criminis cognitio pertinet, eique impetratorum rationem causámque approbare.

Prouinciæ inquisitoriæ,& disceptationes peregrinæ iustitio curiæ maxima ex parte delegatæ sunt. Id est, Feriis curiæ, quæ Vacationes dicuntur.

Hoc curia faciēs, gratiam ab ipso Iustitiæ genio, numinéque iurisdictionis inibit. In hanc sententiam ferè supplices libelli maióres desinunt.

Breuiarium litis instructæ ab inspectore litis in curia fieri solet. quod & Cōsectarium,& Breue,& Commentarius dici potest.

Opertanea pars instrumenti, Testificationes sunt in curia.

Nō minus mēte quàm oculis instructā litē lustrare, inspectoris est diligētis.

Qui ad se recepit quod aliū agere faceréve oportebat, euentū rei præstabit.

Vertumni numen non in foro tantū Mercuriali, sed etiam Iustitiæ, præsens & propitium, multum ad rem bene gerendam facit. Suū enim Vertumnum lites habent, ne dicam Mercurium. Idémq; mercaturæ in fóro Vertumnus, & in iure disceptationi præesse videri potest. Et lites male vertunt aut ab imperitia, aut ab incuria, aut ab iniquitate, vel inspectorum, vel iudicum, vel cognitorum, vel litis curatorum. Ad summam vndique metuendum. Quoniā sors omnia versat, in foro quoque tum hoc, tum illo.

Vt captus est causæ, ita causidicus vel primi nominis vel secūdi, vel quintæ classis adhibendus est, ei quidem qui delectum habere possit, cum eo quoque, vt antiquissima sit cura fidei & religionis spectandæ in eo quem tutorem & patronum causæ tuæ adoptes.

Curia tibi operam tridui aut quatridui dedit. Id est, Causæ tuæ vacauit.

Si tam liberalem darent operam benignámque iudices, dum Iustitiæ sacris operātur, quàm Iunoni & Gratiis litare prolixe plerique adnituntur, melius ageretur cum natione eorum, quibus satis est ius suum obtinere. Sed valeat iam forum & iudicia (aiunt quibus res malè cessit) quādoquidem tantū pollet in iure gratia & potentia.

Quorundā vel non imperitorū iudicum hæc culpa est, vel vitium potius, vt sententiam rogati, copiose verba fundere possint, non etiam sententiā dicere. quos Resolutos parū esse dicūt. Ego soluendo magis esse eos homines, quàm resoluendo dixerim. Si enim debitū reposcātur muneris sui officium, habent statim quod soluant, huc illúcque libris citandis expatiando, nō etiā

quo ambiguam quæstionem resoluant. Aliqui igitur aliquando in censendo priores partes tulerunt gratiæ curialis atque opinionis,& aliqui longè posteriores,qui tamen alteri alteris cedere doctrina,aut præstare non magnopere videbantur. Tantum refert iudicium,& explicata dissetendi ratio.

Causa ad cõsilium frequens delata est, omnibus numeris coagmẽtatũ doctrinæ,prudentiæ, acrimoniæ & probitatis. Quare vndique cõfidendum est.

Homo iurisperitus, omneísque numeros formularum callens vsúsque iudicialis. vel, Qui omneis artis canones perdidicerit, iurísque nodos soluere & ænigmata possit.

Quorundam ita comparata est ratio, vt in loculis forensibus conditam potissimam partem patrimonii sui habeant. Id est, Vt in sacculis forẽsibus subsidium vitæ repositum habeãt,& de ea in iudicio ambigant. Facile est autem aliquid è loculis huiusmodi aut casu intercidere,aut furto sublegi, aut loculos ipsos cũ omnibus copiis suppilari. Quod cũ euenit,ad incitos litigatores rediguntur. Noui quendã è numero cõscriptorũ, saccularium in primis exercentium,quem non pudebat eo nomine insignem esse, sermoneq; omniũ celebrari,quòd spes hominum apud se depositas,nusquam non & domi,& in fori subselliis expositas esse & neglectas ab eo,nemo nõ nosset, eorum quidẽ maxime,quibus ille colendus erat,& obseruandus. Nouerat enim nullam esse actionẽ proditam in huiuscemodi genere depositi, quæ quidem certe non inanis esset & ridicula. Miseram (si vnus & alter eadem esse impudentia pergant)per inquam miseram litigantium conditionẽ! Itáne verò tu optima cõscientia,& consultorum opinione,& pragmaticorum fide fretus, in vtranq; (vt dicitur)aurem dormias, cum noris instrumentum tuæ litis, ad caput interdum fortunásque pertinentis,inter manus ancillæ focariæ, & famuli mediastini versari, vel in aduersarii tui fortasse, & ne sic quidem aut postulare, aut expostulare audeas? Melius ista norunt,qui didicerunt experimento, qui eiusmodi è periculo incolumes sese euasisse mirantur. Mitto quòd in sacculis quidam saccularii vetitas artes exercent,præstigiásque capitales faciunt: à quibus artificibus,causis metuendum est.

Audientiæ tesserales dici possunt,quæ extra ordinem voluminis dantur in magno curiæ auditorio. vulgo Per iniunctiones dicuntur,& Per placet.

In exequendis curiæ decretis vel arestis operã nauare strenuam & efficacẽ.

Causarũ deditiriarum aresta sunt, Quæ cedente liti parte data sunt.

Qui deditioni imminent,tamen cunctando conditiones cedendi tentant. qui Deditionem circunspicere dici possunt.

Expromissorem dare qui se in formulam vadis ac prædis alliget, Qui sese nexu bonorum sectoris astringat,Qui se conceptis verbis obliget, vt sequestrem prærorium atque iudicialem. Vulgo Depositarium iustitiæ vocant.

Frustratorum iudicũ ludificatio,& iudicãdarum causarum prolatatio iustitiæ ludibrium est, cum quotidie domũ iudicis ventitantes anxii litigatores, domóque prodeunti adhærescentes, spe desperationéque alternantibus,animo sæpe linquũtur,dũ littus arare sese sentiunt,nec tamẽ idem semper agere desinunt,reticulúmque inflare. aut certe lupũ auribus tenent, quibuscũ hu-

iusmodi ludificatoribus res est.

Trahere hominem in causam, Perlicere ad aleæ forensis consortium, Subscriptorem causæ asciscere, Iuris experiũdi societate illigare. Curtius, Trahere in casum tot animas.

Rerum iudicatarum detrectatores, & rerum in iure transactarum retrectatores. vt Virgilius, -nihil est quod dicta retractent
Ignaui AEneadæ, nec quæ pepigere, recusent.

Eremodicium secundum prouocatũ datum contra prouocatorem actionem causæ detrectantem. Id est, Commeatus datus.

Reus in omni litis parte detrectator. Id est, Restitator, & Tergiuersator.

Ancipiti cõcertatione discessum è iudicio, decerniq; altercatio non potuit. Ancipiti aduocatorum consulto discessimus è basilica, Id est, Partim aduocatorum litem ingrediendam censebant, partim dissuadebant.

Postulationem aduocationis regiæ excepit curiæ arestum in eadem verba conceptum. Id est, Aduocato regis conclusiones suæ adiudicatæ.

In interdicto retinendæ possessionis, vterque litigatorum themata è diametro opposita articulose exequi scripto plerunque solet. Id est, Facta inter se contraria ponere. Deinde per assensionem atque dissensionem sigillatim cum iureiurando respondere. Per credit vel non, respondere appellant.

Causæ labanti subsidium ab æquitatis officina, an iniquitatis, mutuari moris est. Id est, Diplomate subuenire.

Interrogatus in iure suspensa & ambigua respondit, & vtroque flexibilia.

Omnia exempla cladium forensium in calumniatorẽ, aut detrectatorem deprehensum edere, quod sæpe curia solet. Hoc est, Temerariæ litis damnatum, insuper ære mulctatitio plectere.

Ad magnas insignésque causas agẽdas, causidici luculenta aduocatione in speciem succincti, prodire plerunque solent.

Emptor ab auctore suo in iure destitutus, vel reus quicunque ab eo nõ defensus qui in causam incumbere & subscribere debuit, palàm testificatus est suam in ea re captionem magnam fore. Quare quãtam noxam eiusce rei ergò capturus sit, tanti se apud iudicem iustum litem destitutori ad extremum æstimaturum. Nunc dicunt, Protestatus est de damnis suis & interesse.

Eximiæ species criminum sunt, quarum iudicandarum impos esse pontificia cẽsetur iurisdictio, vel iudices alii quàm regales. Vulgo, Casus priuilegiati dicuntur, & regii. Translatitiæ autem species criminum sunt, quæ Delicta communia vocantur.

Quemadmodum reos suos ad pœnam expetit pontificia iurisdictio, vtpote sanctionum ciuilium pœnis exemptos iurium canonicorũ prærogatiua: sic genera delictorum eximia & animaduersionis regiæ, sacrosancta sunt moribus iurisdictioni põtificiæ. & vt in criminibus translatitiis iurisdictio regalis, nõ modo religiose, sed comiter etiã cõseruat sanctitatem iuris pontificii: ita vicissim canonũ auctoritas in Francia æquo animo cedit, aut cedere videtur maiestati cognitionis regiæ, dũtaxat in iis generibus in quibus regia iurisdictio imperii sui vindex esse cõsueuit. Quod vtinã nõ tanta religio curiã hãc

noſtram obſtrictam, reliquáſque curias regni teneret, quorũ animis inceſſit non cãdor animi,& ſimplicitas in ſuo cuique tribuẽdo, ſed quædam per manus tradita à maioribus ſuperſtitio longe magis imbutis canonicarũ ſanctionum minaciũmque terrore, quàm vera ac germana priſcorum canonum reuerentia, ſeculis melioribus conditorum æqualibus iuſtitiæ Chriſtianæ, -cum furem nemo timeret,

Caulibus aut pomis,& aperto viueret horto.

De Patribus illis loquor & Cõſcriptis Senatus Chriſtianiſsimi, æmulis fidei aquis inambulãtis. Melius omnino, commodius, & ſanctius cum vita ciuili ageretur,& verò cum canonica. Stultam profectò & inſulſam Francia formidoloſi iuris ac terribilis obſeruãtiã venditat, quaſi ſpecimen religionis. Quaſi verò religioſum ſit, aſylũm patefacere hominũ perditorũ colluuioni ab aris diuerſiſſimæ & abhorrẽti, ſola teſſera ſanctæ iuriſdictionis põtificiæ, cæterũ nullo miniſterio, nullo auctoramento aris obſtrictæ. Nam quid (per ſacra nominis Chriſtiani) quid aliud eſt (inquã) libati nouacula verticis elogium triũ verſuũ circũferre (quod ſolenne eſt hominibus facinoroſiſſimis) quàm amuletũ ſeuerioris iuſtitiæ in ſinu ſemper fouere? quàm impunitatis teſſeram & legum contemptionis, ſeueritati impingere iudicum Caſſianorũ? Cum interim hic vmbo cõtra legum ac iuſtitiæ tela excogitatus, nulli non violenti parabilis ſit paucis noſtris aſſibus. Tanti eſt apud homines canonicæ (vt vocãt) cenſuræ opinio, vt ſarta tecta reorũ capitaliũ agmina, aſylo impunitatis reddita, graſſari deinde cũ ſumma vitæ pnicie ſinamus, legúmq; ludibrio. Quod contra canonũ ipſorũ mentem in mores receptũ eſſe nõ dubium eſt, ſi ſententiæ potius quàm verba perpenderentur: & contra antiquorum auctoritatem, qui maiorum (vt aiunt) gentiũ interpretes canonici iuris fuerunt conſenſu mortaliũ. Sic tulit hactenus ratio iuriſdictionis noſtræ, proauorũ abauorúmque memoriæ,& aliquantum altius repetẽdæ, quæ alioquin etiam antiquitatis ignoratione multa laborauit. Iandiu etiam Iuſtitiæ ſimulachrũ pro idea illud quidem Iuſtitiæ colitur in omni penè parte vitæ, ſed perſonata facie atque hiſtrionica aſſimulatum, vtpote ſcenæ & populo ſeruiens.

Ferentarius aduerſarius in foro non minus timẽdus, quàm grauis armaturæ, apud iudices quidem culinarii iuris conſultos & acres interpretes.

Quod princeps codicillis iuſſerit, vetuerit,& iure eximio indulſerit, curiam auctorẽ fieri oportet, ſiquidem in ius id tranſiturum eſt, in ſeculáq; iturum.

Iactare in cauſa agenda aut defendẽda auctoritatem curiæ qua de re agitur decretoriam. Allegare areſtum in indiuiduo dicunt.

Iacturã vltro alicuius prolatæ auctoritatis facere, aut inquiſitionis, eſt Teſtari ſe nolle id inſtrumento litis cedere: vt ſi timeatur ne falſi inſimuletur quod prolatum eſt. Iacturam contradicendi aut refutãdi ſponte facere, eſt De iure ſuo hactenus decedere, vt cum liceat nobis refellere, vel teſtimonia vel literas, tamen id nolle facere dicamus.

Fallere quod ſyngrapha conuentum erat, eſt Non ſtare eo quod ſcientes prudentéſque egimus.

Eſt vbi habere in partibus iudicum numerum ingentẽ ad victoriam præ-

ſtet,quàm iurium vim magnam.Cauſæ enim interdum & quibuſdam in iudiciis,à gratia ſæpius,quàm à iure laborant.

Elementa litis à iure exili anguſtóque nata, paulatim excreuerũt in robur cauſæ alia atque alia iuris acceſſione.

Curriculi cauſæ diuerticula conſectari,& per auia longius expatiari,hominis eſt litis aleam detrectantis,qui forenſe bellum habere magis quàm gerere inſtituit,& litem ducere trahere̓que,non decernere. Vniuerſi enim certaminis offenſionem metuit cauſæ inferioris conſcius.

Multi qui ſemel iterúmque in eadem cauſa victores fuerunt,in tertio certamine offendunt,cum ad curiam venerunt.

Quidam poſt cladem acceptam reliquias litis recolligẽtes, diplomatis adminiculo rem perditam reſtituunt.

Aduocati offenſatores in curia, quamlibet facundi, tamen patrocinii auctoritate minuuntur,quaſi aleatores.

Ad interceſſionem edicti codicillaris in curia promulgandi, multi nómina dederunt. Vel,Cum edictum in curia promulgaretur, interceſſores multi certatim conſurrexerunt.

Triumuiri rerum fiſcalium actionúmque popularium,altercatoriis diebus in ſubſellio ſuo ſedentes in curia,auſcultationes factitant, ad extemporales interceſſiones actionéſve accincti,ſimul vt quippiam natum eſt, quod ſuarũ partium orationem poſtulare videatur,aut deſcenſionem in cauſam.Dici etiam poſſunt Triumuiri aduocationis regiæ ac publicæ.

Ita placitũ eſt curiæ.Id eſt, Areſto curiæ decretum eſt,aut pronuntiatum.

Refellere teſtẽ vt ſceleratũ,vt auribus mutilũ, vt maſtigiã, vt inteſtabilẽ.

Trahere in crimẽ,vt Trahere in cauſam. Tacit.Opperiebatur Nero,vt Veſtinus quoq; conſul in crimen traheretur.Id eſt, Vt indices eũ nominarẽt.

Forenſem verſuram faciunt in dies grauiorem temerarii litigatores, quaslibet de cauſa curiam appellantes,vt lites extrahant. Gliſcit enim in dies dãnum,& quaſi fœnus,pro vſura temporis.

Controuerſiam vnã in duas ſcindere, duáſque in vnam cõglutinare,Duas controuerſias vna lite complecti.

Litigator quamlibet animoſus,tamẽ impar cauſæ magnitudini fuit.Id eſt, Sufficere non potuit.

Iudicum iniquitas interdũ ſpecie ſeueritatis imponit hominibus, aut rurſus ſpecie clementiæ.

Acris & perurgentis perſecutionis mucronem reus fugax excipit vmbonẽ procraſtinationis,& ſæpe impetus actoris interim reflacceſcit.

Eſt cùm reis in foro gratioſis,aut amicis gratioſorum, circundatis indagine quæſtionis,plagæ clàm ſubmittuntur vel iudicum beneficio, vel cognitoris regii, vel vtriſque conniuentibus. Refert enim ad criminum animaduerſionẽ, quàm molli brachio aduocatio regia petitiones ſuas aduerſus reos intendat,aut quàm atroci & gladiatorio,apud iudices quidem non iniquiſſimos reo comperto criminis & conuicto.

Decernere alicui rei iudicandæ vel diſceptandæ poteſtatem, eſt Facere vel

dare commissarium.

Secunda curia causam egit aduocatus,& plaudente corona togatorum,sic dici potest,vt Secundo populo olim dicebant.

Inoffensum litis cursum ad sententiam perducere.Id est, Nulla in parte hærentem,neutra partium restitante. Sunt & lites crebris offensiunculis agitatæ & exercitæ,cum intercedunt ea quæ vocantur Incidētia, quæ summæ rei iudicium morantur.Sunt enim offensiunculæ, cum in his diuerticulis alter litigatorum vincitur,& impendiis mulctatur.

Ordinare litem,& Litis personas recte ordinéque cōstituere, Vulgo Regulare partes appellant. Cōstituere cuiusque partes, vicésque ad litē agitandā.

In ordinem cogere appellationum nomina. Cui opponitur, Extra ordinē recitare aliqua nomina.

Luxatas litis partes & loco motas,in artus suos reponere.Hoc est,Litē præposterè actam perplexéque,in ordinem restituere.

Lis instrumēti alterius,vel partis copiarum suppressione iudicata. Hoc est, Eorum quæ prolata erant,subductione.Quod nō rarissime euenit. Quæ autem inter iudicandū à iudicibus consultò reiiciuntur,Præterita dici possunt, quia eorum ratio non habita est.

Libello supplici ab altera parte porrecto,vt litis moratorio,subscriptū est, Condatur in sacculum.

Instrumenti prolati additamenta,Nouæ productiones dicūtur.Id est, Copiæ recens editæ,& cum libello supplice promptæ.Huiusmodi autem libellis interdum ita subscribi solet.His peculiaris sacculus destinetur,vt in iudicanda lite eorum ratio hactenus habeatur,quatenus visum fuerit.vel,Vt eorum ratio vtcunque habeatur.

Canonici iuris auctoritas vel verius pōtificii, dirarū imprecationibus quasi Gorgonis facie succincta,stupore mūdū affecit,ac torpore:legū ciuiliū armatique iuris terrorem procul à præsidiis summouet, intra quæ asylum aperuit omnibus extrema exempla suppliciorum meritis,assentiente hominum iudicantium ordine, quibus legū tutela publice credita est. Quod institutū in Francia inualuit,nō tam Euangelicæ maiestatis reuerētia(si ingenuè loqui licet)quàm minarū canonicarū formidine,superstitiosis magis,quàm religiosis incessente.A caluo enim ad caluū(quod dicitur)æquo loco numeróq; custodiarū seriē habere,nō religionis est priscæ, sed ætatū instituti aperte iā degenerantiū à moribus ac ritibus regni Christi Seruatoris,& ad vitæ in medio positæ disciplinā remigrantiū,quæ plus habet iuris humani gētiúmq;,quàm diuini è cæloque oriundi.Hoc ius certe multorū opinione nō insipientium, post diluuium natū est antiquissimæ germanǽque Christianismi prudentiæ, vt iuris canonici prærogatiua homines facinorosissimi,summo vertice tantum sancti,cætera intus extráque spurcissimi,maiestati regum populíque legibus sacrosancti sint.Quæ interpretandi iuris ratio, etsi iam obsoleuit inter homines paulo elegātius literis & doctrina institutos,& scite natos ad iudicādum:tamen multitudine vincitur plerūque archaismi mordicus retinēte, auitǽque auctoritati plus tribuēte,quàm veritati in dies apertius se promenti,

publicæque vtilitati & decori ordinis sacrosancti, qui verticum sanctitati fauere vehementius ac studere, quàm mentium, vulgò existimatur.

In iurisdictionis finibus, omnia auspiciis iustitiæ palàm fiunt: multa verò aguntur ductu & ministerio cupiditatis, & arbitratu priuatæ vtilitatis.

In agitādis quæstionibus, seu publica sint seu priuata iudicia, soli Cognitori regio licet & stipulatori publico, reis pœnā iure suo suppliciúmq; irrogare libello: quod & Mulctam dicere appellabant antiqui. Græci ἐπιτιμᾶν ἐπιγράφειν dicunt. Priuatis autem hominibus iniuriam sibi factam, aut vim illatam persequētibus, litis tātum æstimatio libera est, ciuiliter cōcepta, & suæ rei seruatrix, non animaduersionis & vindictæ postulatrix, nisi in ea specie quæ honorariā pœnæ irrogationē admittit, quæ ad priuatam ipsa causam magis, quàm publicam pertinet. Actori enim publico more maiorum, vt mandatæ in vniuersum à principe populóque eæ videntur actiones, quæ suū populi ius principísque tuentur: sic secus admissa publico regióque nomine iudicio pœnali persequenda, vt publicæ libertatis securitatísque vindici. Quapropter quādiu eius magistratus interregnum esse contingit, nullodum suffecto in locum fato functi, aut (quod nō magnopere interest) cum in eo cui mandatus est hic magistratus, pectus (vt ita dicam) desideratur sacrosancta potestate dignū, ac spiritus tribunitii: Respub. principísque iudiciali patrono orba esse censenda est, quæ legum est internicio. Is magistratus in foris regiis causidicum suū habet, cuius & cōsilio & voce vti debet. In summa autem curia duos habet & causidicos & astipulatores, quorū aduocatione & consilio vtitur, muneri suo ascriptitiis & auctoratis: tum demum quidem certe, cum magistratuū ratio recte atque ordine, & more prisco, constituta est. Is vnus est Cognitor regius in finibus ditionis curiæ, proprie loquentibus. Nam qui in præfecturis regiis fungūtur hoc magistratu, non Cognitores regii, sed pro Cognitoribus sunt, vel Subcognitores. Quare eorū acta cum ad curiā vocantur, quatenus ab aduocatione regia agnoscūtur aut abnuūtur, ita ferè aut rata aut irrita euadūt. Nō parui autem refert & Cognitores ipsos & Subcognitores, & Fiscales causidicos, atque Subcausidicos, quod magisteriū est causarum popularium: magistratus suos regis tantū cōscientiæ debere, & famæ publicæ suffragatui: delatúmque ipsis esse potius & iniunctum, quàm donatum aut repensum. Eius magisterii Triumuiri in curia, ita in æqui loci subsellio sedent agēdarum causarum diebus, vt tamen quasi è superiore loco verba faciant, & audiātur. Cū enim vel destinato, vel obiter in causam quampiam incumbūt, eorū postulatio plerunque prærogatiuæ sententiæ loco numeróque propemodū habetur: nisi siquando personā suā deponere, publicámque priuato studio videantur, in causámve aliquā ambitiosè descēdere, aut rursus obnoxie munere suo defungi. quod obscurum esse non potest in tanto talique cœtu. Eorū in basilica conclaue, vestibulum iustitiæ, aditúsq; ad curiam esse debet quæstionē postulantibus, & fidem implorātibus iurisdictionis summæ, aduersus iniurias præpotentium, contemptúmque iurisdictionis trāslatitiæ. Extitit nō ita pridem vir insignis memoriæ Ioānes Sanctromanus, qui ob eum magistratum difficili tempore, Catonis animo gestum (vt literis proditum est) nominis sui

memoriam, vel desyderium potius virtutis tribunitiæ, in ore hominum cõsecrauit. Vsqueadeò admiratio virtutis ætatẽ adhuc perfert, siue ob testimonium famæ aliquantũ prolixius, atque liberalius, siue ob exemplare facinus Palladii seruati, contra minas impotentiæ, quod æmulis caruit. Vnus enim fuisse existimatur in eo magistratu, vel in prętextu potius, post hominũ memoriam, qui priuato periculo in commune consultum non noluerit. Eorũ verò quos translatitiè vel ambitiosè perfungi & obnoxiè eo munere non pudet, actiones ferè & postulationes scriptæ sic audiuntur, vt solennia acroamata, & moris vsurpandi tãtum gratiã. Nauata enim studiis & necessitudinibus opera, & Reip. charitati atque magistratui, luculenter discrepant.

Velamenta reorum rerum capitalium, infulæ sunt initiati verticis, vel nouacula tãtum aut forfice perstricti, quæ plurimos præsenti fato eripiunt. Sẽsus autem curiæ maiorum auctoritate adductus, nimium semper incubuit in eorum velamentorum reuerentiam, quarundámque canonicarum constitutionum interpretationem, supra modum benignam, cum pernicie Reip.

Ius & arbitrium temporis atque ordinis rerum iudicandarum in curia, penes præsides est & ductores classium.

Decus, dignitas, & maiestas curiæ apud vniuersos est: ius ac potestas rerum decernendarum penes paucos est.

Mandata suprema hominum, Dispositiones vltimarum volũtatũ dicũtur.

Interdũ causæ ampliatio omen est in summam causæ, aut ominis loco accipi potest.

Vocare in ius, & Vocatores in ius, sunt Apparitores.

Citra pulueris forensis tactum vincere, Citra pulueris tactum manus aduersario dare. Id est ἀκονιτί. Sine sudore & puluere victoriã ferre, ἀμαχῶς. Hoc fit, cum prouocatores tentare certamen non audent, & in procinctu se nolle periclitari dicunt.

Multo sudore puluereque fori vincere. Id est, Post acrem & multam concertationem.

In procinctu causidici & cognitores stare debẽt, certaminíque imminere, cum nomina voluminis recitãtur, promptásque copias suas habere & explicatas, ne ab aduersariis in trepidatione ac tumultu deprehendantur & opprimantur.

Aduocationis regiæ subscriptionem causæ infirmæ ac labanti implorare.

Exarmare causam aduersarii, Est instrumentum eius subducẽdum curare, vel ita refellere eius auctoritates atque testimonia, vt tueri intentionem suã aut exceptionem nequeat. Vulgo Elidere probationem vocant. Inermis etiã causa est, quæ documẽta nõ habet. Semiermis, quæ exilia & infirma habet testimonia, vel vnius tantum testis. quam Semiplenam probationem vocant.

Vrgere litem, & Inhibere litis cursum, opposita sunt.

In salebra causæ hærere, In scopulũ causæ impigere, In luto litigii cõflictari.

Inconsultus impetus dictandi iudicii & persequendi cito elanguit.

Cum secundis iudicibus litem instituisses, repente aura forẽsis transire cœpit ad partem aduersariam.

Cedenti primùm, quàm pedem inferenti aduersarius propior videbatur: nunc quasi subsidiis recentibus fretus, ferociter pedem confert, interdúmque impressionem in copias tuas facit.

Ius necis vitǽq; in dominatu suo habere, vel in vico. Id est, Merũ imperiũ.

Homo nec vetandi nec iubendi pro imperio potens. Id est, Qui nec merũ, nec mixtum imperium habet.

Iudex iuris reddendi partibus impotens. Id est, Incompetens, non suus iudex partium.

Consilii studia in duas partes diducta, in sententiis adæquauerũt. Id est, Ad colophonem rem deduxerunt.

Dolo, ambitu, oppressione grassari in iudicio causæ inferioris.

Syngrapha iudicialis in verba concepta status inficialis, Appunctamentum contrarietatis vulgo dicitur.

Aresta curiæ regis nomen præferunt, quasi curiæ centenariæ principis. Nã & illic vacat prima & angularis sedes in tribunali.

Postridie Martinalium anniuersario postliminio redit curiæ suum ius, suũ imperium, sua iurisdicendi auctoritas, dignitásque.

Prima classis curiæ, Auditorium patens & comitiale dici potest, & Palæstra causidicæ facundiæ. Cæteræ, Secretaria dici possunt, & Penetralia curiæ.

Stati dies curiæ dici possunt iustique, qui Ordinarii vocatur. quibus diebus curia bis sedet in omnibus classibus.

Sunt etiam dies quidam audientiarii siue oratorii, quidam silentiarii & cõsiliarii. Vel, Dies Tribunalitii, & Dies subselliares.

Fuit in hominum opinione iam olim fixum, prudentiæ iuridicæ sacrarium in curiæ comitio esse situm, æquíque ac boni promptuarium, & tanquam penum iuris vnicuique reddendi. Ferè etiam illic semper ara fuit Iustitiæ, proceribus, ducibus, regibus denique sacrosancta. Et pignus imperii nostri esse semper putata est Iustitiæ reuerentia.

Curia Parisiensis, id est Centenaria, matrix est curiarum, vt tanquam ab ea decerptarum & primùm oriundarum: certè quidem archetypos est aliarum.

Primani, Secũdani, Tertianíque dici possunt, primæ classis, & deinceps cõscripti cõsiliarii. Conscripti enim, centumuiri sunt, & consiliarii principis. Et Cõscribere verbum est καταλέγειν, hoc est, In catalogum ascribere. Aliud est tamẽ cõscriptũ esse curiæ, & cõsiliariũ. Quidã enim antistites sentẽtiæ dicendæ in curia ius habẽt, qui loco sunt, non etiam numero conscriptorũ. Cõscripti inter se sic curiales sunt, & appellare inter se possunt, vt Municeps municipẽ, & Ciuis ciuẽ appellat suũ. Sic Curialis meus est, qui eiusdẽ curiæ mecũ est, quasi collega. Et Decuriales iter se sunt, qui eiusdẽ decuriæ sunt & classis.

Magnũ est momentũ in prærogatiua iudicio præsidẽtis, & sententias rogãtis, etiam si vnici pũcti numerũ tantũ obtinet: etsi quidam conscripti sui iuris sunt in censendo, nec facile deducuntur ab eo quod semel ipsis visum est.

Superuacaneæ operæ functiones, interrogatio testium, & repetitio eorundem atque cum reis compositio, inire rationes expensorum in lites, & similia, quæ corollaria sunt stipendiorum.

Agere & exercere ſtrenuè & ingenuè præſidem, vel litis diſceptatorem: cui opponitur, Agere obnoxie præſidem, Non præſtare iuſtum præſidem.

Lauta quorundam conſcriptorum ac ſplendida vitæ ratio munerísque fungendi, quorundam penè ſordida, & capturis inhians.

Succiſiuæ horæ curiæ poſt decimam & poſt quintam. Et Seſſiones ſucciſiuæ. Id eſt, Proceſſus qui Commiſſariorum vocantur.

Cauſarum exarmatarum calamitas culpa inſpectorum eueniens, parũ gratioſam in curia expoſtulationem habere ſolet: raróque feriatas aureis curiæ inueniunt, qui querulos libellos eam ob rem porrigunt.

Ephemerides litium ſunt Regeſta cognitorum, in quibus ſeries cauſarum continetur. Continent enim & diurna cauſarum acta, & calẽdaria, & anniuerſaria in longis libris ac luſtralibus. Litis autem ſilentium maius trimo, eremodicium cauſæ facit, id eſt, Cauſam pro derelicto habitam, niſi diplomate lis hiulca ſarciatur.

Carina cauſæ & fundamentum, eſt Libellus petitionis.

Cauſa prima manu informata eſt, poſt conſtitutionem cauſæ iuridicialiter vel inficialiter conceptam. & Prima cauſæ conſtitutio, eſt quod dicunt, Proceſſum formam ſuam accepiſſe.

Oſſa & nerui cauſæ, ea pars eſt inſtrumenti, quæ auctoritates literáſque cardinales, vel teſtimonia complectitur. Quæ pars ſi intercidat, cauſa iam delumbata eſt.

Quædã pars inſtrumenti propior eſt ornamẽto, quàm inſtrumẽto, quæ ad ornãdam commẽdandámque cauſam magis quàm inſtruẽdã comparata eſt.

Copioſum litis inſtrumentum in ſpeciem congeſtum, impedimenta magis ſunt, quàm copiæ ad victoriam ſpectantes.

In inſtrumẽto copiæ quædam ſunt centuriatæ, quaſi in acie inſtructa: quædam ſuccẽturiatæ, & in ſubſidiis collocandæ: vt ſi res ad triarios redierit, vſui eſſe poſſint.

Armamenta cauſæ ſunt quæ vulgo Fruſta, id eſt, Petiæ proceſſus appellantur. vel Acta cauſæ ſeriem litis cõtinentia, ſine quibus cauſæ conſtitutio nulla eſſet. vt enim & machina & nauis armamentis ſuis vacua, vtilis eſſe nõ poteſt: ſic controuerſia ſine his inſtructa eſſe nequit. Et ſi fragmentũ cauſæ neceſſarium interciderit, quouis modo inſtrumentum ſarciendum eſt.

Loricam cauſæ lacerare dici poteſt is, qui firmiſſimas inſtrumenti auctoritates, documenta & teſtimonia cauſæ decretoria refellit efficacibus refutamentis: fidémque eorum ſic labefactat, vt cauſa iam inermis eſſe videatur. Quod & Diloricare litis inſtrumentum dici poteſt.

Cauſa ab actore plene inſtructa, à reo inermis iudicata eſt, quia excluſus inſtruendæ litis tempore nihil protulit.

Compages inſtrumenti malè coagmentata. Id eſt, Inſtrumentũ litis nullo ordine digeſtũ, vel cuius partes eodẽ non pertinent, vel inter ſe colliduntur.

Actio vel controuerſia iure multiplici, varióque coagmẽtata. Id eſt, Ex multis titulis conflata.

In mediterraneis patrimonii naufragium multi faciũt, quorum è numero

sunt ii,qui fortunis euertuntur in basilica.

In causa nobili tyrociniũ facere nõnulli iuuenes audẽt, qui iusto echemythiæ tẽpore cancellis curiæ adhærescẽtes,ingenua fiducia ingeniũ imbuerũt.

Huic homini multum in causa spei,sed nõ perinde in æquitate iudicis.Cõtrà,Aduersario nihil ferme in causa fiduciæ,nisi gratia forensi fretus esset.

Lis lite pensatur, quãdo vnius liticulæ impendia cum alterius cõpẽsantur.

Non modo in rem controuersam offendere,sed etiam in omnes litis accessiones.Principale,& Fructus cum impendiis vocant.

Causa non modo damnata , sed etiam omnium voce lacerata.id est , Cum conuitio damnata.

Causa nullo iure nixa statim concidit: stare enim diu æquis iudicibus non poterat.

Peruicaces litigantes sunt,qui semel vinci nequeunt,rebellante semper vitio φιλοδικίας, id est,naturæ controuersæ.

Restibilis controuersiæ soboles multa renata est.

Restibilis controuersiæ arestum est,ex cuius executione aliæ atque aliæ cõtrouersiæ renascuntur,vt sæpe euenit.

Prouocationum colluuionem circunfluentem curia non pridem mulctarum prædictione,exemplisque seueritatis exhaurire instituit:nec male cedit incœptum: tametsi censura curiæ districta,quæ pudori est terrorique pudentibus & famæ studiosis,contemptui esse cœpit peruicacibus,vt in vagina nõnunquam indulgentiæ condita.

Reus causæ suæ diffidens,affectat iter ad litẽ extrahẽdam quàm longissime.

Lis iam affecta,& pene præceps,trepidationem in partibus excitat.id est,Iã iam in consilium mittenda.

Orsus telam acriter magnæ ac sinuosæ controuersiæ , non eadem detexuit contentione.

Litibus lites attexére alias super alias.

Hic litem ita orsus est, vt Penelopes telam texturus videatur.Hoc est, Nũquam litem cœptam ad finem persecuturus.

Qui cum minore annis litem sine curatoris ministerio instituit, retexere postea cogitur quæ pulchre prætexta videbantur.

Ludibria litium(id est eremodiciorum iudicia, & exclusiones cõtumaciũ) in quibus acriores litigatores magna spe, sed inani messem facere solent, iurisdictionis auctoritatem,imperiumque impune ludificantur : cum interim natio forensium lucripetarum,messem non aspernandam in siliquis fallacibus faciãt,sine molestia animorũ. Huiusmodi enim ludificationum veniam fugitiui litigantes, vel ab officina diplomatica , vel cognitorũ cõmercio nũdinantur,cupidè & hilariter versuras huiusmodi facientes, animis suis obsequendo,quarum nullus interim penè sensus est,tametsi noxa non leuis.

Controuersiæ quædam iudicio iam maturæ,repentè recrudescunt. Quædã causæ longa tabe pereunt . Quædam vnius aut alterius impetu actionis scriptionisve opprimuntur.

Cæcam causæ vomicã perscrutari,& ad suppurationem perducere,vel scal-

pro pertundere, est falsi crimen occultissime ab aduersario in causa perpetratū, ad cardinem causæ pertinens deprehēdere, & reū peragere, damnaréque, vel quippiam secus admissum, quod penitus latebat, in lucem adducere.

Causa peruagata in curiis aliis atq; aliis, dici potest de causa sæpius auocata.

Est etiam suū litibus postliminium. Postliminio enim lites redeunt in forum aut in curiam, quando post iudicium iterū cognoscuntur, impetratis co dicillis: siue id principis placito soluto legibus fiat, quod perquàm rarum est: siue id ius & æquum suadeat, vt si ex falsis auctoritatibus iudicatum sit, vel aliam ob causam idoneam.

Sæpe postliminium est summæ causæ, quod non valet ad impendia litis.

Vrgere summæ rei discrimen, & Sūmæ quæstioni instare, Aleam summæ cōtrouersiæ iacere. Vel, Leuia certamina, liticulosáque tentare & lacessere, vniuersæ controuersiæ discrimine abstinere.

Est cū summæ rei discrimē in disceptatiuncula vertitur, & liticulæ iudiciū præiudiciū est vniuersæ cōtrouersiæ. Nec ab re est, quòd Aleam iudiciorū dicunt, vt Aleā præliorū. Adeò nō multo minus est aleæ in foro quàm in sphæristerio. Vt enim in ludicro plurimū possit artificium, & in foro ius superi*, iurísq; experiūdi ratio: tamen vt illic sphæræ antitypia nō respōdēs quodam loco minime refractario, sphæristen suspensa manu stupentē destituit: sic euētus in foro nōnūquā nec iuri, nec industriæ, nec cōsultis peritorū cōgruit. adde quòd studia quorundā iudicantiū formidolosiorē aleam ipsam faciunt.

Vltro citróque curia appellata, vt vtrique fuit consentaneum. Id est, Pártes respectiue appellauerunt.

Vltro citróque conditiones latæ sunt. Vltro citróque certatum conditionibus ferendis & referendis.

Causa fato suo semel functa est. vel, Diem suum quidem illa obiit, sed non extremum. superest enim prouocationis certamen. vel, Diem suum summū obiit, hoc est, Aresto iudicata est.

Hiulcum litis contextum sarcire, Veniam est diplomaticā interruptæ causæ impetrare.

Farrago litis saccularia, Copiæ sunt instrumenti in sacculis conditi.

Litis farrago varia & copiosa, in qua interdum calamitas accipitur, longè latéque pauperiem in controuersiis faciens, & in hominum patrimoniis, siquid interciderit litium decretorium.

Annonæ iudiciales eorum diligentiam industriámque intendunt, qui inspectiones in curia, & alibi faciunt. Id est, Sportulæ.

Annonā intēdere, & Annonā imminuere ꝓ causarū magnitudine atq; exiguitate oportet, atque etiā facilitate & difficultate cōmentarios conficiendi.

In quibusdam autem foris in dies ingrauescit annona, crescente iudicū auiditate, quos Annonarios appellāt. Quidā rursus laboris sui secū rationem duram malignámque ineuntes, subsidium vitæ in stipendiis suis collocant.

Annonariæ causæ, vel Iudicia annonaria sunt, id est, Sportularia, quæ Commissariorum causæ vocantur. Has annonipetæ consectantur.

Litium commentationes facere, est quod aiunt, Multū esse in extrahendis

processibus. Hoc est, In cōmentandis causis instructis. Et Commentarii, Cōmentatáque eorum scripta dici possunt qui lites cōmentantur, summam argumenti causarum instrumentíque commentario complectentes.

Conflare litem alicui duo aut tres dici possunt qui collusitátes in eius perniciem diuersi in speciē eum aggrediuntur, sed eodē tamē spectantes. quod Cicero Cōflare alicui negotium vocat. & Conflata coitione sententia Latine dici potest, quæ dolo vel consensu duorum aut plurium συγκατασυρρεψάντων, vel συνθεμένων, secundum aliquem lata est.

Aduocati viri boni officium est, consultorem se præbere litigantibus, non etiam litium calumniarúmque conflatorem.

Sacculorum interanea inspicere, eorúmque commentarium facere.

Causarū sacculos exēterare, exta inspicere, ex iisque augurari & prædicere euentū & iudicium, aduocati solent responsa factitantes in basilica, morbis etiam causarum, vitiísque medicamenta quærere. Extispices autē causarum, ipsi sunt Cōmentatores. & Extispicium causæ, ipsa Commētatio dici potest.

E sacculis grandis ac grauis controuersiæ exenteratis vitalia causæ auferre, instar est homicidii.

Causæ quædā recētes, quædā cōditaneæ. Id est, Quæ diu pependerunt in exhedris cōmētatorū. Quæ tandē sic ad iudiciū, vt ad vsum forēsem promūtur è penu saccularia. Prōptuariū autē litiū & sacculorū, Exhedra est scribarū.

Lites quædam in æuum reconditæ.

Sarcinulæ aduocatorum basilicanæ, Sacculi sunt fartiles.

Explosam actionem causámque iterū in scenā reducere, impetrato diplomate. Id est, Actionem vnde quis depulsus est in iudicio.

Dispungere rationes expensorum in litem, est taxare sumptus litium. Et Dispunctor, est AEstimator eorū. & Expuncta nomina, & Calculi expūcti in ratione ineunda, id est, Obliterati, reiecti, ꝓ nihilo habiti, præteriti, nota nihili prænotati. Ratio autem ipsa putata subductáque dicitur, cū summa collecta est, vnde nomen obsignatur, auctoritásque exigendi.

Adnotare in rationibus nomina disceptādā & cōtrouersa. Id est, Cruce prænotare. Nō controuersa autem nomina, vel disceptata exigere, & expugnata.

Ex indice recensere intestinas copias sacculorum vel interanea sacculorū percensere atque recognoscere sub oculis actuatii, vel apparitorum cuiuspiā. Facere collationem sacculorum appellant, vel intestinorum saccularium. Intestina enim sunt atque interanea sacculorum, quas Petias vulgo vocāt. Et Intestinū vnum aut alterum desideratum Latinè dixeris, quod Petiam vnam aut duas perditas dicunt.

Loculi etiam causarum, vt Sacculi, dici possunt: quorū quidam capaciores sunt & grandiores, quidā minutiores. & Excutere loculos situ & carie obductos, vel Forulos iā cariosos, dicere possis, Sacculos iandiu intactos inspicere. Fortasse autem Foruli lintei dici debent.

Homo litigiosus, vel de maxima parte patrimonii sui litigās, in loculis habet conditum patrimonium, & in forulis forensibus recōditū & asseruatum.

Lis facultatibus lapsa est, cuius copiæ desiderantur.

Prouocationũ causæ, quædã Ex tẽporales, quas Litium verbaliũ appellãt: & in magno auditorio ex tẽpore plerũq; dirimũtur. Aliæ Iuridiciales sunt, quæ Litiũ scriptarum dicũtur: hæque disceptationis sunt classium inquisitoriarum. hoc est, Secundanæ, Tertianæ, Quartanæque: illucque reiici solenne est. Quanquam interdũ prouocationes iuridiciales disceptationis fiunt Primanorum, duntaxat si ex tempore liquere de iis possit.

Controuersiæ sequester in curia dici potest is, cui litis inspectio commẽtatióque attributa est. Hic, si vir bonus est, vtrique ambigẽtiũ æquus iniquúsque esse debet, neutrámque in partem propensus. Disputationis autem suæ librã, cum ad iudicium causæ ventum est, ita censendo suspẽdere ius, vt suũ vtrique in vtraque lance tribuat optima fide, vtriusque causæ momẽta expendendo: sic tamen, vt ad extremũ, prægrauantia suis ponderibus æstimet, cum interim habeat in consilio iuris, æquitatis, morum, exemplorũ auctoritates.

Cernere adiréque hæreditatem litium, vel eam aperte repudiare ii coguntur, qui in ius locúmque litigantiũ demortuorũ successisse dicũtur. Id est, Litibus cedere, vel litibus se obiicere: si tamẽ eo nomine in iudicium vocẽtur.

Competitores audientiæ ambiunt in curia, & salutationes cãdidatorias factitant. Hi sunt, qui causas instructas, & iudicationi accinctas habentes, in cõsilium mitti iudices suppliciter postulant, qui cogi sibi classem ac suæ causæ petunt, qui sibi consilium dare operam petunt, qui causæ suæ iudicatum assiduitate flagitant.

Inchoatam causæ expositionem dirimere, excussósque loculos iterũ obligare, Intestina causæ in pluteum effusa in sacculos refundere. Tollere è burello expositum processum, hoc appellant.

Qui ꝓuocationis periclitandæ adire discrimẽ nolunt, ad deprecationẽ inclamatis nominibus suis cõfugiunt, palàm manus tollentes, cẽtusséq; defungũtur in anniculas causas, in bimas trimásq; cẽtusse geminato tergeminóq;.

Iis qui naufragium in foro fecerunt, subsidiũ calamitatis est naufragii tabulas vtcũque datur, recolligere. Id est, E causa ꝓfligata id quod possunt, seruare, vel ab auctore suo, vel ab alio, in quem iuris eam ob causam experiundi facultas reliqua est. Nam ἀπὸ καταδυομένης ὅ, τι ἂν λάβῃς, κέρδος.

Officium beneficii loco numerare nõ est probi iudicis, qui ea imputat quæ muneri suo debet. Aut, Qui limen suum teri libens videt ab iis qui officium eius causæ suæ suppliciter flagitant. Id est enim nõ ius reddere vnicuique, sed magno iurisdictionem vendere.

Sunt iudices, quos sic litigantes colunt, vt diuos quosdam maleficos contemptoribus homines causarii, à quibus nõ tam auxilium aut adiumentum precari, quàm noxam deprecari moris est.

Causã lãguẽtẽ focillàre & recreare subsidio & quasi fomẽto diplomatico.

Ad seram prouocationem admitti venia diplomatis, & ad exclusam instrumenti proferendi facultatem.

Rei diu detenti missionem temporariam flagitant, vel absolutam.

Reus vadibus auctoratus & sponsoribus, exauctorari se postulat, vadimoniúmque remitti.

Adhuc salua res est. Id est, Causa adhuc integra.

Postridie Martinalium moris est curiæ è loco superiore solenne iusiurandum causidicis & causarum cognitoribus cōcessum tribunalis prætereuntibus, ore Præsidentis præire in sanctiones regias. Quarum sanctionum recitatio, omnibus iam è curia summotis, & foribus occlusis, ipsum iusiurandum excipit eodem die, aut sequenti in conuentu comitiali.

Curia arestorum suorum verba concipere non nudis nominationibus, sed titulosis solet, ita tamen, vt actoris reique titulos, etsi qui alii appellādi sunt, citra verborum honorem nuncupet: quoniam ipsa aresta in verba principis concepta sunt, non quidem pro tribunali ius dicētis ore curiæ, sed à curia ius dictum pronuntiantis.

Quædam secus intus admissa, non nisi summussim foras exeunt.

Lites in curiam inductæ, non nisi auctore curia conuento partium dirimūtur. Id quod fit venia diplomatis impetrati litis dirimendæ gratia, lite nondum in consilium missa.

Impetrantur & ab officina diplomatum codicilli ad interpellandum litigii silentium, quod post trimatum instar est litis pro derelicto habitæ, & in actis circunducendæ.

Viatores peregrini & equestres, vadimonia in vrbe non denuntiant. Vrbani autem apparitores & pedestres, intra primum lapidem tantum in ius vocare possunt, aut aliud quippiam pro officio agere.

Iudex sui arbitrii, ac se vno censente contentus, in multorum offensionem incidat necesse est. Quod vitium non mediocre est in præside cuiuscunque consilii aut curiæ præside. Neque enim qui agmē cogit, semper funem ducere sensus suæ classis, sed interdum sequi debet, atque etiam sæpenumero, præsertim in Senatusconsultis. Vnius enim aut alterius in consilio sententia, in multorum incurrens ex aduerso, Tortum digna sequi potius, quàm ducere funem est.

Si litis spectator cunctatur officio suo fungi, vt fit sæpe ambitiosè, cunctationem Præses præcidere ei debet.

Præcipitem prouocationem renuntiare prouocato impunè post octauum diem tantum licet.

Auaritia, simultas, studium, & gratiæ aucupium grassantur in iudiciis & foro perniciosius, quàm pestis in triuiis & in populo.

Reorum quidam profugi, quidam emāsores, quidam certaminis detrectatores, quidam planè desertores litis iam adultæ, atque etiam vergentis, id est, ἐρημοδίκοι. Actores etiam interdum malè sibi conscii, emansores fiunt. Emansisse etiam interdum reus pronuntiatur, eremodiciūmque secundum defensorem datur, vt secundum petitorem emansitante reo. Deserit etiam petitor interdum vadimonium suum, quando diem à se condictum nō obit. Et profugia petitorum sunt, vt defensorum.

Lis per detrectationem iudicata, & Ex eremodicio. Per forclusionem vocant. Sententia eremodicialis.

Eremodicium secundum præsentem datum, sed in primum quęque diem

ſuſpenſum. Id eſt, Saluo die primo. Cui opponitur, Eremodicium iuſtum atque præſentaneum.

Vitam ſimul & litem ducere, eſt Liti nõ ſupereſſe, Vitã ducere litesducẽdo.

Ducere animum litem ducendo. Id eſt, Oblectare ſe in extrahenda lite, & quaſi ſpiritum in litigãdo alere. Cic. pro lege Manil. Cum eos portus, quibus vitam & ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis. Virgil. 4. AEneidos, Me ſi fata meis paterentur ducere vitam Auſpiciis.

Cauſę diſceptationẽ à capite ducere, eſt Cauſæ expoſitionẽ ab origine ordiri.

Ductim tractímque litem exercere, eſt Lentè & tardè litigare. Contrà, Raptim litem agere, eſt Aduerſario inſtare, & Litem vrgere.

Prudentis eſt litigatoris maturè & tempeſtiuè iudices in conſilium cauſæ ſuæ mittere, aliud prima quaque die aleam iudicialem poſcere.

Friuola decreta vel iudicia ſunt, quæ nulla ſunt, aut nulla irritáque pronũtiantur. &, Friuolum litis curriculum, qui Proceſſus nullus dicitur, & pro nõ ſcripto habendus.

Niſi in ius vocatio domum denũtiata fuerit, aut præſenti aut audienti ipſi in ius vocato facta, pro nõ ſcripta habenda eſt, & quæ poſt huiuſmodi friuolã in ius vocationẽ in iure contra abſentem decernuntur, fruſtra futura ſunt.

Vt exilii cauſa ſolũ vertere dicebant, ſic Profugii cauſa ſolum iudiciale vel forenſe vertere eum dicas, qui iudicio ad diem nõ adeſt, & vades ſuos aut repromiſſores deſtituit ac prodit. Et is Cedere foro iudiciali dici poteſt, qui nec præſto eſt ipſe, nec per cognitorem congreditur.

Cauſam meam conſulti baſilicani fauſtis ac lætis ominibus proſecuti ſunt. Id eſt, Auctores mihi fuerunt litis proſequendæ, & ſuperiorem eam futuram augurantur & certo coniiciunt.

Cauſa alioquin iure ſuperior, afflicta eſt falſis teſtimoniis.

Reus antè integri ſemper nominis in crimen nunc primum adductus eſt. Id eſt, Primum accuſatus.

Rei eſt hoc primum facinus, Reus in hoc maleficio rudimentũ ſecus quid audendi poſuit.

Tyrocinium litigãdi in hac cauſa feci. Id eſt, Nunquam antè litigaueram. Et Tyrones litigatores & nouitii: quibus Veterani & Veteratores oppoſiti ſũt.

Cauſa tua funere elata eſt. Id eſt, Perdita & damnata. Cauſa à funere relata dici poteſt, cuius lis inſtauratur diplomate impetrato, vel alia reſtitutione.

Homo forenſibus intemperiis exagitatus apud ſeſe eſſe nõ poteſt, nec tranquillam vitam agere & felicem.

E cuſtodia cauſam rei dicunt, qui interim dum quæſtiones exercentur, in carcere detinentur.

Cognitores quidam adeò rapaces ſunt, vt non litigantium cauſas procurare, ſed in foro graſſari impunè videantur. Multum igitur intereſt inter Cauſarum cognitores, & Fori graſſatores.

Contumelioſæ altercationes, aut vehementius ſcommaticæ, viris bonis nõ conueniunt, niſi cauſa flagitet, & figurarum lepos excuſet.

Aliud eſt, Ius ſuum vnicuique tribuere, quod munus eſt iudicandi: aliud In

alieno iure sub tectorio personæ in tribunali sedentis, partem sibi præmorde re. quod est non iurisdicendi munere fungi, sed prædandi ius colorémque quærere, ac sibi asciscere personæ velamento. Sic enim fit, vt iurisdictio sæpe sit alieni iuris captio. quæ species iniuriæ longè latéque in iure hac ætate quibusdam in locis conspicua est, si famæ testimonio credendum esse ducimus.

Iura quondam aureæ ætatis æqualia, liberalia fuisse memoriæ proditũ est, antequam Astræa iuris auctor in cælum remigrauit. At nũc & iandiu iura ferrea facta (vt Maro appellauit) tamen aurifera esse dicuntur, duntaxat eorum tutoribus, ministris, & cultoribus.

Causa reciduo eremodicio iudicata. Id est, Iterum contra desertorem iudicii iudicata.

Comminus, eminus, cæsim, punctímque rem gerere. Id est, Omni ope certare & iudicio contendere, etiam non sine conuitiis.

E' litibus lites serere, vt E' bellis bella serere, & nullam inde messem, nisi laborum, molestiarum, dispendiorum facere, hominis est natura controuersi, & litium cupidissimi.

In foro quidam arant & serunt, vt litigantes: quidam tantum metunt, vt natio pragmaticorum.

Quidam lites lacessunt: nec tamen, nisi coacti, exercent.

Quæ in prolusoria lite dicta sunt scriptáque, in summa quæstione dicta sunto scriptáque, vel in summam quæstionem valeãt. Vulgo dicũt, Impleo.

Id in rem, vel E' re futurum est, si rectè atque ordine factum fuerit. Vulgo dicunt, Benè seruiet processui.

Inter se partes intra diẽ tertiũ comparent, quem inquisitorem potissimum eligant, aut quibus inspectoribus ad eam rem vtantur inspiciendam & arbitrandam. Quòd si triduo inter eos non conuenerit, curia continuò inquisitorem nominauerit.

Defensor porrò progredi iussus & præcidere. Id est, Nominatim declarare.

Inexplorato iudiciũ ingredi, & ius experiri. Hoc est, Incõsultè litẽ incipere.

E' luto forensi emergere pedibus semilotis.

Mutuum iudicium intendere, vicissim iudicium dictare. Vulgo Reconuenire dicitur.

Victoria potiri haud incruẽta rei familiari. Id est, Quæ loculos exãgues reddidit. Victoria Cadmæa, quæ haud è re familiari admodum fuit. Litis enim sumptus victoriæ fructum deuorauerunt.

Stare nuper cœpit in iudiciis hæc sententia ob curiæ auctoritatem, cuius arestum exemplare haud pridem inclaruit.

Quibusdam de rebus non eadem stãt sententia omnes curiæ classes. Id est, Non semper idem omnes de eodem sentiunt.

De prouocatione cõcertatio fuit. Prouocatoris aduocatus ex temporalis disceptationis esse dicebat, atque in re præsenti dirimendam, Prouocati patronus reclamans, disquisitionis inquisitoriæ eam esse causam contendebat, eóque delegandam. Id est, Ad classes inquisitorias ex formula reiiciendam.

Statariæ quædam functiones sunt curiæ cõscriptorum. Id est, Vrbanæ & do

mesticæ. Quædam verò motoriæ, atque viatoriæ, quæ Cõmissiones vocãtur.

Annuæ diei cõticinium in quibusdam causis eremodicium facit, vt in redhibitionis gentilitiæ iudicio. In cæteris ferè trimæ diei conticinio cursus litis interpellatur ac dirimitur.

Præscriptio conticinii trimi in causa sacerdotii cõtrouersi, à possessore obiecta, litis internicionem facit etiam in omnem controuersiam. cuius exceptionis hæc verba esse possunt, in antiquum quidem morem concepta, Si nõ triennio cõtinuo citra controuersiã possedisse me appateat. vel, Extra quàm si triennium continuum possedisse me sine negotio, doceo.

Statiui menses eo anno solenniũ feriarum fuerunt edicto principali, Perennis fuit eo anno curiæ consessus, Princeps edicto vetuit eo anno vacationes esse cutiæ.

In arbitrium trium hominũ res collata, adiectũmque pœnam fore quingentorum aureorum, qui eo non stetisset quod arbittati forent.

Causæ inuidiosæ actio, vt auribus curiæ putida, diu stare non potuit, confestímque exacta est, & propè exibilata.

Vltimam vim ambitus parat aduersarius tuus, à qua tibi metuo.

Ad vltimam dimicationẽ diuturnæ controuersiæ ventum est, iámque calculi in manibus sunt consilii. Iam velis remísque vtẽdum ambitus non improbati moribus. In eo articulo videas homines alioquin insolẽtes, ad suppli cum speciem tãtisper se componẽteis: quosdam etiã honorum fortunæque fastigia non summittẽteis modo, sed etiam demittẽteis nõ sine indignitate.

Litigator nondum imbutus forensibus artificiis, Nondum callens formulas exercendarum litium, Adhuc insciens acriter agendi quod agitur.

Qui nondum vti foro iudiciali didicit, sæpe cum dispendio è nundinis illis abit, in quibus non ius tantum, sed etiam iniuria magnò nonnunquam redímenda est qui suum seruare velit.

Homo meticulosus, ac detestatione ærumnarum forensium imbutus, cõtrouersiam decidere quouis modo maluit, quàm iure disceptare cum improbo & confidenti aduersario. nimirum non satis gnarus id esse calumniarũ irritamentum, sic cupidè foro cedere. Qui enim litium natura fugitãs sit, hũc vltro interdum occurrere litem intendentibus oportet, quasique certamen lacessere, duntaxat in speciem. Certè quidem ita cessim ite cõnsultius est, vt non foro excedere, sed litem propulsare videatur, non abiecto aut posito, sed reiecto tantum scuto.

Pedẽ cõferre, certandi potestatem facere, dilationum formulas minuere.

Subitarias copias causæ labanti conscribete, est Noua documenta proferre diplomatis venia.

Locis opportunis causæ subsidia disponere.

Delectum copiarum facere & conscribere, est Indicem instrumẽti facere.

Copias suas recolligere, & Copias suas ex officio scribarum recipere, Saccu los suos retrahere appellant. Quod est quasi vasa forensia colligere.

Iudicialis indulgentiæ culpa calumniandi ius in foro vsucaptum.

Sacculosæ cõtrouersiæ atque instrumẽtosæ, argumẽtíque sinuosi, insignio-

tribus causarum inspectoribus atque expositoribus attribui debent, nisi ætaté litigatorum pendere eas velint qui litium fata regunt.

Curia censuit, Quod præfectus Parisiensis mandatum diplomaticum exequendo lege in reũ egit pecuniæ iudicatũ, rectè eũ ordinéque fecisse, ipsum autem iudicatum temere prouocasse, mulctámq; eo nomine cõmissam esse.

Curia, & foro, & lite eximere, Forẽsi nexu eximere. Nostri Extra curiam & processum ponere dicunt. Iudiciali obsidioni eximere.

Infamiæ eximere iniuriarum damnatos curia sæpe solet, clausula veniali aresta sua cludens. Quod tamen iudices iurisdictionis obnoxiæ vsurpare non verentur, cum visum est, legúmque vim moderari.

Furtis noxísque reus planè solutus, Nũc Ad purum plenúmque absolutus dicitur.

Reus noxa crimineque solutus, insuper quanti sua interfuit, à delatore aut actore abstulit.

Tempus lege agendi cũctando eximere, & defensione procrastinanda, fugacis est rei.

Prolatando detrectare subnotationem conuenti iudicialis, transacta iudicialia, & quæ in iure conuenerunt frustrari prolatando. Id est, Nolle signare appunctamentum, & differre.

Forensem fallaciam procudere, Forensem dolum comminisci.

Decẽ aut viginti libris mulctare curia improbos litigatores solet ob multos mẽses rei disceptãdæ vel prouocationi certãdæ exẽptos. Nẽc decẽ modò & viginti ac plusculis, sed etiã denis vicenísq; tũ regi, tũ aduersario pendẽdis. Iurisdictiõis enim ludibria alia atq; alia in dies eximẽdo tẽpori excogitãtur.

Aresta defunctoria lites lacessunt sæpius quàm dirimũt, & expectationem frustrantur eorum quorũ interest iudicia summarũ quæstionũ repræsentari.

Die disceptationis per detrectationem abesse.

Litis ordinẽ cursúmque inoffensum seruare, & iustis iudicialibus peractis, rem instructam in consiliũ primo quoque tẽpore mittere, summæ est æquitatis litigatorum, rectáque conscientia præditorum: sed rari est exempli.

Cognitores quidam in curia frustratores & restitatores, eóque nomine nobiles notique.

Pragmatici dici possunt hodie, qui Causarum sollicitatores vocantur, qui πράγματα παρέχειν litigantibus minime versutis solent. Vel, οἱ τὰ τῶν δικαζομένων πολυπραγμονοῦντες. omnésque vno nomine, οἱ περὶ τὰς δίκας πραγματευόμενοι. quales fuerunt apud Græcos.

Sunt prouocationũ causæ quæ protinus, id est, ἀμέσως, ad curiã transeunt: sunt quæ tertia, sunt & quæ quarta demũ resortitione aut vlteriore euadãt ad summæ iurisdictionis curias. Sunt & curiæ quædã tẽporariæ, qui Magni dies vocantur qui certo quodam annorum circuitu cogũtur, eæque duorum generum. Eæ autem demum, quæ regiis auspiciis edictóque peregrè indicũtur, & è numero curiæ summæ Cõscriptorum cõflantur: iure summæ & vltimæ cognitionis iudicant, duntaxat causas moduli edicto definiti, & causas præfecturarũ, quas edictũ cõplectitur. Quod genus comparatum est ad exhaurien-

dam prouocationũ colluuionem in curia circunfluentem. Eorũ autem conuentuũ qui auſpiciis procerũ regni cogũtur, iure à regibus indulto, ſẽtẽtiæ, infra auctoritatem ſunt areſtorum, & plerunque obnoxiæ cõditionis: quod tamen ipſi magnopere grauantur. Cæterum eiuſmodi prouocationum gradatio & ſcanſilis iuriſdicendi ratio, à maioribus ob id recepta, quòd vectigal pendere poſſeſſionum dominis iuriſdicendi poteſtatem cenſuerunt, calumniarum eſt alimentum, & verò palæſtra quædam (vt ſic dicam) inficiatorũ hominum & improborum. Siquidem huiuſmodi homines iuuat aliis ſuper alia negotiis aduerſariis ſuis exhibẽdis aut faceſſendis, tot manus eluctari iudicũ, identidem prouocãdo ad ſuperius tribunal, nec antè manus dare victoribus ipſos toties victos, quàm ad vltimam & ſummam dimicationem ventum eſt, vt improbitatis ipſam vltricem & calumniæ, ſic victoriã victoribus ſæpenumero Cadmæã pariturã. quippe quibus interim tot manus inuolatrices pragmaticorum periclitandæ ſint, tot exantlãdæ ærumnæ certaminũ forẽſium. Adeò dura eſt eorum conditio, quibus cum foro negotiũ eſt, animali voraciſsimo. Huiuſmodique pœnas iis pendere neceſſe eſt, qui ſuum ſeruare iudicio, iuréque obtinere inſiſtunt. Id verò mirari deſinẽt ii, qui animaduerterint ſic moribus res eſſe in Francia comparatas, tertia vt pars hominũ qui aliquo ſũnt numero, rationes vitæ aut cõſtitutas, aut magnopere implicatas habeat in cõmercio fori iudicialis. Certè quidem decus vrbium præſtantiorum circũforaneam vitam agit. quo nomine iuriſprudentia vehementer inclaruit.

Libello ſupplici porrecto in hæc verba reſpõſum eſt, Si in ſacculo ſeorſum condatur quod ſero prolatum eſt, curæ fore conſilio, vt eius ratio in re iudicanda hactenus habeatur, quatenus ius æquúmque poſcere videbitur.

In re ſubita ac trepida aliquandiu tumultuatum, donec libello ſupplice curiæ porrecto laxamentum datum eſt ſubſidii comparandi rei iam propè conclamatæ.

Cauſa à curia eo reiecta, vnde erat oriunda. Id eſt, Relegata ad ſuum iudicẽ cauſa.

Cauſa ſemianimis, atque etiam iam agens animam, diplomate impetrato paululum recreata eſt.

Quæſtio rei capitalis forẽſi factione oppreſſa, demitigato Cognitore regio.

Exequendæ rei iudicatæ diſceptãtor, vehementiorem partium cõcertationem, integram ad curiam reiecit, ac renuntiatione ſua detulit.

Cum executor lege agere pergeret, nec interceſſioni, nec prouocationi cedens, ſæpius ad curiam prouocatum, vt prouocationem ter aut ſæpius geminaſſe, non ter aut ſæpius prouocaſſe videri vellet. Nunc, Adhærendo prouocare dicunt.

Præſes de libellari poſtulato iuſſit curiam inire cõfuſam ſentẽtiam. Id eſt, Vniuerſos cenſere, quoniã ſentẽtiarũ diſquiſitionẽ res poſcere nõ videbatur.

Præſes cum ad diſquiſitionem rem vocare cœpiſſet, vel cum diſquiſitionẽ tentaret, patres confuſa voce poſtulata repudiarunt.

Aurei ſportulares, vel Aureæ ſtipes, dies immunes, munifices ſæpe faciũt: & dies faſtos, qui nefaſti ſunt.

Auctoritatem prærogatiuæ multi deinceps secuti sunt.&,Expositoris prærogatiuam paucissimi secuti.

Ascripti sententiæ dici possunt,qui vulgo Comprehensi in sentẽtia vocantur.Et Ascripta nomina,quæ Comprehensa dicuntur.

Multæ in ea cõtrouersia vltro citróq; clades editæ,vel Vtroqueuersus editæ.

Iudicium curiæ secundum aduersúmque vltro citróq; fuit, atque vterque vtrique damnatus & absolutus congruenter personæ intendentis & depellẽtis.Id Respectiuè damnari & absolui vocant.

Lite & controuersia excedere, est Litigio se explicare.

Omnium causarum in curia iustitium iustum ad eum diem fuit,vel ad aliquot dies fuit.Hoc est,Curia cessauit.

Iactum partis instrumenti sui facere,est Testari nolle se ea parte vti.Iactum aliquarum literarum sponte facere,ne pars aduersa causam litis procrastinãdæ habeat.

Nec rectè nec ordine rei iudicatæ executorem fecisse pronuntiatum,meritóque prouocatum.Nec ex formula fecisse,nec ex aresti sententia,quòd victorẽ in possessionẽ deduxit rei aresto non ascriptæ.vel,Vltra fines ascriptos.

Quòd cognitor à cognitore sæpius appellatus de transigendis iudicialibus conuentis,per detrectationem diu distulit, curia mulctam cõmisisse pronuntiauit à sanctione indictam.

Causæ alienæ laboranti subsidia mittere,id est,Documenta commodare,& vtendas dare aliquas auctoritates quæ vsui futuræ sint.

Viatoris acta edere,Eorum quæ lege acta sunt,exemplum edere.Quæ vulgo Expleta dicuntur.

Quæ inter partes conueniunt, probatione non egent.Quæ autem discrepant,probanda sunt ab eo qui in medium ea attulit.

Supplendæ sunt copiæ,si ieiunæ videntur.Id est, Noua productio faciẽda, &,Supplementum copiarum,& Instrumenti subsidiariæ copiæ.

Recuperatores vel disceptatores à curia in hæc verba dati,De re controuersa cognoscerent, & rem instructam ad curiam referrent. Quòd siquid in lite instruenda nouæ controuersiæ oriretur,agerẽt,facerent,vt è re commodius iudicanda futurum esse ducerent.Id est,Cũ potestate disceptatoria dati sunt.

Eius causæ iudicatus auspicia,non primi,sed secũdi erant præsidis.vel,Eius rei iudicãdæ,vel in consilium mittendæ auspicium,apud alterum erat præsidem.Id est,Eius erat audientiam dare,quia iudicio præerat.

Imperium iudicis vt nõ sui abnuere,Iudicis imperium, iurisdictionémque aspernari,vt nihil ad se pertinentia.Id est,Eum incompetentem dicere.

Aliud est omnia reip. causa in persona publici actus facere , aliud publica persona in speciẽ amictum esse. Tot enim partibus hæc differũt,quot amorẽ Reip.& charitatem ciuilem in sinu circunferre noctu & interdiu, & inane simulachrũ eius virtutis ore & fronte gestúque affingere. Sed ætate scenica & theatrica,satis esse creditur honóres gerere vt ornamenta hominũ,nõ etiam magistratu fungi,laboreśque & molestias suscipere,odiáque malorũ præsertim potentium.Refert enim huius temporis sensu,nõ quid fiat optima fide,

ſed quid optimè ſimuletur & ſpecioſiſſime. Honores igitur gerere, nō etiam magiſtratus volumus, cultum atque obſeruantiam hominum nobis poſcimus, quaſi ſtipendiorū corolaria, fructúmq; honoris potiundi: labores & hominum offenſiones grauamur, in quas impingere neceſſe eſt, qui antiquū in morem actu publico fungi velit, & ſpiritu tribunitio. Hui (inquiūt Pſeudocatones) quaſi verò in theatro res ad verum agendæ ſint, aut quaſi ſuccidaneam victimam pro Repub. quiſquā iam mentis compos, rem ſuam priuatam ſubditurus ſit. Non ii iam ſunt mores, non ea communis iam prudētia. Pereant ſibi Reiq; publicæ leges, ſanctiones, inſtitutáq; maiorū, & verò decus ipſum regni, Iuſtitiæ numen, potius quàm honoris noſtri iactu fortunæque ſeruentur. Quod enim agas Reip. ſi rectè cedit, à nullo repēditur, cū ab vniuerſis debeatur: ſi male, à ſingulis cū conuitio reprehenditur, quòd vniuerſis incōmodè factum eſt. Sedere cœpit hæc ſententia, cum in primis rerum actibus, & ad ſata noſtra ſumma pertinentibus, tum verò in forēſibus, & adminiſtris actionum popularium, quæ nuſquam non tutores habentes, vbique ferè iuſto orbæ ſunt patrocinio. At horum ſunt tantum iudicia parentalia, & actiones iuſtitiæ ſugillatæ vindices, legúmque vim paſſarum. Atqui in quē omneis ſuas actiones princeps, populus, vniuerſi tranſcripſerūt, is cunctorum & ſingulorum vicem dolere pro ſua debet, cum pro poteſtate ſuſcipiendum habeat. Quid autem ſibi ſpecioſe timeat, qui nouit ſacroſanctū ſe magiſtratū gerere, eiúſque perſonam quaſi paludamentū eſſe ſciat caduceatoriū inter acies armatas & prælianteis? Profectò tantum Reip. depoſitum cuſtodis indigebat, officiíque exactoris. Maléque id olim conſtitutum eſt moribus, quòd huiuſmodi tutores, ſibi longè magis quàm tutelæ negotiáteis, ſuſpectos nemo datus eſt qui poſtularet, vel ſuſpecti conuictos & manifeſtos. Vt autē muneris huius functio pleriſque in locis conſtituta eſt, inane nomē magiſtratus citatur in omni parte quæſtionū exercēdarum, formularia magis obſeruatione atque defunctoria, quàm ad legū tutelam, facinoroſorum criminū animaduerſionem, & præſidiū inermis multitudinis, quæ tutelæ ſuæ eſſe non poteſt.

Quædam cauſæ non tam ſuapte vi ſuperiores ſunt, nec ſuo iure nixæ, copioſóque apparatu inſtructæ, quàm commendatione hominū potentia aut gratia forenſi pollentium.

Cauſa ſuo & natiuo iure nitens, & iure aduentitio auxiliaríque cōfirmata.

Cauſa ſola iuſtitiæ & æquitatis commendatione gratioſa, potenti aduerſario par eſſe non niſi ægrè poteſt.

Inter audientiæ competitores veri candidati Cæſaris plærunque prærogatiuas ferunt.

Inſtitoriam operam nauare litigantibus, ſignificare poteſt id quod dicunt, Sollicitare proceſſum.

Iacta eſt alea cauſæ tuæ in alueo parum tibi commodo & opportuno. Id eſt, Cauſa tua iudicatur in claſſe, in qua aduerſarius tuus longè te plures habet æquos iudices.

Adhuc Marte cauſæ communi conſilium diremptum eſt. Id eſt, Neutram adhuc in partem propenſior eſt ſententiarum numerus.

Est causa aliquando, quæ Marte suo inferior, auxiliis ferentariis superior euadit, si tempestiuè accedant.

Sunt qui copiis suis diffidentes, arte strategematica vicerunt, aut Marte auxiliari.

Interdum causa, quæ in procinctu multo infirmior videbatur, Marte necopinatò verso, ad extremum victrix euasit. Sors etiam iudiciorum ad auram quandam fori nonnunquam versabilis est, vnde minimè aut metuendũ aut sperandum esse putares.

Cognitor publicus sic cum suo Theseo, aut suis cum Theseis sic à Rege denominatum se Regium meminisse debet, vt tamen princeps non minus illi populi iura, id est, publica, quàm regia fiscíque commendata voluerit. Præsertim cum quicquid popularium est, sit etiam principis: opésque regiæ inexhaustæ & restibiles, non in ærariis sanctioribus, sed in singulorum loculis cõditæ sint, in Francia quidem, vt si vsquam gentium.

Præsenti numine iustitiæ afflati tum iudices curiæ, vnde ius stabat æquitate conditum, ab eo sententiam dixerunt, ambigentium personas in iudiciis amussim albam in alba structura esse debere ducentes.

Qui conuentus agunt peregrè iuridicos auspiciis regiis, intra fines diésque præstitutos tantum & cognitionis modulos, pro potestate iudicant.

Asylum legum, Arx iustitiæ, Innocentiæ aut vim passæ, aut iudicio circunuentæ propugnaculum, dici potest Exhedra, vel Conclaue patens aduocationis regiæ. Liceat enim tales vel fingere, vel votis exposcere, quales esse cupimus intercessores rerum malarum, suasores rerum bonarum, præsentis semper animi actores & defensores de sententia iuris & æquitatis.

Cognitor regius populíque in curia, quasi machina quædam iustitiæ in cõmune consulentis, duobus velut organis illis automatis mouetur, regiis caussidiciş. quos magistratus sui collegas sic habet à cõsiliis & causarum actionibus, vt tamen penes eum sint auspicia Triumuiratus, quasi apud choragum, si iure suo vti velit. Hi tres in mediis priuatarum causarum actionibus interim sic consurgunt, cum res ita nata est, vt quondam in Græcia chorus in theatris inter duos actus fabularum in mediũ prodire solitus erat. Illud igitur summopere obseruandum obiter consurgentibus, hic vt iustitiæ partes chorus officiúmque virile defendat, neu quid medios intercinat actus, quod nõ proposito conducat, & hæreat apte.

Decora in curia parta causidicos claros faciũt. Id euenit in prosperis actionibus causarum insignium.

Redemptor quidem litium, cinnum calumniosæ litis ex colluuione iuriũ futilium concretum, in iudicium deduxit, negotiúmque improuisum diuturno possessori nunc facessere pergit.

Huius liticulæ disceptatio summam causæ decernet. Id est, Præiudicium erit.

Liticulæ obiter enatæ, sunt Quæstiones emergentes. Lites summam causæ præcurrentes, & summæ liti præuertendæ, sunt Incidentia.

Impetrati diplomatis in medium deductio omnibus sententiis antiquata

eſt.Id eſt,Diplomatis repulſam tulit.

Poſtulatio iudicialis pronis auribus exaudita eſt.

Sacculos exenterare,eorum extiſpicium facere, vitale viſcus cauſæ furtim ſubducere.Id eſt,Cardinalem auctoritatem.

Recuperatoribus iuriſdictionem liberam princeps,& ſine curiæ ſuíque appellatione conceſsit.

Hirudines forenſes, exangues loculos litigãtium tandem reddunt. Id eſt, Turba fori alumna,& natio pragmaticorum.

In aliqua claſſe curiæ cum ſententias ita adæquare contigit, vt ad aliã claſſem anceps alea denuo deferenda ſit: delecti duo mittuntur rei expoſitores, patroníque ſuæ vterque ſententiæ, qui diuerſi rem exponant. Diuiſores appellant,vel Dirẽptores potius.quaſi dicas, Alternãtis adhuc aleæ decretores.

Cognitores cauſarum eo iure ſunt, ſi aut actoris cognitor,aut rei, quippiã agat in lite exercenda, aduerſus quod inter eos conuenerit, ſupplice libello aut diplomate ad diſceptationem curiæ vocandus eſt.

Hac de re partes dixerunt ſe futuros in auctoritate curiæ,ſiquid conſtituere vellet.

Refutationes teſtium partim derogant teſtimoniis, quædam planè abrogant,quædam pro non ſcriptis habentur.In curia Bonas vocãt, & Simpliciter aut magnopere notandas,& Prætereundas.

Curiæ ſententia fides auctoritati arrogata eſt. Id eſt, Dictum eſt, fidem illi habendam eſſe.

Libello ſupplici diſceptator partibus datus hic aut ille cõſcriptus. Loquatur,in curia id appellatur.

Quàm maximè gradum in iure actor ĩnfert, tam maxime pedẽ refert reus tergiuerſabundus.

Ea de re nihil temere decerni tum placuit, ad frequentiorémque curiam res dilata.

Copiæ litis anteſignanæ.Id eſt,Pars præcipua inſtrumenti.

Poſtulatori abſciſſa ſpes impetrãdi.Id eſt,Pernegata poſtulatio.&Reſponſum eſt,vltra ne poſtulet.

Indicere litem alicui,& Lite non indicta iudicium dictare.Id eſt,In iudiciũ vocare non antè appellatum de agnoſcenda fide bona.

Iudicum æquitatem experiri noluit.Id eſt,Litem decidit.

Cognitor abſentis, cum defendere cauſam detrectaret, cum iureiurando à curia interrogatus, negauit ſe quicquam commentariorum habere, vnde cauſam abſentis tueretur.

Ex conuento,vel è ſyngrapha iudiciali,vel è condicto ad diem adeſſe in re præſenti.Id eſt,Per aſsignationem vel decretum iudicis.

Si vi aperta res procedere non poteſt,cuniculis agere oportet,vel Cuniculis res tentanda.

Fucatam litem mouere,Iure fucoſo cum aliquo experiri.Id eſt,Colore tituli quæſito.

Cauſa frontis perfrictæ,vel frontis calũnioſæ,prima ſtatim actione exploſa

est damnatáque. Id est, Quæ exordium impudentiæ plenum habebat. Cótrà verò Causa ingenuæ frontis & candidæ, secundo consessu excepta est. Id est, Quæ præ se ferebat candorem animi & ingenuum propositum.

Hic annus fœturam litium miram attulit: &, Basilica iam nó capit multitudinem litigantium. Indulgentia enim iudicum fouet litium materiam.

Calumniosæ litis societatem coire, Fœdus occultum & collusorium inire ad circunueniendum iudicio tertium litigatorem.

Patronus causam inuidiosam acturus, hominúmque opinione damnatã, præoccupatarum aurium præiudicium sic oratoriè deprecatus est, vt sibi iã æquam attentionem fecerit, causǽque inuidiam magnopere minuerit, antequam ad narrationem veniret.

Infractus iam litigator & summissus decisionem litis circunspectat.

Intentione iudiciali prædium clientelare, vt commissum, deposcere.

Intendere iudicium commissæ clientelæ.

In iudicio iniuriarum exposcere reum ad pœnam pendendam supplicem atque honorariam temerariíque maledicti indicem atque deprecatricem.

Fides pacta indici, & ab eo accepta, rem sibi noxiæ non futuram, duntaxat per curiam, curǽque curiæ futurum vt impunè quoque sit à principe, qui solus id præstare potest.

Fides curiæ data haud futurum indicium noxæ, quantum quidem præstare curia potest.

Causarum cognitores à lite contestata domini esse censentur, vt procuratores, quibus iure experiundi cura mandata est. Cæterum cognitorum mandata precaria esse censentur, si pœnitenda videantur litigantibus.

Ea demum est iustitiæ officina, in qua ex æquo vtrique disceptare licet, loquendíque vicissitudo & postulandi æqualiter libera.

Interponere querelam interturbatæ possessionis, vel violati iuris. Liuius, Interposuerat querelam de iniquitate decretorum. Interpositũ iudicis decretũ, est Interlocutio decretoria. Et interposita sententia disceptationis ad repagulum curiæ.

Lites maturæ, & quæ consilium manere videbantur, sæpenumero recrudescunt rerum nouarum molitione, & venia diplomatica litem redordiendi.

Rei post annos triginta iudicatæ, actio semper salua est.

In iure gradum bona fide conferre, non simulatè, & causabundè, atque alias ex aliis moras fingere impudenter & comminisci, vt cognitores solent, eo nomine vendibiles improbis litigantibus, cóniuentibus scitis curiæ quali bet minacibus.

Sæpe temporis breuitas necessitatem exprimit quædam inconsultè transigendi, quæ rei summæ captiosa sunt. Et alioqui quædam existunt in iure, in quibus consiliumè re præsenti capiendum est.

Pro imperio causam transferre viatores solét, quibus hoc diplomate man datum est, si iudex cunctetur id facere.

Quandiu translatio causæ disceptatur, iudex iustus esse causæ ipsius nõ potest. Id est, Quandiu incompetens iudex esse dicitur.

Translatiua causæ præscriptio cognitionem ita moratur, Tantisper iudex non sit.

Litem inclinatam ruentémque sustentare aut libello aut diplomate.

Interdum quæstiones in lites vertunt, & criminum iudicia in ciuiles cõtrouersias transcribuntur, & ex æquo disceptatio reo aduersus actorem cõstituitur. In processum ordinarium admitti dicunt.

Turbine iudiciali vel curiali ictus, ac fulmine perculsus dici potest, qui omnibus exemplis iudicii calamitosi mulctatus est, & aresto fulmineo omnibus fortunis euersus.

Disceptator peregrè iturus, vel litis inspector, cognitione vel inspectione se abdicare debet, in officióque scribatus chirographum suum inducendum curare. Exauctorare etiã id dici potest. Auctorati enim sunt causis inspiciendis curiæ conscripti, qui sacculos ab officio, vt sequestres, accipiunt, & chirographo in ephemeride curiæ ascripto habere se tot numero sacculos fatentur. Ex qua ephemeride è demortuorum domibus frequenter litium instrumenta ab actuariis recipiuntur.

Exauctoratæ litium auctoritates & copiæ dici possunt, quarum ii qui protulerunt, prolationem renuntiant, testantes se nolle iis vti, earúmque vsum abnuere. Quod fit interdum, cum falsi insimulantur ab eo quem cõtra prolatæ sunt. Exauctorata sunt etiam testimonia & inquisitiones, quarum curia rationem non habituram se in re iudicanda, vel non habuisse pronuntiauit.

Litis inspector, id est, Sequester & commẽtator, litis inspectione, aut expositione abdicare se iussus est sententia curiæ, vt suspecti accusatus libello supplice ab altero litigatorum. Quod Abstinere à relatu vulgo dicunt. Interdum vbi suspecti accusatio parum est verisimilis aut speciosa, abdicare se expositione causæ dicitur, non etiam è consessu consilióque facessere.

Ampliata tertiùm disceptatio, corollarium etiam vnum aut alterum dilationum additum. Id est, Dilationum additamenta improbitate tergiuersantis expressa.

Exceptum in aresto, ne quippiam principis quæstionis in curia actum esse videatur, & præiudicatum. Id est, Ne de capite controuersiæ quicquam in iudicium venisse videatur.

Subdisceptator, est Surrogatus in locum commissarii à curia dati.

Subcognitor, Substitutus procuratoris.

Sub diem rei in consilium mittendæ data visceratio liberaliter. vel, In gratiãm rei iudicatæ visceratio data. Id est, Ferina caro distributa.

Quanquam hominem litigantem sui iuris non pœnitet, nec copiarũ quibus causa instructa est, prudentis tamen est hominis mediocris lucri gratia conditionem commodam non respuere. Communis enim est Mars fori, ad vltimam vsque catastrophes clausulam.

Signa certaminis forensis nec loco promota sunt ad hunc diem, nec

rursus retro recepta. & neuter impreſsionē fecit in copias alterius. vterque in ſuo gradu obnixus ſtare videtur. Id eſt, Vterque magna ſpe fretus eſſe videtur, & communis eſt adhuc Mars belli, & neutro propenſior.

Cauſa iam fato ſuo petfuncta eſt, etſi nondum euentus innotuit partibus.

Inſpector litis iuſta cōmentationis enarrationiſque impleuit, omnibus numeris officii expoſitoris vſus eſt: quare iuſtis ſportulariis fraudandus non eſt.

Auctoritates prolatæ è monumentis curiæ repetitæ.

Addere gradum litibus tardè ptocedentibus. Id eſt, Vrgere cauſas, & cunctantibus aduerſariis inſtare.

Res teſtibus inquiſita, & Res tormentis quæſita.

Teſtificationes tectè atque ordine perſcriptæ & cōſignatæ viſæ ſunt. Id eſt, Inqueſta benè & debitè facta, vt vulgo loquuntur.

Ea quæ facti erant controuerſi, teſtibus inquiſita, & ad iudicium relata, vel ptolata. Id eſt, Inqueſtæ reportatæ ſunt.

Vnica diſceptatione cōtrouerſia decreta eſt, Prima altercatione expugnata poſtulatio.

Impreſsio fit in cauſam, vt in aciem inſtructam, quando alter litigantium cedere inſtitit quaſi certamini impar.

Res per impreſsionem iudicata eſt, quādo iudex alteri parti æquior iuſto, imperio & terrore in alterā vtitur, & iuriſdictione violenta, aut ſi teſtes interrogando territat.

Fœcialia iura fori violare dici poteſt, qui cōtra rem ttanſactam ac deciſam rurſus litem perſequitur, vel contra arbitrium conſcriptum.

Contra prouocationem facta, irrita pronūtiata ſunt. vel, Poſt prouocationem acta, pro nihilo ducenda ſunt.

Sanctio pontificia de pacatis poſſeſſoribus ſacerdotiorum, euerriculum eſt omnium litis argumentorum.

Lis ſurſum deorſum agitata, vel rurſum prorſum ordinata. Id eſt, Ptæpoſterè inſtituta & exetcita. ἄνω κάτω τ̀ δίκην δικάζεσθαι.

Pacem forenſem in leges omnes ſuas conficere, Eſt ita cauſam decidete, vt ſibi ius dicere videatur, qui hoc ab aduerſario exprimit.

Litem habere præcordia fodicantem. & Curæ quædam forenſes pectus litigantis fodicant. Vulgo Tangere cor dicuntur.

Homo clade forenſi alia ſuper aliam non ſolum mulctatus, ſed etiam mactatus vſque ad egeſtatem.

Forum litigioſum, id eſt, Litibus frequēs. Homo litigioſus, φιλόδικος & πολύδικος.

Hac de re ius tecum expetiri certum eſt, quandoquidem tu fidem bonam agnoſcere niſi coactus nequis.

Actum agere minori annis licet, qui ſine curatore iudicium intendit aut depulit.

Lites quædam benè & commodè procedunt, & quædam ptæpoſtetè: nonnullæ non tā procedere quàm retrocedete dici poſſunt, vt Arua neque Auſoniæ ſempet cedentia retro. Sic Lis interdum à proceſſu ad retroceſſum ver-

tit, aut auersis vestigiis procedit.

Succedit res forensis alicui sub manu, quando apposite ei procedit.

In re subita ea potius vtendum defensione, quæ ad manum venit, quàm nulla. Id est, Quæ ex tempore subit. Vt, Telum iaculari, quod obuium est inermi.

Rectas & simplices manus (vt dicitur) aduersarii excipere aduocatus quilibet experiens animíque præsentis, potest. Tectas autem & auersas propulsare, raræ est solertiæ atque vigilantiæ. Hoc est. Astutè figuratéque dictis apposite respondere. Translatio est à gladiatoribus. Ex Quintiliano.

Fucum curiæ facere, vulgo Abuti curia dicunt.

Expensarum remissionem vel gratiam depacisci, & sic liti cedere.

Quidvis depacisci non recuso, quod cum incolumitate causæ fiat.

E forensi naufragio tabula arrepta emergere. &, Seruare è lite perdita quod potest seruari. &, Re perdita defungi quàm leuissimè fieri potest.

Ipsa si cupiat Salus, quosdam seruare non potest, quasi noxæ deuotos calamitosæ.

Animo præsenti causam agere. Id est, Non perturbari: Animo præsenti testificari, Animo præsenti interrogatum respondere.

Intendere fallaciam vel captionem forensem aduersario. Hoc est, Captare, & imminere occasioni hominis circunueniendi aut opprimendi.

Inspectores litium summa veneratione coluntur ab iis qui audientiæ candidati sunt. Ii sunt præcipuè, quibus omnia (vt dicitur) dolia, omnes feriæ relinendæ sunt, si huiusmodi obsequia non grauantur.

Homo luculenter auctus forensibus victoriis.

Homo plenus litium, inanis & vacuus fortunarum. In foro negotia, alibi versuras faciens.

Meliore loco causa est, & peiore interdum loco. Hoc est, Prosperè cedit. Vulgo, Casus benè procedit. &, Lis malè nobis succedit. Virgilius,

Quo res summa loco Panthu. Terent. in Phormione, Loquere obsecro quo in loco sunt res & fortunæ meæ. Sic Cæsar, Cum ex calonum fuga cognouisset, quo in loco res esset.

Possessio memoriam excedens, Possessio memoria antiquior. Immemorialem vulgo vocant.

Iurisdictionis corruptelæ, Vulgo Abusus dicuntur.

Ab hasta minoris curator non summouetur. Id est, Ad auctionem inter licitatores admittendus est.

Litigandi tyrocinium magna mercede feci. Rerum forensium rudimentum magno dispendio posui. Vulgo dicunt, Carè emi litigãdi experimentũ.

Qui interdicto ius experiri velit, intra annum agat quàm vis facta est, aut possessio interpellata.

De capite & fortunis ambigere, Capiti ac fortunis consulere.

Liticula liti agnata, Incidens vulgo dicitur.

Cum litigator iudicio prolusorio cecidit, fit tãquam caducum auspicium in summam litis. &, Sententia aduersa omen est ad summam quæstionem.

Prolusorium iudicium moribus nostris exerceri potest in eum,qui domū reuocandi ius habet,aut iudicii transferendi.Vt siquis hospes inuentus in hac vrbe,ad præfectum in ius vocetur, vt chirographum suum cognoscat, & detrectet id facere,quod dicat non suum hic forum esse.Manu enim in vasa eius viatoria,atque in equos iniecta, cogitur agnoscere aut abnuere. Ita fert ius municipum & ciuile huius vrbis,& aliarum multarum.

Prolusorium in reos infulatos iudicium,id est,προαγὸν,Regium præiudicium est.vulgo Casus priuilegiarius dicitur. Et Prolusiones animaduersionum in reos fori Pontificii fiunt à iuridicis regiis,& à curia vsque ad exilium. Animaduersio enim prolusoria præcurrit animaduersionem pontificiam. Sunt autem certæ species huiusmodi criminum, quæ animaduersionem regiam & prolusoriam postulant : vt siquis magistratus regius in munere suo fungendo crimen admisit concusionis,aut repetundarum,aut falsi.

Causa conflata è symbolis consultorum basilicæ.Id est,Multorum aduocatorum commentatione & consilio causa instituta est & conformata.

Cinnus litis è iuribus multis controuersis in vnum confusis confectus. Id est,E' iure multiplici à pluribus cesso.

Actionis vehementis mucronem retundere firma ac solida defensione.

Huius intentionis mucro,alioqui validus,in scutum incurrit longissimæ præscriptionis.

Conscripti quidam curiæ diligentes,sacculos de manibus non ponere existimantur.Id est,Assidui esse in causarum instructarum commentatione,aut enarratione.Vulgo,Magni extractores vocantur.

Homo frugi aut literarum amans, cum negotium habet cum foro, mus est in pice aut resina conflictans.

Liticulæ velitares,& Velitatiunculæ forenses,sunt Concertationes litis cōtestationem percurrentes.

Iurium forenses inuolatores,sunt quasi quidam prædones fori.vulgo Volatores vocantur.

Habent cōtrouersiæ suos actus in foro,vt olim fabulæ in comœdiis. Quorum secundus est litis contestatio,vltimus est catastrophe, id est, Sententia, aut alius litis diremptæ finis.Sunt autem interdum placidi motus & statarii, interdū motorii & turbulēti, sollicitantes vehementer mentes litigantium.

Litem & quæ liti cedūt,vincere,Id est,Principalem litem, & eius accessiones sumptúsque auferre.

Cedere liti & iis quæ liti cedunt, est Simpliciter lite excedere, Nulla pacta conditione chartam (quod aiunt) puram aduersario porrigere laturo conditiones legésque quas libuerit.

Causa siderata dici potest, quæ inter consultos conclamata est.Sed Sideratio,repentinus est causæ morbus,qui aliquo casu præter expectationem euenit,quasi à vento aliquo fori noxio.

Vltima iudiciorum experiri statuit,qui conditiones fori non tentat,vel respuit oblatas.

Rem ad curiam delatam præsidi aut præsidibus,illi ordine consulere nō li-

cuit, tumultuariíque decreti simile consultum fuit.

Causa in consilio exprompta & enucleari cœpta, nescio quo casu de medio summota est. Processus(aiunt) è burello retractus.

Executio decreti mandata circuncisa cunctatione, sublata prouocatione.

Spero curiam primo quoque die operam mihi daturam. Id est, Audientiã me habiturum, & causam meam in consilium missum iri.

Exacti iam menses anníque curriculi forensis videbantur, cum causa iudicationi matura retro inhibita est.

AEtatis iam exactæ controuersia in curia senescit.

Nunquam exacta sunt tempora causis, quæ post solẽnem prouocationum clausulam in curia inter iudicandas admissæ sunt. Senium enim nõ sentiũt, nec eremodicii quamlibet longi cariem causæ quæ in curia ad iudicatũ admissæ sunt.

In causis captatoriis & morosis semper aduigilandum, qualis est causa redhibitionis gentilitiæ, in qua casus formularis, causæ est internicio, cum eo quòd anniculum eremodicium etiam litem ad tabem perducit.

Circularis sacerdotiorũ collatio vel nominatio, Est quæ in orbem recurrit. Vulgo, In turnum conferre dicunt.

Horæ libellariæ curiæ sunt, quæ destinatæ sunt recitandis & iudicãdis libellis supplicibus. In quibus tamen causæ iudicii translatitii interdum iudicantur, antequam consessus clasium coierit.

Interdum euenit vt in causa trioboli, talentum impendatur.

Vitiosa lis vel controuersia dici potest, quæ vitio instituta est & contestata: vt Vitiosus consul, qui vitio creatus erat, dicebatur, & abdicare se magistratu cogebatur.

Stipatio basilicana est multitudo miscellanea, & ita frequẽs, vt basilica peruia facilè non sit.

Scribarum commentarii intercisi aliquando reperti sunt. Id est, In quibus chartæ quædam desideratæ sunt.

Hic calculus in primis ponendus in causa iudicanda. Id est, Hoc punctum maximè animaduertendum.

Impetrare veniam noua documenta promendi.

Causæ quædam prima intentione magna flagrant inuidia, sed in processu inuidia extinguitur, & in fauorem vertit.

Hæc fors forensis viderit, quæ multum in causis potest, ita vt gubernacula interdum aleæ iudicialis tenere videatur.

Per me quidem duæ aut plures controuersiæ, quæ natura sociæ & cognatæ videntur, vnà quoque copulentur: cum eo tamen, ne mora altervtri fiat iudicandæ.

Subsidia causæ ad omnes casus parare, prouidi est litigatoris.

Vide, nequid incommodè de causa communi consulas.

Homo causa magna naufragus, qui causa magnà cecidit. Homo ære alienò mersus ob naufragium causæ grandis.

Procrastinante reo, obrepsit dies eremodiciorum.

Causa retinendæ possessionis vno & altero mēbro iam capta. Id est, Quando sequestri primùm res permissa, deinde vindiciæ secundum petitorem iudicatæ sunt. Quod cum factum est, causa altero iam præiudicio sauciata est. Cui si accesserit possessionis ab eodem abiudicatio, & petitoriū iudicium intendatur, causa tum trahere quodam modo caudam videtur.

Coorta in hominem decuria petitorum, de eo dici potest in quem multi iudicium dictauerunt.

Sunt structores litium, sunt & architecti. Aduocati & iurisc̄osulti causas architectantur: sed structura magis est cognitorum, architectura fit in conuēticulis consultorum.

Quarundam litium incunabula exigua sunt & obscura, sed sensim euadūt in controuersias illustres.

Vlcus causæ vel vulnus iam obductū longo interuallo refricare. Id est, Vitiū causæ latens, & iandiu cōtractum obiicere, quod nullus animaduerterat.

Vulnus causæ in tempore non obiectum, cicatricem duxisse videtur, cum iam obiici non potest. quod Coopertum esse in foro dicunt. hoc est, Acto aliquo sequenti obliteratum, & quasi condonatum.

Prouocator præsidens prouocati spiritus gerit, prouocati frontem habet & vultum.

Aduocatus in causa ancipiti velis fiduciæ vectus est ad extremum: euentúsque respondit fiduciæ.

Actoris aduocatus in secūda sua actione, quicquid rei causidicus exceptionis apprehenderat, de manibus eius extorsit, sicque inopem defensionis vacuúmque reliquit. Vulgo dicunt, Elisit omnia eius media defensionum.

Per posticum obuiam procedere, est quod vulgo dicunt, A' posteriore parte obuiam venire. Quod etiam dicere potes, Transuerso tramite occurrere. Vt si dicas, Qui recta obuiam progredi, vel Qui recta pedem conferre nō audet, transuerso tramite occurrit.

Causa multis præiudiciis sauciata, tandē iugulata est extremo certamine.

Causa iam tabe longa confecta, per æqua, per iniqua decidenda est.

Suppressiones copiarum saccularìarum litigantem ad incitos redigūt. Est enim Supprimere, de medio tollere, clàm interuertere: vt apud Ciceronem pro Cluentio, Capit consilium, vt pecuniam quibusdam iudicibus polliceatur, deinde repente supprimat. Et Suppressio pecuniæ pro interuersione. & Suppressores, similes sunt plagiariis, in tract. Ad legem Fauiam.

Plani palatini sunt quos Corbinatores vocant. Sic Plani quidam forenses sunt vbique ferè.

Actore regio postulante, res in medium vocari cœpta, & curia inquirendū decreuit.

Res atrox primùm visa atque animaduertenda: sed cum in medium vocari cœpta esset, factione suppressa est.

Multæ causæ eodem pertinētes in medio relictæ sunt, nec curia quicquam adhuc a resto cōstituit. Difficilis enim earū est disceptatio, & præiudicia curiæ formidolosa videtur. Quare vt similes causæ in mediū adducuntur, in ordinē

cum aliis rediguntur solenni in hac specie verborũ conceptione. Reiiciũtur enim in diem incertum, vel veriùs in ferias curiæ nũquam venturas. quod tamen sine captione fit litigantium. Ita enim causæ ampliantur cum aliis, vt interim ius reddatur ambigentibus citra præiudicium.

Iura causæ & commoda à Cicerone vocãtur, quæ Græci δικαιώματα, καὶ δικαιολογήματα dicunt. vulgo Media causæ dicuntur.

Causa in summas angustias adducta, & litigator in articulo temporis oppressus & astrictus ab vrgente aduersario, ac nihil remittente. Homo enim deprehensus rimam reperire non potuit in angustiis.

Hæc mihi causæ labes fuit, Hanc vnicam ob culpam causa cadere mihi cõtigit, tametsi suo Marte vndique superiore.

Hac noxa accepta nerui causæ incisi sunt vel execti. Id est, Hac negligentia vel culpa, vel ignorantia, causa magnopere debilitata est.

Homo causarum inspiciendarum cupidus, Litium in consiliis exponendarum appetens & flagitator, Qui libens causas enarrandas commentatur.

Qua de re iure certari oportet, armis non contendere. Cicero.

Astipulàtor causæ, Institor litis, Custos cogniroris, & Exactor operis, Pragmaticus, cui causæ procuratio commendata & instructio. Sollicitator vulgo dicitur.

Eiusdem causæ iudicem & astipulatorem virum bonum esse non decet.

Post manus regiæ iniectionem in prædium clientelare, manũ patroni corroborantem, sacrosanctus est clienti fructus eius.

Litigatores quidã male sibi cõscii, nihilominus de calũnia iurare nõ verẽtur.

Causa offensatrix & identidem restitans & intersistens, ad extremum actũ perduci vix potest. Id est, Quæ progredi in cursu forensi nõ nisi ægrè potest.

Hæc dicis, causæ tuæ, non etiam veritati seruiens.

Causa quæ per se stare non potest, indiget adminiculi, id est, Subscriptoris.

Homo morosus nec cedere vult, nec contendere potest, nec pedem inferre in causam, nec referre. Vulgo dicunt, Nec litigare vult, nec soluere.

Quædã sunt de quibus pronuntiari in vniuersum non potest. Id est, Quorum regula generalis constitui non potest.

Cautio non in personam modò cauẽtis, sed in rem etiam ipsam scripta simpliciter & concepta. Id est, Non de facto suo tantum promisit, sed de omniũ. Vlpia. in tract. de vsufr.

Reo criminis manifesto quorũdam iudicum misericordia calculos atros æquauit. Quod saluti fuit homini.

Homo consiliarium hactenus & iudicem egit: hinc iam amicum magis, quàm iudicem exhibuit, aut inimicum.

Literarum exempla descripta, & coram aduersario apud officium scribatus recognita, integram fidem obtinent.

Funeris curatores, qui & Funeratores vocantur, annum totum lugubrem moribus nostris mancipio possident bona mobilia defuncti.

Duobus spatiis in basilica horis basilicanis confectis, plenus rerũ nouarum sæpe vanissimarum, ad prandium abibis, aut ad cœnam.

Ipſum hæredémve eius,eúmve ad quem res tum pertinebit. Id eſt,Cauſam ab ipſo habentem.

Longæ litis exitus ſuperſtes litigatori fuit,vel Superfuit litigatori. Fabulæ forenſis cataſtrophe,ſuperſtes ei fuit qui in ſcenam eam induxerat.

Hic litis exordium, progreſſum , & inſtrumentum machinatus eſt. Id eſt, Litis ordinator fuit & machinator.

Cauſa non modo præclarè inſtructa,ſed ſplendidè armata,atque etiam ornata. Id eſt,omnibus numeris inſtruendæ litis cumulata.

Controuerſia argumentoſa , id eſt , Craſſus proceſſus. Et Lis argumentoſè copioſéque enarrata & expoſita ab inſpectore.

Litigator omni iure lege agendi defectus,iudiciũ dictare ſuſtinuit. &,Reus omni defenſione caſſus,tamen defendere pergit.

Sinuoſi proceſſus controuerſia exitum non habens.

Iudex vel executor paulum pleniore officio functus , quàm æquũ fuit aut iuſtum. Id eſt,Qui vlterius progreſſus eſt,vt vulgo dicunt. Contrà,Executor meticuloſus,vel paulo religioſior,ieiunè officio executoris functus.

Certa manus petitoris,& Intentio dici poteſt, cum actor non aberrat à ſcopo litis inſtitutæ. & id vicit iudicio,quod intentione ſua proſecutus eſt.

Interdictorum retinendæ poſſeſſionis cognitio, inter iudices regios in ſua præfectura, & iudices priuatos in ſuo foro,ambigua & communis,propria fit occupantium.

Conſtituere pignorum captorum curatorem , & pignorum diſtrahendorum. Stabilire commiſſarium vocant.

Proferendi inſtrumenti facultate excluſus, Inſtruendæ cauſæ facultate excluſus,copiarúmque proferẽdarum. Forcluſus vulgo dicitur , qui cecidit inſtruendæ litis facultate.

Defenſor vel reus omni cauſæ tuendæ copia & facultate mulctatus. vel Omnibus defenſitandi ſui facultatibus lapſus.

Trãſlatiua cauſæ præſcriptione excluſus ob eremodicium. Id eſt , Repulſus à fine declinatoria.

Iudicatus pecuniæ & addictus,vel Iudicatus mulctæ & addictus.

Eremodicium coràm pronuntiatum. Id eſt, In præſentia.

Ad hæc deliberaturum ſe cum conſilio reſpondit,quid ſui eſſet officii,quæ ſuæ eſſent partes. Nunc dicũr, Sibi curæ fore ne ſecus quidpiam admitteret,

Qui facere ſui controuerſiam iudici inſtitit,interim eius iuriſdictionis nõ eſt,quoad pronuntiatum ſit.

Iuridici regii prouinciarum ſuo iure iudicãt & libero iudicatu: eorũ enim ſententiarum vindex eſt & patrona Aduocatio regia. Cæteri iudices obnoxio iure iudicãt:& ſi perperam iudicauerint , in fraudem conſtitutam incidunt.

Interceſſionem remittere,& Prouocationem renuntiare.

Prouocationem interceſſione mutare,& Prouocationẽ in interceſſionem tranſcribere diplomatis venia.

Litem intermiſſam longo interuallo repetere.

Criminoſiſſima in reum allata elogia,eúmque iugulantia.

Causa tã erat dilucida, vt vniuersi magis quàm singuli sententiã dixerint.

Causa argumentosa & prægnans,& lites è litibus parturiens.

Non rectà hominem rei capitalis postulare,sed nomẽ eius citra accusationis solennia deferre ad regium actorem. Per viam denuntiationis, dicunt.

Bona publicè possessa,sunt quæ sub manu regia administrantur.

In bona possessũ publicè mittere. Liu. lib. 38. Stabilire cõmissarios dicunt.

Spõsionem facere in summam causæ non recuso, ni aduersarius sine titulo possideat. Nunc dicunt, In pœnam causæ perditæ. Antiqua est formula.

Litigator in causa adumbratus, Est qui nomen suum abutendũ ad litigium commodat.

Amittere rem de manibus, Manus vacuare appellant.

Testimonium iterum pro imperio denuntiare, cum mulctæ indictione, ni denuntianti pareatur.

Molestũ est auido petitori aut egẽti, omnia litis præludia exhaurire. Id est, Formulares dilationes expectare.

Dilationum additamenta. Id est, Dilationes extraordinariæ.

Eremodicium pronuntiatum, sed ad dies veniales suspensum. Id est, Saluis diebus x v, vel x x x, vel pluribus.

Eremodiciorũ & cõmeatuũ dies statim cedit, vt pronuntiati sunt: sed tum demum venit, cum legitimi dies certíque prætererunt, qui iudiciali formula atque exceptione cõstituti sunt. Sunt enim Exceptiones formulares aut sesquimestres, aut quinumdenûm, aut vicenûm dierũ. quibus spatiis elapsis auferre licet ex officio scribatus eremodiciorum cõmeatuúmque auctoritates.

Litem instructam inducere in mediũ, est Causam in consilium iudicũ mittere, quasi aleam in alueum iacere. &, Inductã causam è medio reducere vel subducere, est E burello retrahere.

Iuridici dies curiæ dici possunt Dies altercatorii.

Euocari vadimonio criminali, est Diem dicere iudicio per se sistendi, non per causæ cognitorem.

Obsignari conclauia domus defuncti ante aditam hæreditatem, sæpenumero euenit.

Arcessere hominem iniuriarum, & Postulare de vi armata, aut cæde parentis aut filii germaníve, aut propinqui. Priuatis autem eatenus licet crimina in iudicium deducere, quatenus iniuriæ aut vis animaduersio, ciuilis est: vt tanti lis æstimetur ei cuius nomen delatum est, quantum est quod priuatæ rei deferentis interest. Nisi si iniuria illata, aut aliud admissum maleficium, eiusmodi sit, vt honoris ergô sarciendi pœnam honorariam poscere videatur, aut parentalem, manibúsque debitam eius qui necatus est, vt sunt anniuersalia parentalia, & iusta funebria.

Damnatorii calculi & absolutorii, vt Sententiæ absolutoriæ.

Causa prædamnata præiudicio litis coniunctæ aut affinis.

Inquisitionẽ postulare in aliquem delatũ. Plin. in Epist. Betici socios classici & ministros detulerũt, inquisitionémque in eos nominatim postularũt.

Absentem inauditúmque damnare trinundinali vadimonio proscriptio-

neque euocatum.

Reus obtinuit, vt sibi defensionis causa euocare testes liceret. Plinius iunior idem, An placeret in futurũ ad eam legem adiici, vt sicuti accusatoribus inquirendi testibúsque denũtiandi potestas ex ea lege esset, ita reis quoq; fieret.

Impetrare auctoritatem à curia testibus repetendis nominatim denuntiãdi, cum reóque componendis.

Carpere ac labefactare fidem testium literarúmque auctoritatem.

Scriptas disceptationes cõstituere. Ex Cicerone in Parti. Accordare appellãt.

Constituere causæ statum aut iuridicialem in modum, aut in cõiecturalẽ; vt constet inter partes, iuris an facti præcipuè sit concertatio.

Tumultuatia causæ cognitio, Summaria vulgo dicitur.

Proscripti rei, & præconio euocati, trinundiníque compendio.

Retractare causam quasi pro derelicto habitam, litísque situm & cariem excutere codicillari venia.

Cariosam cõtrouersiã & longo situ obductã in manus ab integro sumere.

Lis instauratiua dicitur, quãdo acta iudicialia eremodiciali iure exacta, pro infectis habentur, & nulla pronuntiantur. Aut cum minore restituto aduersus iudicium, omnia retexuntur, quæ transacta fuerant.

Dies etiam nonnunquam instauratiua datur ad inquirendum, inquirendíque auctoritas instauratur.

Auocamenta causarum à principe vel à curia fiunt, quando ab vno foro ad aliud transferuntur: quas Euocationes appellant. Nulla enim tam fixa est causarum cognitio, quin principis diplomate reuellatur.

Curia inter disceptandum prouocationẽ frustratoriam, causæ summæ cognitionem sibi asciuit, & eodem aresto cum prouocatoria lite diremit.

Post prouocationem iudici aduersarióque denuntiatam, rei disceptatio ad curiam transiit. Vulgò dicunt, Curiam esse sæsitam.

Rei disceptatio funditus à curia migrauit, cũ nullæ iam reliquiæ litis in curia sunt. Vel, E curia transcripta esse censetur.

Inspectori litis successorem subscribere, ipsámque inspectionem in alium transcribere.

Luculenta cõditio tibi fertur: quam, si sapis, arripies magis quàm accipies, ne latorem pœniteat, si spatium dederis.

Informi capitum editione rationem inire impẽdiorum. Vel, Informi breuiculo sumptuum litis editionem facere. Id est, Breui declaratiuncula.

Negotium mihi cum minore fuit, qui personam iudicialem nõ habet, nisi curatore præeunte. Quare mihi de integro ratio cõtrouersiæ redordienda post decursum litis spatium, pistrinúmque forense denuo versandum est.

Digna omnino causa quæ in disquisitionẽ curiæ veniat, Idonea hæc causa quamobrem alea mulctæ sexagenariæ iaciatur. Tanti mihi sit empta curiæ sententia de causa memorabili, ne pigeat in posterum aleam non tentasse.

Ius à capite ducere sic dici potest, vt Aquã à capite ducere. Significat hominem è stirpe generis natum, vt dicitur, & suo iure petere, non iure cesso.

Causa in stadium forense ingressa, & aliquandiu prono cursu progressa, in

flexu hæsit.

Quod sanari non potest, exulcerare imprudentis est. Id est, Præstat paucis verbis attingere, & diu non immorari in ea parte causæ defendenda, quæ recte & plenè defendi non potest. Diu enim attrectādo, vlcus exulceratur cum maiore dolore. Non est ergo hærendum in eo, quasi neglectim prætereundum sit, vt ad rem parum pertinens.

Non tam armis vti quàm palæstra ad causam expugnandam, aduocati est gloriæ studiosi magis, quàm victoriæ.

Causa ab vna classe ad aliam interdū immigrat, vt ad suū domiciliū. Id est, Quādo eius cognitio propria esse videtur eius classis, vt inde originē ducens.

In iudicio causæ meæ cōsiliarius quidam vir doctus ac probus & perspicax non modo mihi abfuit, sed etiam defuit. mea enim magnopere referebat eū adesse. Plures etiam interdum in iudiciis causarum grandium desiderantur, quàm quot sunt qui expetantur & flagitentur.

Adiumenta causæ, præsidia ac subsidia, diligenter percēsenda, cum ad procinctum ventum est.

Iudicii vel aresti atrocioris procellam hodie euasisti horæ celerioris beneficio. Quare paucorum dierum laxamento causæ ruenti censeo vt consulas quàm diligentissime.

E' sinu suo aut amicorum præuaricatorem sibi apponere ad sententiam absolutoriam vtcunque auferendam.

Non tam impressis in causa vestigiis, quàm odore quodam fallaciæ latentis, suspicari primùm, deinde apertè deprehendere imminentem captionem mihi contigit.

In iudicium discrimēnque rem vocare ad hominem territandum.

Res ad existimationem hominum pertinēs, indigna esse præsidi visa est disceptatione in medium proferenda altercationum die. Quare intus res acta est occlusis curiæ foribus.

Litigator imprudens aut negligens, in articulo, causæ suæ defuit.

Cedere legibus, Cedere iustitiæ fascibus, Esse in auctoritate pro imperio ius dicentis, significat Obedientem se præbere iurisdictionis auctoritati.

Hic possessor iure incerto nititur & obscuro, & quod sine capite manat. Nō apparet quo titulo possideat.

Absentis rei in iudicio criminali defensionis cognitoriæ ratio nō habetur, siquidē vadimonio obstrictus est, aut euocatus vt iudicio sistat. Datur tamen interim venia sonticum morbum excusanti per nuntium cū mandato destinatum, aut causam absentiæ idoneam adumbranti, cum eo vt ius sit cognitori regio vel aduersario in casus excusatos interim inquirendi.

Causæ vulnus obductum refricare non licet, ei quidem qui in tempore nō intercessit, aut cōtradicere neglexit. Id est, Id erratum quod silētio coopertū est, postea oppugnare. Simile est, Inductam litis cicatricem exulcerare.

Causa nō antè curiæ ditionis fines ingressa videtur, quàm ꝓuocatione denūtiata, & die dicta iudici & ꝓuocato. Id est, Nō antè curia sæsita esse cēsetur.

Pignorum non proscriptorum auctio fieri nō debet, duntaxat prædiorum.

In nominibus recitandis in curia prosopopœiarum controuersiæ sæpenumero existunt. Id est, Qualitates controuersæ sunt.

Orba causa à patrono fuit. Id est, Nullum aduocatum inuenit.

Multæ causæ iudicatæ in iudiciū referuntur eo nomine, quòd orbæ fuisse dicuntur aut tutore, aut defensore iusto, cum in iudicium deductæ sunt.

Funestæ causæ sunt, quarum altera pars fato suo functa est. Et cum eremodicia contra absentes pronuntiantur, cognitores causarū excusare solent litem funestam esse, aut funestatam, ne cognitorium munus agnoscere cogātur, aut eremodicii plagam accipere.

In causis funestis sententia lata nō valet, arestum valet: si tamē iusta omnia litis instruendæ peracta sunt.

Dispunctis & subductis rationibus, & à disceptatore subscriptis, interim is qui reliquari compertus est, ad solutionem cogendus est, etiam si curiam appellauerit: si tamen expromissores dare petitor paratus sit.

Expuncta expensorum capita vel nomina, Articuli sunt improbati & erasi.

Dare commentarium in litem expensorum, Declarationem vulgo vocāt.

Pleno iure fundum tradere, significat, quod aiunt, Ad purū & plenum deliberare. hoc est, Cum vsufructu.

Fundus tanti sit tibi emptus, quod pretiū pleno iure dari volo. Id est, Quos nummos liberos esse volo, vt vulgo loquimur. Vel ex Cicerone, Quod pretium eo iure dabis, quo qui optimo.

Actor intra triduum constituere poterit, an latam conditionem accipere sua intersit.

Clienti interdum dies datur in iudicio iniectæ manus, intra quem diem cōstituat, vtrum iniectorem manus agnoscat, an abnuat. Alterum enim facere cogitur, si vindex clientelæ vrgeat. quæ conditio interdum fundi possessorem inter sacrum saxúmque constituit, commissi legem timentem.

Aduocatione numerosa ac primaria ad hāc litem instituendam aut suscipiendam vsus sum, nec ideo tamen in vtranque (quod aiunt) dormire sustineo, vsque adeò formidolosa sunt commercia fori iudicialis.

Sunt iudices, sunt litium inspectores, quos appellari ambitiosè atquē efflagitari iuuat, ne quid amplius dicam. Sunt qui grauantur has ineptias, obseruantiásque temporarias & histrionicas floccisaciunt.

Per absentiam in eremodicium incidere, & eremodiciis dānari, Per defectus vulgo dicitur. Per detrectationē litis exercēdæ eremodicio mulctari, & deinde per omnes litis actus excludi: & ad extremū causa cadere, est Per contumacias & forclusiones condemnari. Aliud est igitur Absentem ad diē non occurrētem causa cadere, aliud Præsentem, & certamen detrectantem damnari. Absens damnatus si eremodiciorū pœnas pēdere paratus sit, ab integro audiri solet impetrato diplomate. Detrectator autem si prouocauerit, nō nisi ad tribunal appellatum audiendus est, si rectè atque ordine iurisdictio constituta sit. Quod tamen iure magis & moribus, quàm æquo comparatū est. Inde enim euenit, vt ludificatorū melior sit conditio, imperiique contemptorū, quàm inopia fortasse aut morbo laborantium. Versuram enim in iudicio

lo'ngè leuiorem faciunt interim non soluentes.qui si statim dependere cogerentur in iudicio damnati, iis auctionem forsitan facere eueniret aut prædia oppignerare annua pensitatura.longe grauiore conditione.

Qui in iudicium vocantur,inde citandi sunt, vbi larem habent familiaré, nisi coràm citentur.

Supplicator sua postulatione exclusus.&,Supplicis postulatoris exclusa petitio.Ex Cicerone.

Qui secus quippiam in magistratu admisit,si compertus maleficii commissorii fuerit : aut ad aliquod tempus vetatur quippiam agere pro potestate & magistratu suo:aut ordine planè mouetur, cum eo quoque , vt postea aliud quippiam gerere pro publico munere regióque prohibeatur:vel,Cum eo, vt fungendi muneris publici facultate ei interdictum sit : vt gerendi honoris impotentia mulctatus sit.

Curia graui pœna sanxit, & magistratus abrogatione annua , siquis iuridicus contra eius interdictum in posterum fecisset.Qui contrà fecisset, magistratu in biennium abdicandum.Qui iterum in eandem fraudem incidisset, abrogandum ei magistratum in perpetuum.

Causa nostra laborat à præscriptione longissimi temporis.

Id acri & vehementi concertatione expugnatum est.

Non ius,non æquum,sed iniuriam iniquitatémque deprecamur.Id est,Nõ petimus vt quicquam nobis summi iuris cõdonetur, sed vt seuere res,aut ex bono & æquo iudicetur,id pétimus.

Quæ cõtra prouocationem interpositam designata sunt,à curia antiquata sunt.Attentata vulgo dicuntur.

Sic ius prouocationũ cõstitutũ est,vt nõ minus prouocator,quàm prouocatus designare videatur,siquid à ꝓuocatione denũtiata tẽtandũ esse duxerit.

Curia huius liticulæ disceptatores hunc & illum designauit.Id est, Ad audiendum partes commisit.Sic Designatus inquisitor, Designatus aresti executor,quod etiam Constituere dicitur.

Cum auctio hypothecarum fit,id est Prædiorum pignori datorũ:vel Cum possessionum obnoxiarum addictio curiæ decreto facienda est,ipsarum hypothecarum proscriptio atque inclamatio,ad mores & instituta earum præfecturarum exigenda est & approbanda, atque etiam eorum locorũ formulam in quibus locis ipsæ hypothecæ sitæ sunt . ídque rite ac moribus factum esse,renuntiatũ ad curiam oportet,antequam addictio licitantibus fiat. Cic. 13.Epist. Philothetes Alabaudensis hypothecas Cluuio dedit . hæ commissæ sunt.Cures velim,vt de hypothecis decedat,& procuratoribus Cluuii reddat, aut pecuniam soluat.Commissæ sunt (inquit) hypothecæ,id est,Lege commissoria Cluuii factæ sunt possessiones pignori oppositæ.

Hoc iure sunt auctiones quæ publicè fiunt, id est, Imperio iudicũ cuiusvis præfecturæ. Quæ hypothecæ ob pecuniã nõ solutam addicendæ sunt,earum hypothecarũ præconia & programmata,ad formulam & consuetudinẽ eorũ iudiciorũ exacta esse oportet, in quibus aut prædes possessiones, aut qualibet de causa obnoxiæ,sitæ sunt. Alioquin nec recte nec ordine addictæ esse cen-

ſentur. Nec verò certa in poſterũ auctoritas licentibus futura eſt earũ mãcipio poſſidẽdi:quanquam ipſa auctionãte(vt dicitur) iuſtitia hæ væniſſe videãtur: niſi ſi vſu longi tẽporis captæ ſint, aut lõgiſſimi. Catalogũ etiam hypothecarũ complecti primo præconio oportet, eáque quæ cedunt hypothecis.

Auctionis inſtitor dici poteſt,qui vulgo Proſecutor dicitur. Ad haſtam autem certatim occurrere creditorũ examẽ ferè ſolet,qui interceſſores vocantur.Id eſt,Auctioni morã interceſſione faciẽtes.Interceſſione autẽ ſummoti ii,quorum interceſſio non admiſſa eſt. Deinceps autem ſuo loco numeróq; vnuſquiſque interceſſorum admittitur, vt ex manubiis dimittatur ab eo qui diuidendis manubiis deſignatus eſt,creditoribúſque abſoluendis.

Cum ad haſtam licitatores inuitandi ſunt programmate,dies neceſſario dicendus eſt ei,cuius in mancipio prædia ſunt,nominatímque & coràm ipſe euocandus eſt,vt diem auctionis obeat.

De ſcripto conditiones editæ.Id eſt,Articuli ſcripto dati.

Denũtianti viatori reſpondit,viſurum ſe,& curaturum, nequid perperam admiſiſſe videatur.vel,Quid ſui ſit muneris & officii,ex Liuio.

In diſceptatiunculas alias aliáſque rei controuerſæ ſummam carpere, nec in vniuerſæ rei certamen pedẽ velle conferre. Incidentia multa facere dicũr.

Inſtruendæ litis curſum vltima ſyngrapha iudiciali claudere, Litis exercẽdæ clauſula iudices in conſilium mittere. Negare ſe quicquam vltra proferre velle,Iudices iam non morari,quominus in conſilium eant.

Sententia conſenſu partium conflata.

E' foro tuo manu cõſertũ in forũ meũ inuitũ te attrahã iure diplomatico.

In ſcena eſt cauſidicorum Roſcius. vel,Cauſidicorum Roſcii cras in ſcena futuri ſunt.quare tribunal curiæ erit ſtipatiſſimum.

Digreſſiunculæ à ſumma quæſtione annoſas lites faciunt.Id eſt, Incidentia parua.

Controuerſia longo interuallo repetita.Lis annos poſt x x repetita, atque interpolata.

Implorare ius aſyli rei ſolent qui in ſanctis locis comprehenſi ſunt, & aſyliæ reſtitui ſæpe ſolent ſententia curiæ.

Implorare iura verticis initiati, vel inſigniti, & Teſſeram verticis initiati proferre rei rerum capitalium ſolent.

In laqueos improuiſos ſeſe ſuámque cauſam litigator induit.Id eſt, Malè & incommodè ſua de lite conſuluit.

Hic ſententiam ad extremum abſtulit, omni acceſſione iudiciali exaggeratam.Sunt autem acceſſiones, Fructus, Impendia, & Quod intereſt eius ſecundum quem iudicatum eſt.

Ille cauſa cecidit,caſu graui,atq; omni genere cumulato forẽſis offẽſionis.

Omnia propugnacula deturbare aduerſarii defenſionum.

Agmine quadrato in poſſeſſionem inuadere.Id eſt,Armorum vi.

Homo lucris forenſibus paucis annis luculenter auctus, qui præclare rem in foro litigiorum geſſit.

In lite inter parentem & liberos dirimẽda, curia auctoritatem ſuam inter-

ponere libentius,quàm iudicium solet.

Sensum cõmunem fori prudentiámque discere,quibusdã magno cõtigit.

Protei quidã forẽses in omnes se facies vertere solẽt,intercedẽtiũ,prouocãtiũ,cedentiũ vicissim & pedẽ inferentium, cõditiones ferẽtium & rursus respuentiũ. Quorũ parti longè maximæ aduerso Vertumno id facere contingit.

Homines ꝓuocationũ amãtissimi, versurã se fori facere fœnerato nõ intelligũt,labantibus causis & iure cassis subsidia mutuãtes à calumnia, dura tandẽ futura exactrice vsuræ dilationũ,quas gratuito largiri ab ipsis existimatur.

Mihi spero breui curiã datũ iri.Id est,Curiã causæ meæ vacaturam.Dare enim curiã sic dicitur,vt Dare senatũ,& dare cõcilium apud priscos legimus.

In sortitione causarum Secundanorum classis mihi obtigit.Secũdani autẽ sunt Secũdæ classis cõscripti, & Tertiani tertiæ,& Quartani vltimæ,quæ Noua camera nuncupatur. Sortitio autem causarum dici potest,quam vocant Distributionem processuum, etiam si sortitò nõ fiat à classium ductoribus.

Luere pœnam litis temerè institutæ, Dare pœnas pignorũ temerè captorum,id est Executionis realis,vt vocant: Pœnas pẽdere appellationis inconsultè interpositæ.

Plerique iudicum, à sordibus puri,non item ab ambitione,& gratiæ aucupandæ studio insontes sunt.

Instrumentũ causæ exotericũ,vtrinque est inspectabile,vt apertè refutabile. Acroamaticum vtrique arcanum, in curia quidẽ & quibus in iudiciis ea quæ inquisita sunt testibus,ante iudicium mutuò edere non moris est.

Iudicandis causis in curia,vnus est actor causæ,& tanquam acroama,qui litis est enucleator & enarrator:cæteri spectatores sunt & auscultatores,quoad ille causa satis disceptata sententiam suam rogatus sit.

Causæ nihil dico,quin tibi hoc liceat agere.Causã haud dico, quin secundũ te hacten⁹ pronũtietur.Id est,Nihil moror.quod, Nõ impedio, vulgo dicũt.

Cognitor causæ etsi à lite statim cõtestata dominus ipsius esse existimatur, ipsiusque suo arbitrio agitandæ potens & exercendæ, nõ eovsque tamen pollet eius arbitratus,vt in omnia abs se acta eum cuia res est obliget. Neque enim is agnoscere cogitur vt à se factũ, quod cognitor transegerit, assenserit, deciderit summæ quæstionis decretorium,aut eò magnopere pertinens.

Homines adiuuandi cupidi forenses artifices, resipiscere vix possunt ante noxam acceptam.

Deditітius litigator qui dat vltro manus ante iudicis officium.& Causa dedititia.quod sæpe in prouocatoriis litibus vsuvenit.

Liberum fundum omnique noxa solutũ qui vendidit, stellionatus arcessi potest, si hypothecam vendidisse reperiatur pensitationis annuæ.

Errones forẽses & emãsores dici possũt,quos Ob cõtumaciã exclusos dicũt.

Ad nomen autem nõ respondentes sunt, qui nũquam præstò fuerunt,qui vadimonium deseruerunt.Certa autem & plena est cõtumacia eius, qui imperium iudicis repetitum aspernatur.

Qui ne ad quartum quidem edictum respondit, damnari pecuniæ petitæ potest rei alterius.

Qui rei vẽditæ traditione prior eſt, iure potior eſt, etiam ſi titulo poſterior eſt. Rei enim traditio mancipatum efficit. Id eſt, Dominii tranſlationem, & traditionem rei ſequitur è veſtigio mancipium.

Donator fundi, vſum fructum eius ſibi recipiendo, fundi mancipium, nexúmque transfert. Exceptio enim vſufructus, inſtar eſt emancipatus fundi.

Syngrapha nexum inire corporis & fortunarum. Vel, Auctoritate ſcripta nexu ſe obſtringere ſui ſuorúmque pignorum.

Iuſſus eſt abſtinere honoris ſui functione vel magiſtratus. Hoc eſt, Abrogatus eſt ei magiſtratus.

Cauſa mea pluteum curiæ occupauit. Super burellum eſſe dicunt.

Decuriatim teſtificari. Id eſt, Denos teſtimoniũ dicere, quod In turba appellãt. Et Decuriare teſtes, eſt Denos interrogare ad cõſuetudinẽ probandã.

Epiſtalma curię, vulgo Cõmiſſio: Auctoritas mãdati ſubſignata dici poteſt.

Reus iniuſſu curiæ abire reatus tempore non debet.

Reus abiit bona curiæ venia, duntaxat ſatiſdato curiæ edicto rediturum, iudicióque ſtaturum cum curiæ viſum fuerit.

Executor ſine auctoritate nihil agere lege poteſt. Id eſt, Sine epiſtalmate.

Quæſtor ærarius curiæ, Mulctarũ eſt exactor & coactor, id eſt, ἀργυρολόγος.

Inter ærarios relati in curia, ſunt qui mulctam ſoluere à curia dãnati ſunt, Et AErarii facti temerarii prouocatores, id eſt, Sexagenas dependere iuſſi.

Latrunculatorum fori ſunt, homines malefici, vagi, ſine lare familiari, ſine domicilio certo viuentes.

Producere diem, eſt. Rem diſceptandam in alium diem reiicere.

Exaugurare ſacerdotem, & ciuili iuri dedère, Degradare vocant.

A magna matre abdicatus, eſt Degradatus, aut Curiæ ſeculari traditus.

Temerarius prouocator in os damnatus, & fraude ſexagenaria impendiíſque mactatus.

Qui interdicto retinendæ poſſeſſionis queribundè experitur, contendit ſe poſt annũ & diem in ſuo iure & poſſeſſione iniuria interpellatum. Háncque querelam iuris nuper interpellati vocant. Experiri autem cum interpellatore oportet, querelâque eò ſpectat, vt interpellamentum eximatur.

Cognitor ſuſpectus eiurare cogendus eſt cognitionem cauſæ, mandatúmque reddere.

Hæc erat cauſæ lorica, hoc ſcutum defenſionis, hic erat mucro intẽtionis.

Ex formula curiæ teſtimonia non proferuntur. Et Teſtificata prolata dicuntur, quæ Publicata vocantur.

Litigator tempore excluſus cecidiſſe dicitur inquirendi facultate, aut inquiſita proferendi. hoc eſt, Referendi inqueſtam.

Ementita retrorſum dies, opponitur Ementitæ porroverſus diei.

Litis deſertores ſunt, qui litem cõteſtatam deſeruerunt: Emanſores ſunt, qui tarditate excluſi ſunt.

Funeſtam litem, vel hæreditariam hæredi denuntiare.

Diem hæredi dicere adeundæ litis vel repudiandæ.

In ius hæredem vocare agnoſcendæ litis cauſa vel abnuendæ.

Procaces petitores impendiis litigiorum mulctantur.

Causa rei persecutoria, vel Vis illatæ vindex & iniuriæ.

In vadis litis hærere, In scopulos impingere, E' vado causæ emergere.

Ad diem sistere vadimonium, est quod Comparere dicunt.

Causæ quædam iuris inopia ac subsidii intereunt, quædam pragmaticorum culpa aut perfidia, quædam suo quodam fato occidunt, quasi aduersis auspiciis cœptæ & exercitæ.

Dictare iudiciũ iniuriarũ ob cõuitiũ vel maledictũ. Verbales iniurias vocat.

Cum recitarentur nomina prouocationum in curia, prouocator ipse desideratus, vadimonii deserti formula damnatus est, & commeatus secundum prouocatum iudicatus. Inter desideratos inclamatus est.

Tyrones iureiurando adacti isagogicon dependere iubentur.

In album desideratorum relati, qui diem appellationis suæ non obierunt.

Inclamare nomina desiderata eorum qui prouocatores & qui prouocati erant. hoc est, Commeatus & defectus. Inclamare nomina desiderata actorũ, & nomina reorum desiderata.

Copias aduersarii refutando carpere, id est Sigillatim instrumenti fidẽ pondúsque eleuando, quasi agmen carpere copiarum, contradicendo, hoc est instrumentum obtrectando aduersarii.

Eremodicium non antè contractum & commissum est, quàm absolutè datum est. Id est, Quàm simpliciter datum.

Aliud est Diẽ eremodicii aut cõmeatus cessisse, & aliud Venisse. Intra diẽ enĩ cedẽtẽ inducitur eremodiciũ, si præsto fuerit ad iudiciũ is, quẽ cõtra datũ est.

Contumaciæ damnãtur, qui vadimonia nõ obeunt. Eremodicii dãnantur, qui litem cœptã deseruerũt. Petitor eremodicii apud iudicem damnat reũ & defensorẽ, quãdo prolato suo instrumẽto sententiã aufert cõdemnatoriam.

Condemnatio latè patens. Hoc est, Fructus rei petitæ cum re petita & impendiis complectens.

Edicta curiæ sunt quæ Ordinationes vocantur. & Edixit curia, ne cognitores inter se dolo malo opprimant. Id est, edicto vetuit.

E' verbis ambiguis sentẽtiæ aut ieiunis ansã arripere nouæ litis sæpe euenit.

Litigator de certo statu exercendæ litis dimotus. Vel, De statu experiundi iuris deiectus. Vel, De gradu pristino defendendæ causæ depulsus. Vulgo dicunt, Nunc nescit vbi sit.

Extat in actis de hac re curiæ consultum, nondum tamen editũ & expromptum. Vulgo dicunt, Sed arestum nondum leuatum.

Liberali & probabili contumacia iudici non obtemperat is, qui ad suum iudicem, ad suum forum relegari postulat.

Intendere periculum capitis alicui, aut fortunarum, est Deferre hominem criminis, & contra eum quæstionem postulare, inquirendíque auctoritatem ob cædem oblatam, aut vim capitalem admissam.

Causam suis personis induere quæ inter partes non discrepent. Accordare qualitates appellant.

Mandari possunt sponsalia, etiam præsentanea. Id est, Per procuratorẽ con-

trahi possunt.

In ius vocare, vnáque intentionis suæ summam primis lineis designare, est Citate vadimonio libellato, vt vocant. In ius vocare, simúlque iudicium per viatorem dictare.

Agri controuersi linearis informatio vel descriptio inter partes conuenit, in rem præsentem iudices perductura. Figura accordata vulgo dicitur.

Causa adhuc prima manu tractata in consilio, mox de medio subducta est. Vulgo dicũt, Casum tãtũ esse positũ, & statim de burello processum sublatũ.

Præscriptio quæ iugulum causæ petit, à cognitore remitti non potest, nec diplomate.

Ad versipellem causam nouum consilium capiendum. Petitionem causæ prorsus mutatam dicunt. Et Versipellis litigator nouis armis adoriũdus, vel aliis telis petendus, qui aliam personam induit.

Non intermissa tantum litis persecutio, sed abrupta & penè antiquata.

Appellatorum patroni sæpe in abruptam necessitatem adducti, cũ ad clausulam aleatoriam ventum est, perplexè primùm & restitanter, deinde planè & solennibus verbis cedere liti coguntur. Præsenti enim animo opus est in hac specie, & cum re præsenti deliberandum. Quippe præside (vt moris est) eximẽte cunctationem, decidendǽque rei in iudicio commercium præcidente. Sic enim ferè loquuntur.

In causa comica, & planipede fabula, mouere tragœdiam ineptũ esse aiunt. Hoc est, Causam placidi argumenti aut trioboli grandi actione vehementíque agere.

Aduocatus in hac re vt atroci exponenda, theatrum commouisse magnopere visus est. Id est, Et tribunal & subsellia cancellósque mouisse.

Causam per omneis numeros acriter inspectam, eadem diligentia fidéque optima explanare, ad iudicium causæ plurimũ confert. Sed non cuiusvis est iudicis atque enarratoris. Et felicitatis est litigatoris bona conscientia freti, causam per omneis numeros non obscurè esse cognitam.

Interdum litis persequendæ studio in altũ longius quidam ablati, expansa fiduciæ vela cõtrahere cogũtur, inhiberéque remos, cũ aurã aliquam sibi aduersam excitatam esse senserunt. Cientur enim interim & procellæ in cõsiliis.

Est ars etiam sua strategematica in foro rem gerentibus, vt in campo: & forẽsis disciplinæ alumni arma sua teláque, id est, Copias causæ decretorias, intẽpestiuè & præproperè ostentare non solent. Id quod si fiat, aduersarius vtique meditatior occurrit & instructior. Tela igitur aduersariã causam altius sauciatura, quàm fieri potest obscurissimè distringẽda sunt, vt improuisa accidãt.

Causa maioribus velis prouecta, Omni organo instructa, dici potest in qua & testimonia prolata non modò copiosa, sed etiã multiplicia. Vt si bipartita aut tripartita sit controuersia, & in singula mẽbra inquisitum sit, & literis atque auctoritatibus variis ac multis instrumentum litis cumulatũ sit, ac scriptitandi vicissitudine argumẽtosa, variis etiam multísque spiritibus, auris fauoris, flatibus secũdis aut aduersis impellitur & agitatur. Id est, Hominũ studiis vtrinque feruentibus. Cõtrà verò, Causa minoribus velis agitata dicetur,

quæ exiguis conſtat actibus,& nullo penè inſtrumento.

Suas copias in procinctu prouidens litigator ſemper habeto.

Cui negotia multa ſunt cum aſſiduo fori comite, & propemodũ alumno, Appianæ peruicaciæ litigatore,Fimbrianæ improbitatis aduerſario, qui conditiones nec ferre nec accipere obſtinauit, niſi in ſuas leges prorſus: is ſi litigandi tædium ferre moleſtiámque non poſſit, aut ſedibus cedat neceſſe eſt, ære mutatis primo quoque tempore,aut animum deſpondeat,aut fortunam ſuam deploret, & ſe traducendum gaudio triumphanti aduerſario præbeat. Heu miſeram vitæ ſortem, iis præſertim qui quietis ac tranquillitatis amantes indigentéſque, antipathiam eſſe ſciunt philoſophiæ cum fori obſeruantia,duram atque acerbam! Quid ſi intra orbem litiũ cõcluſus, erumpere inde ſine iactura magna,age mitto iacturam facultatum:quid ſi ſine ſugillatione nequeas?Quid verò rurſus,ſi cum hydra ſophiſtria negotium habere pergas, (quod inquit Plato in Euthydemo)nec Iolaum habeas adiutorem?

Si ad calculos voces litem ſecundum te planè iudicatam, nunquam conſtabit ratio acceptorum & expenſorum. Et ſic quoque cum foro in gratiam homines ſæpe redeunt, iniuria & petulantia vicinorum ſubacti, rametſi valere forum ſemel iterúmque cũ iureiurando iuſſerint. Scilicet ea eſt natura rerum forenſium.

Lis è lite oritur, & litium ſeries ſic nectitur,quaſi reſtis quædã è moleſtiis & angoribus apta atque conſerta.

Aſcititia cauſæ perſona,quæ non ingenita ſed aſcita eſt. Id eſt,Noua qualitas. Sic Perſona cauſæ agnata,non cognata, id eſt ἐπιγενομένη dicitur & aduentitia. Vt ſi quis nomine ſuo,& ex perſona ſua tantum petebat:nunc etiam iure hæredis petat. Id eſt, vt hæres litis conſortis: vel ſuo & tutorio nomine.

In hac vna cauſa omneis forenſeis ærumnas exantlare mihi contigit, omneis moleſtias deuorare lites perſequentium.

In litium multiplici ſemente lucra metunt & pabulantur forenſes artifices, qui omnia præcepta tenent actionum ciuilium, formulas cautionum, perſecutionúmque iudicialium conceptiones.

Copiæ cauſariæ & fidei iam affectæ, Petiæ ſuſpectæ vocantur, & infirmæ probationis.

Lis velis paſſis & ſinuoſis procedens, nuſquã in vadis hærens, ſecundo vento vtens, εὐφόρως ὀχουμένη, δίκη εὐφερομένη.

Dictatum iudicium vrgere, & acri contentione perſequi, nihil remittere, nuſquam ceſſare. Perſecutionum autem iudicialium longũ eſt curriculum, & diuerticulis plenum.

Litis finitæ fibras omneis perſequi & elidere, ne ſubnaſcantur ſtolones ſtirpem litis facturi. Sunt enim in foro non tantum cauſarum laborãtium, languentium Aſclepiadæ, ſed cõclamatarum etiam AEſculapii, atque emortuarum. Id eſt Exuſcitatores iugulatarum.

Homines litigantes malè ſibi conſcii, non ſtatim iudicium quaſi mare ingreſſi velificari ſolent, ſed diu remigare, in proluſionibúſque immorari, & præſcriptionibus moratoriis, litémque trahentibus. Contrà verò ii qui iuris

certi fiducia nituntur, statim vela pandere litis, in altumque progredi cupiũt.
Causa multa iurisdictionis gradatione cõfossa ac prædamnata, ad curiã delata est, sub vltima tãdẽ manu iustitiæ occasura, fatóq; suo fũctura grauissimo.

Reus præiudicio quodam damnatus à curia, ad iudicem suum non tam ad iudicium quàm ad supplicium reiectus est.

Prouocatorem perperam prouocasse pronuntiatum est, cum irrogatione mulctæ. Irrogat autem pœnam curia. Irrogat etiam mulctam, suppliciúmque Actor publicus & regius.

Est homo egregiè litigiosus, atque eo nomine præcipuè & nobilis & notus, qui rationem suam œconomicã ad scopulos summæ iurisdictionis sæpius impactam, sensim infregit. nec tamẽ spiritus philodicos ponere adhuc potuit, ne submittere quidem vel tantulum, fretus familiarium quorundam cõsilio præpostere amicorum. Hunc homines mirabundi spectãt in omni parte fori naufragiorũ reliquias ægrè colligentẽ, arrepta naufragii tabula, nõ in portum aliquem, sed in altũ rursus velis, remis, inani spe se agentẽ & referẽtem quàm potest enixissimè. Homo alioqui forensibus præstigiis clarus, & mira ethologia visendus, non modò iudicibus, sed etiam aduersariis imponẽte, quibus facultatibus præcipuè nititur, & ad victoriam grassatur, quam sibi aliquando cessuram persuasit, omnia refusuram quorum iacturam fecit.

Quod nostrum est, vsurpamus. Id est, Iure nostro vtimur. Liuius.

Idem rursus exercẽdæ litis orbis voluendus. Id est, Ab integro lis finita inchoanda est.

Et corpus & pignora nexili pacto obstricta: quare pecunia præsenti opus est ad soluendum nexum corporis & pignorum.

Diurna acta curiæ, & annales in basilica asseruantur.

Litem currentem & præcipitem loco lubrico sustinere.

Homo atesti fulmine perculsus, Atrocis sententiæ procella prostratus.

Si harum duarum auctoritatum fidem refutãdo labefactare potueris, cornua copiarum aduersarii disieceris.

Hæc plaga potius accipienda, quàm tota causa prodẽda. Id est, Prestat liticulæ iacturã facere, quàm vniuersã cõtrouersia periclitari. Hoc est, Paruo dispẽdio redimenda causæ summæ iactura, vel Causæ summa in gradum reponẽda.

Addictorum nexum inire, Pignorum & hominis nexum subire.

Εχέτης ωἱός, is qui nexu plus quàm ciuili obligatus est.

Enuntiata scripto edita. Id est, Articuli positi. Enuntiata noua, sunt quæ Facta noua dicuntur. Theseis, & Themata, Axiomatáque dici possunt.

Thematib° aduersariis iureiurãdo respõdere singula cõcedẽtẽ vel inficiãtẽ.

Antaxiomata scriptitando edere, vel enuntiata è diametro opposita. Id est, Facta contraria ponere.

Enuntiata sigillatim edita scripto prosequi & percensere.

Enuntiata consectaria, Themata inter se apta, Articuli sunt inter se cõserti, & scribendi serie connexi. quos Inuicem dependentes appellant.

Constituere conueniat, quid discrepet inter scriptionum enuntiata.

Sanciendæ fidei ciuilis gratia, nexus corporis vnà pignorúmq; receptus est.

Præsidio canonum reus seruatus,& perfugio maleficorum.Id est Tonsura.

Multi in forum certa causæ fiducia descenderunt, qui repulsorum vultibus ad vltimum redierunt.

Hac de re iudices vt in consilium eant,per me licet.Nihil iam moror iudices,quod ad hoc quidem pertinet.

Iudex qui tribunal conscendit,descendere iam non debet,vt amici personam induat,& ex iudice fiat arbiter.

Descendere non est ausus ad auctoritatem prolatam falsi insimulandam, etiam si falsam esse dicebat.

Descendere ad iniquas conditiones,litigandi tædio.

Descendere ad omnia iudicialis fori commercia paratus.

Qui diu contendere sustinuerat insigni peruicacia, ad extremum Diomedea(vt aiunt)necessitate compulsus,nullam conditionem respuit.

Iugulum causæ petere,& Vitalia controuersiæ,significat Ad firmaméta aduersaria infringenda incumbere.

De curriculo causæ summæ digredi,& Consectari diuerticula deuia,hominis est iudicium causæ fugitantis.

Die iudicii diffusa,aut Iudicio comperédinato,curia interim aditum principi supplicandi,partibus sua sententia præclusit. Vulgo dicunt,Absque eo vt interim quicquam impetretur.

Aduocati & Cognitores,Quadruplatores dici possunt,qui litium redéptores sunt,quas tuédas susceperunt & procurandas. Et Quadruplaturæ reus aduocatus is,cuius fit mentio in l.Siqui aduocatorum.in tract.De postuland.in Co.Iustiniani. Quos Liuius interceptores litium alienarum appellat.

Parerga causarum aut litium, sunt Cognitiones criminũ in ciuiles incurrentes cognitiones,& liticulæ,quæ Emergentes quæstiones dicuntur.

Causæ coniunctæ commissura ad vnguem respondente.Id est, Quæ diuidi nequeunt.Vt cũ rei defensio in eiusdem petitioné incurrit,& vice versa.tunc enim per eius actionis relationem, quam Reconuentionem vocant, id est, mutuam petitionem,depulsio in intentionem vertitur & concipitur, ita vt eadem sit defensio & petitio.

Iudicatũ iudicato rependere,& Nomen nomine expungere:quæ quidé in eadem causa sint,& quatenus adæquant summæ.Vel sic, Debitum ratum rato debito compensare pro portione. Liquidum liquido compensare dicunt.

Sententiam rei petitæ abstuli,sed sine solenni corollario.Id est,Sine expésis in litem.

Aresta quædam caudam trahunt. Id est, Aliis arestis egent quasi interpretibus,aut litem non confectam,sed affectam,prorsus absoluturis.

Controuersia longé latéque patens, & sinuosæ explicationis & pené inexhaustæ,Crassum processum vocant.

Lis pusilla & circuncisa,Processus curtus vocatur.

Prouocationum causæ in ordinem redactæ, id est Voluminares: aliæ Numero ordinéque exemptæ,quæ Scedulares dicuntur: quæ etiam Extra ordinem exeuntes dici possunt.

Aleam emere controuersiæ, est Litigiosam rem emere. Quidam autem ita aleam emunt, vt si alea aduersa fuerit, non magna sit offensionis noxa, vt si paruo lis sit empta. Sin alea in Venerem ceciderit, luculenta sit felicitas.

Vnum vadem trium millium æris obligarunt. Liuius.

Vadati rei, Vadimonio aut vadibus obstricti sunt. Passiue apud Plautum.

A' sarcinis forensibus conscripti quidam curiæ sæpe conspicui sunt curiam introeuntes.

Interdum in arestis iudiciorum infamantium adimitur ignominiæ nota, additamento clausulæ receptitiæ, ignominiam ita delētis, vt tamen maneat litura conspicua.

Homo sexcentis litibus implicatus. Id est, Infinitis.

Res mihi est in meo foro, vbi è sententia res procedit. Id est, Vbi optabam, litigo.

Hæret aqua in hac causa. Id est, Lis non procedit.

Circunuentorem iudicio circunuenire. &, Sycophantæ sycophātari. Plaut. in Trinum. Quanquam hoc me ætatis sycophantari pudet. Idem, Ego huic sycophantæ sycophantari volo, Si hunc possum illis mille nūmis philippeis circunducere. Simile est alibi, Ac si sis nugator, nugari nugatori postules. πρὸς κλέπτα κλέπτειν, πρὸς κρῆτα κρητίζειν.

Scita causæ enarratio, & Scitus litis enarrator & enucleator.

A' calce ad carceres sæpe lites reuocātur diplomate. ἐκ τοῦ τέρματος ἐπὶ τὴν βαλβῖδα αἱ διαδικασίαι μετακαλοῦνται.

Qui se in vado fori versari existimabat, sensim in gurgitem raptus est.

Causa perplexa, mæandrísque aliarum super alias digressionum ambagiosa, ne Carneadei quidem ingenii facultati explicabilis, dignáque quam propter commentandam enarrator elleborum sumeret.

Areopagiticum iudicium latrunculatorio auctori æquiparare.

Si reus ternis dierum breuiariis euocatus, desertum vadimonium circunducendum non curauerit, nihil iam causæ erit, quin bona eius adnotata publicè possideantur.

Litem plus quàm quadruplatoriàm homini intendere rerum forensiū insolenti.

Litigatori fugitiuo iudicium comperendinatum pro extremo corollario dilationum. Id est, Datum est ei vnum saluum tridui, vt in foro loquuntur.

Duæ cōtrouersiæ erāt adeò sociabiles, iudicandíque ratione affines & propinquæ, vt eadem opera (vt dicitur) eodémque oleo cognosci, percenseríque deberent.

AEquis iuxta iniquísque iudicibus causa probabilis, reiectione iudicū vel subsortitione non eget.

Sanctione Philippina in gratiā municipū huius vrbis cōdita, domus semirutæ, & inquilinis vacuæ, areæ inanes aut ruderosæ, ædificia collapsa, vnde nō inquilini modo (vt aiūt,) sed etiā mures migrarūt, priuilegio municipali inclamari proscribiq; debēt, sub hastáq; vænire, intra tēpus eadē lege cōstitutū.

Ex commētariis interpretū scripta proferre vel citare, Ad auctorum iuris

commentarios ius ambiguum vocare, vel De iure ambigẽtes vocare, est Doctores & interpretes iuris allegare.

Ad fraudem & fucum in causis inferioribus faciendum, interdũ adumbratum non obscurè nomen fisci, sermones circũforaneos excitat cum cauillis ac salibus hominum non imperitissimorum. Huic autem iustitiæ ludibrio è diametro propemodum respõdet eorũ impudentia, qui sub eadem persona obnoxiè ad causas descendunt atque defunctoriè, fidem fisci implorantes & deposcẽtes, non Regi modo debitam, sed etiam Reip. deuotam & obstrictã.

Cancellaria.

Conditioni suæ, natalíumque gentilitio iuri diplomate restituuntur homines genere nobiles, qui ob census tenuitatem stemma natalitium inquinauerunt, instituto vitæ sordido, nobilitatíque indecoro.

A' Themidis consultricis oraculo ad Themin alleuatricem transeundum. Id est, A' consultatione aduocatorum ad Cancellariam eundum. Ibi solœcorum forensium gratia fit, nisi sint solœcismi venia translatitia maiores.

Supplicibus causariis quibuslibet venia casus grandioris non indulgenda.

Omnium magistratuum codicilli in precariorum verba concepti sunt, quanquam perpetui sint magistratus, nec successores mitti moris sit in Francia honore fungentibus, nisi spõte magistratu sese abdicarint, aut secus quid admiserint.

Nihil tam trabali clauo fixum, quin vi diplomatica cõuelli possit, aut certè labefactari, si vanitate & mendacio grassari litigatores diplomatarii sustinuerint, quod plerique faciunt.

Opportuno diplomate nutãtem causam aut titubãtẽ in gradũ reponere.

Cancellaria ãtistes est æquitatis, interpres placitorum principis. nam Regis verbis responsa facit suppliciter adeuntibus.

Quædam placita sunt principis, quædam nõ tam placita, quàm libita, quæ iure & legibus absoluta dicuntur: cuiusmodi quædam temporum difficultate expressa sunt, legibus conniuentibus. Quædam iniquitatis speciem præferentia, non principis, sed eorum qui rerum actui præfecti sunt.

Cancellaria iuris est prudentia regalis, cuius auspicia prima sunt penes Nomophylacem regni, qui Cancellarius vocatur. Secũdorum autẽ fascium auspicia habet collegium Octouirorum libellis supplicibus prætorii præfectorũ, quorũ numerus ad Duodecimuiros auctus est post me eo honore donatũ, ascriptitiorũ additamẽto. Is numerus præterquã quòd sententiæ honorato loco dicendæ in curiis omnibus cõsiliísque ius habet, officinæ codicillaris præfectura fungitur in basilica, censuráque eius ministerii varii ac numerosi. Hæc tanquã cella quædam est promptuaria principis rescriptorũ, officina codicillorum Regis nomẽ præferentium, quæ condimẽta quædam sunt iurisdictionis seuerioris, interdũ etiã hortamenta atque suscitabula religioni legum obstrictæ, & hæsitantis: alleuatrix etiam eorum officiosa sedulaque, qui causa ceciderunt aut errore, aut tempore, aut formularum iure. Sic autẽ cu-

riæ summæ propemodũ hæc officina assecla est necessaria, vt medicinæ medicamentaria. Inde enim causarum laborantium fomenta sumuntur, tanquã è pharmacopolio. Quapropter contubernalis est curiæ, curiarúmque omnium, ambitúque regiæ clauditur, in qua curia sita est, in quam summa Iustitiæ iuridicæ sedes suas ac tabulas contulisse dici potest.

Cancellaria, Conuentus supplicum postulatorum.

Adeunda officina diplomatica.

Officium diplomatum subscribendorum & obsignandorum, Cancellariæ vocabulo significatur.

Cancellaria etiam officina est litium informatrix, & aditum aperiens iudicii, imperium iudicibus tribuens, & iurisdictionem causarum nõ sui fori: veniarum principis & gratiarum moderatrix atque arbitra: veniarum ciuilium capitaliúmque promptuarium.

Promptuarium iustitiæ gratiarum, Cancellaria.

Officina gratiarũ in iustitiæ cõtubernio, quæ etiã pœnæ & notæ reos eximit.

Penus iuris benignioris atque clementioris.

Iurisdictio summi iuris emendatrix ex boni æquíque sententia.

Indulgentiæ regiæ promptuarium & iuris honorarii, cuius potentes sunt, & quasi promi condi libellorum Magistri.

Iustitia non tam suum vnicuique iure tribuens, quàm quod iure seueritatis ablatum est, æquitatis manu refundens.

Iustitia non tam è tribunali ius dicens, quàm è solio gratiæ.

Iurisdictio è tribunali seueritatis cum imperio descendens in consiliũ æquitatis & gratiarum.

Honoraria arbitra pro potestate contentionis disceptans inter ius & æquitatem, censura summi iuris & formularis fungens.

Interpres legum formularúmque de æqui boníque sententia.

Forensis calamitatis subsidium & perfugium, præsidium & castellum simplicitatis.

Iurisdictio subleuatrix eorum qui iure & causa ceciderunt nullo suo crimine, sed culpa aut sua aut aliena.

Iustitia suum cuique reddens conniuente seueritate, & patiẽtiam accommodare iussa ab eo qui legibus imperium dat.

Oraculum æquitatis, cuius antistes, vnus Nomophylaciæ præfectus: Subantistes, & Pro antistite, supplicum libellorum Magistri apud principem regiis auspiciis verbísque oraculum adeuntibus responsitantes, quò augustiora sint responsa, plenioráque auctoritatis imperiosæ. Vnde responsa feruntur læta ab impetratoribus, tristia ab iis qui repulsam tulerũt, ambigua ab iis quibus spes non præcisa est, sed expectatione suspensa. Ad quod oraculum freqũetes cõueniunt, quos iuris & formulæ subsidia defecerunt.

Prouocatori temerario prouocationis circunscribendæ venia nõ denegatur, nisi prouocatus occupauerit in prouocationis eremodicio. Id est, Nisi desertæ prouocationis ab ipso arcessitus sit. Id quod nisi factũ sit, causari supplicibus moris est, dié obrepsisse se peregrè agentibus, aut sontico morbo la-

borantibus,& quidvis coloris quærere ad impetrandam veniam.

Diplomate litem quotannis interpolare,ne carie intereat & situ.

Rescriptorum officina, legum ac iuris magisterium obtinens,pro potestate & imperio iurisdictionem tribunalium temperans, formulis ac iuri summo imperium abrogans.

In ea officina sæpissimè id agitur, vt actum quod est, agatur, & vt pertexta quæ sunt, retexantur.

In ea officina causæ vermiculātes & obliuionis carie exesæ,diplomaticis mā goniis interpolantur.Multa etiam alia huiusmodi fiunt clemētia auctore nō reorum modo periclitantium, sed causarum etiam afflictarum deprecatrice. Quæ negari non possunt iure iam vsu recepto, è consultorum commentis potius fortasse, quàm ex antiquæ iurisprudentiæ commentariis.

Iustitia æqui & boni magis,quàm iuris prudēs atque consulta,ignominiosis notas,reis sordes,damnatis supplicia adimens,commune præsidium omnium iure defectorum,non etiam æquitate:& qui aliqua iuris experiundi facultate ceciderunt, aut minuti sunt formularum præscripto, aut imperitiæ noxia,aut inertiæ culpa.

A' tribunalis seueritate repulsi, ad aram æquitatis & clemētiæ confugiunt.

Huius iustitiæ mirificū numē,& miseris alexicacum,exanimes causas exuscitat,actiones emortuas recreat,reos è faucibus fati eripit, antistitum suorū iudicio & arbitratu.Cuius acta,decreta,mandata,beneficia ab amanuensibus regiis subscripta, effigie quoque regia obsignata, per omnia tribunalia infima,summa,obnoxia,liberáque,suo iure imperium sibi vendicant.

Ei qui causa casu formulari,aut errore veniali cecidit,subsidium ab officina æquitatis, causarum caducarum alleuatricis mutuandum est: quæ etiam reos supplices & afflictos subleuare solita sit,de sententia clementiæ affini seueritatis. Cuius rei modificandæ atque constituendæ penes collegiū nostrū secundum Nomophylacem ius est & arbitrium.

Vbi iuris præsidia desiderantur, postquam nihil opis in officio iudicis esse visum est,tum adeundum est ad oraculum Themidis non iurisconsultæ,sed æquitatis responsa dantis,antistite gratia,iuris seuerioris nescia.

Ad consilium æqui boni, gratiarum & indulgentiæ causam suam deferre, iure ac formula laborantem.

Ad officinā æquitatis causam suā deferre vanitatis fuco oblitā & mendacii.

Si vitium obuenit in lite auspicanda,diplomatis venia discutiendum.

Adminicula causarum quæ formula ceciderunt intentionis aut exceptionis (vulgo Releuamenta vocantur) in officina petenda iurisdictionis diplomaticæ. In qua etiam officina iuris persecutiones carie vetustatis obsiræ sæpenumero interpolantur,aut ætatulæ tyrocinio,aut rusticitatis commendabiles,aut ignorationis causariæ patrocinio.

Postliminium personæ,famæ,ciuitatis,bonorúmque iis diplomate datur, qui veniam criminum impetrauerunt.

Ius forensiū codicillorū,Ius fori eximiū,vulgo Committimus appellatur.

Diplomate iudici præire quid de causa iudicare debeat,si ipsi argumentum

diplomatis impetrator probauerit.

Officinæ gratiarũ supplices sunt, quibus diplomatibus opus est ad ius suum persequendum tuendúmve. Officinæ autem veniarum supplices sunt, qui veniales codicillos suppliciter flagitant.

Inter supplicandi autem & impetrandi argumenta frequẽtissima sunt παλινδικίαι, id est, Lites instauratiuæ, quæ iis indulgentur qui causa ceciderunt ob eremodicia. Quarum formula huiusmodi est, vt eodem diplomate se prouocasse dicant, & eadem prouocatione inducta cum eo quod pronuntiatum est, ab integro admittendos se ad causam agendam tuendámve postulent.

Octouiratus auctoritas & magistratus, qui nunc est Duodecimuirorũ, præter arenæ nostræ functionem ordinariam, duobus censetur muneris primarii honestamentis. Nam cum Duodecimuiris ius est in curiis omnibus summis sedendi, loco secundum principes curiæ honoratissimo, sententiámque dicere nisi adsint forte aliqui Patriciorum, in quibusdam etiã præsidendi cũ libet & otium est, tum principi è cubiculo prodeunti, matutinum officium exhibent, ita vt proximi omnium anteambulonum ab eo absint, & cum eo verba faciant de libellis supplicantium obiter ipsi porrectis. Quo fit, vt in oculis eius auribúsque habitent, versentur, & agant: cum interim horum munerum obeundi rara sit necessitas, & quotidiana libertas.

Curia.

CEnturia curiæ quatuor decuriis cõstat, ac x i i Primis qui & Patricii Frãciæ dici possunt, præter eos qui honorarii sunt cõsiliarii curiæ, qui dicendæ sententiæ ius habent loco secundum curiæ principes antiquissimo, vt Põtifex Parisiensis, à pontificatu eum honorem habens.

Primores patrum conscriptorum in principe classe stationem suam habent, qui ob id Primani dici possunt. In qua classe oraculum quoddam curiæ esse mihi videtur. Vt enim res quæpiã nata est inter Secundanos, Tertianos, & Quartanos, quam propter, consilium foras peti oporteat: cõtinuò delecti duo mittuntur tanquam ad responsa petenda ac referenda, quæ auctoritatem habent τῶν πυθοχρήστων, Delphísque responsorum. Ibidem magni cõuentus aguntur, quæ Curiata comitia dici possunt, cum quippiam vsu venit decernendum, cuius auctorem fieri curiam vniuersam necesse sit. Cuiusmodi decreta Curiata dici possunt, quasi Senatusconsulta: & Leges constitutionésque curiatæ sunt, quæ vel à curia cuncta latæ sunt, vel cõprobatæ & promulgatæ. In ea summus Curio cum collegis tribus proprium habet subsellium.

Vt Curiales inter se sunt consiliarii curiæ, sic Decuriales, qui eiusdem sunt classis & decuriæ.

Centumuiralis consessus in quatuor consilia sic tributus est, vt Romæ cẽtumuiri in quatuor hastas tributi erant: quod iudicium lõgè auctoritate cedet, si cum curia nostra componatur. Classes autem, Cameræ vocatæ sunt, à locis olim concameratis.

Magna vis, magnũ quasi iustitiæ numen, idem sentientis cũctæ curiæ, sem-

per est existimatum. Curia verò æquabili iurisdictione per omneis classeis, non vsque adeò astricta est, vt idem eadem de re omnibus classibus censere necesse sit. Id quod nonnunquam exemplorum varietatem efficit. Est enim paucissimis de rebus suus cuiusque classis sensus, etiam perpetuus. Refértque in iis speciebus plurimum ad iudicii euentũ, qua quidque in classe iudicetur.

In curia, vt in aliis consiliis, collegæ quidem sunt omnes, paríque honore præditi: sed paucorum longè maiora sunt auspicia, quorum fasces eminent, cum multorum submissi sint, quorundam etiam penè iacẽtes. Plures etiam hodie conscripti, quàm patres sunt.

Primanorum classis interdum de loco superiore sentẽtias profert, quæ Aresta verbo Græco, quasi Placita vocantur: Interdum è subselliis, eodem tamen imperio, ac potestate pari sententiarum atque auctoritate.

Luminaria curiæ, οἱ πρόεδροι, id est, Quatuorviri, quibus extinctis aut magnopere obscuratis (si quando id futurum est) tenebricosus vt euadat curiæ splendor necesse est, decúsque ipsum iustitiæ cæcetur.

Huius curiæ splendor vna aut altera insigni macula nostra memoria infuscatus est. Sed illustria animaduersionum exempla maculas absterserunt.

Tholi, sunt duo consessus ob quæstiones instituti, æstiuus & hibernus, qui ex omnibus coguntur decuriis. Tornellam vulgo vocant.

In magnis consultationibus, & in tumultuariis conuentibus more maiorum nemini abesse licet non causario: sed causæ quælibet in excusationẽ sæpe cedunt, & multis licet minus valere cum libet. Quod qui faciũt, dignitati suæ deesse se non sentiunt, & in quibusdam obsolescunt insignia virtutis & dignitatis.

Anniuersarium curiæ iustitium, Vacationes vocãtur, quo tempore silentiũ est in curia ab altercationibus, & quoddã conticinium facundiæ causidicæ.

Curiæ consulta ab Arestis & Sentẽtiis differũt. In his enim non causarũ disceptatio agitatur, sed de republica aut principis deliberatio cõstituitur. Romani in Senatuscõsultis faciẽdis hoc verbo PLACERE vtebantur. quasi aresta, id est Placita curiæ appellãtur. Vsus est Cicero Philip. 5. verbis Senatus loquẽs. & Philip. 9. Seneca lib. 10. Epist. ad Lucilliũ, Præterea nulla ars cõtẽplatiua sine decretis suis est, quæ Græci vocãt Dogmata, nobis Decreta licet appellare, vel Scita, vel Placita. Plin. lib. vndetricesimo, Eadẽ ætas Neronis principatu ad Thessalũ transsiliuit delentẽ cuncta maiorũ placita, & rabie quadam in omnis æui medicos perorantem. Et ἀρεστὸν Græcè placitum & gratũ significat. Plutarchus libros quatuor scripsit περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. Id est, vt nos olim vertimus, De placitis philosophorum, hoc est de dogmatibus.

Curia summam & vltimam causarum disceptationem habet: &, si iure suo vti velit, habet tanquam liberam, iuris etiam prodendi potẽtem & exemplarem: plerunque tamen legitima vtitur & vsitata.

In eius obseruantiã, cultum, & tanquam in acta Præfecti prouinciarũ iuridicique adiguntur, quorum quidẽ codicillos in curia promulgari moris est.

Quatuor curiæ Amanuẽses, qui & quatuor A' secretis dicũtur, apparituras curiæ faciũt, sed liberas & honestiores. Apparitorũ autem decuria, qui & via-

tores sunt curiæ, ita constitutas apparendi vices habet, vt bini in orbe necessarias apparitiones faciant, certis spatiis temporum inter se comparatas: cum interim capturis faciundis diligenter incumbant: quod illi amanuenses non nisi raro & ingenue faciunt. Apparitorũ decurio, Accensus curiæ dici potest, cuius munus est causarum exiturarum volumina recitare inclamabunde.

Mercurius quæstorius, quem Græci κερδῷον dicunt, iisdem pene sacris cum illa diua præside iudiciorum passim in foris colitur, nec minore a multis religione, vt annonæ præsentis prolixus suppeditator.

Rectæ & probæ iurisdictionis genius, quam Iustitiã vocamus, in curiæ summæ conuentu perfugium sanctum habuisse semper visus est, (asylum Græci vocãt) sicubi numinis sui maiestate læsam esse existimauit. Quo nomine curiæ appellatio, vt oppressorum præsidium, árxque seueritatis iudicialis, in opinione hominum religiosissime iam olim consecrata est. Nam ius appellãdæ curiæ instar plenum potestatis tribunitiæ, auxiliíque sacrosancti, iis temporibus semper habuit habebítque, quibus fuit futuráque est iuris reddendi ratio auctoritásque florentissima. Quod si quando (quod ominari nolim) huius nostræ curiæ auctoritas ac dignitas labascere cum virtute & constantia visa sit, iustitiæ quoque protinus implorandæ spes & fiducia occiderit & iacuerit.

Certus numerus conscriptorũ curiæ muneri pomeridiano contributus est, diebus quidem extraordinariis, quorum nomina citari matutino ad consessum postmeridianum solita sunt quintodecimo quoque die.

Curiæ minus Licurgææ esse accidit aliquando per iniquitatem temporũ, raro autem contingit satis esse Areopagiticæ, Aii loquentis scelere aut vitio, per rimulas erumpentis vel sanctissimo iureiurando obstructas.

Curia vt iuridicæ seueritatis maiestatem, consessus specie, ac decretorum grauitate sustinet: ita decus columénque iustitiæ sedentis in foro esse debet.

Decuriales inter se necessitudine arctiore cõiuncti sunt, & decuriæ societate. Latius autem patet curialis necessitudo, quæ inter omneis singulósque collegas intercedit, quasi ius municipale inter municipes, qui vinculo solùm ciuilitatis coniuncti sunt.

Sessiones quædam curiæ antelucanæ hyeme, quædam matutinæ, aliæ postmeridianæ & crepusculares.

In auditorio autem curiæ Tribunalitii quidam dies sunt, & quidam Subselliares, quos Consiliares vocant.

Quatuor principum curiæ, id est Præsidum, auctoritas, cardinem actorum curiæ & consultorum versare vulgo existimatur. quod quatenus intelligendum sit, non cuiusvis est constituere.

Cum in rebus iudicandis in vna classe, duæ consiliũ ita distinent sẽtẽtiæ, vt vel plane adæquare vtranque, vel vno minus pũcto alterutram cõtigerit, moris est colophone dirimi cõtrouersiã. In aliam enim classem diiudicatione translata sententiarũ adæquantiũ, allegantur duo sententiarum ipsarum auctores, suæ vterque partis vindex assertórque sẽtẽtiæ, argumentorũ summam ac firmamentorum expositori in vtranque partem disputatorum.

Curia in arestis suis faciendis se ipsam in posterum onerat, vt iudices obno-

xios exemplis & quasi præscriptis astringit.

In curia summa Cognitor est vnus regius propriè & absolutè dictus. In præfecturarum foris non Cognitores regii,sed Procognitores sunt vel Subcognitores.Horum permulti obaudiunt,cum libet (vt fama est) & benignè conniuent.Quod si fieri sine luculenta præuaricatione non potest, quasi per transennam vident quæ otiosè intuenda sunt & animaduertenda:tum quidē certè,cum oculis auribúsque morigerari priuatæ rei suæ interest,aut cum necessitudinibus suis seruiunt.Ex quo euenit nō rarissimè,vt quod ad animaduersionum suscitabulum institutum est, euadat in asylum impunitatis. Nā hæc quónam modo silentio transmitti possunt,quæ pueris,quæ asseclis mularū decantata sunt?Is magistratus iura regia populúsque imminuit aut amplificat pro potestate,atque in iis inire gratiam à potentibus potest,quæ necessitatis,non gratiæ sunt.Verum illa personarum artifex simulatio,quàm Prosopopœiam Græci vocant,& morum effictrix Ethologia,vt in omni penè parte vitæ,sic in iudiciis circunscriptiones factitant etiam populariter.

Moris est in curia,cum lites exponūtur, expositori duos custodes apponere altrinsecus assidentes,nequid iudices prætereat,quod ad rem pertineat.

Curia,militia est vrbana : & stipendia in vrbe faciunt, qui assidui in curia sunt.Curiæ enim summæ cōscriptis velut cohorte quadam lectissima hominum iurisdicendi peritia prudentium,succincta videtur esse Iustitia,qua rex auctore & magistra vtitur ad populū primorésque legibus coercendos.Quocirca eorum stipendia,si rei summæ actus rectè atque ordine constitutus sit, ex argento puro puto(vt prisco verbo loquar) & verò ex ære primipilari persolui,ad nummúmque debeant.Centenarii autem senatus tāta fuit olim auctoritas in Gallia,& quocunque fama eius peruenit,quāta quondam in Græcia Areopagitici,cuius ne Mars quidem & Neptunus dii antiquorum selecti, iudiciō parēre grauati sunt,vt auctor est Demosthenes.In quo sic dii x i i ad iudicium Eumenidum & Orestis disceptandum sederunt,vt x i i Primi Frāciæ cum Rege sedentes insignia sunt Senatus nostri,cum lectisterniū (quod vocant) Iustitiæ agitur & cogitur.Cuius aliquando formam vidimus,sed adumbratam magis,quàm expressam & eminentem.

Διάδικα ψῆφοι sententia damnati vel absoluti, quodammodo dici possunt, qui à Rege & x i i Patriciis & curia iudicati sunt. Quod Demosthenes de Orestis iudicio dixit,diceres AEacorum, Rhadamanthorum, Minoum consilium,si priscam maiestatem attenderes.

Corpus curiæ & ipsa velut cōpages senatus Centumuiralis,è cōuentu regiæ personæ constat,& x i i Primis patriciísque,nō mortalibus,sed personis mortaliū,quæ senis pōtificatibus & potentatibus adiūctæ sunt, vtrinque regi assidētibus,cū lectisternium iustitiæ indictum & stratum est. Reliquus autē curiæ numerus pridem Octouiratus collegio cōstabat,qui à libellis supplicibus regiæ appellatus est,& patrum cōscriptorum. Sed & Octouirorum numerus & conscriptorum,nuper auctus est. In comitatu curiæ,& vero quasi contubernio,est Triumuiratus causarum fiscalium,actionúmque populariū.Sunt & Scribæ curiæ,quorū numerosum est officium,qui etiam Ab actis curiæ dici

poſſunt. His accedunt quatuor viri, à ſecretis curiæ appellationem habentes, munere fungentes cum ſcribis communi, vel potius vicem implente, cum ſcribæ deſiderantur. Hic Senatus principis, ſtatarius eſt vrbanúſque. Alter eſt autē Senatus principis peregrinus, vel prætorianus potius, & aſſecla Nomophylacis, qui comes eſt perpetuus principis, omnia penè ſecum trahens munia reip. legibus, inſtitutis, edictíſque conſtituendæ regiis ſub auſpiciis. Qui etiam ius in curia ſumma ſedendi, vt in omni iudicio, ſecundum regem primum habet, ſententiámque dicendi loco antiquiſsimo.

Curiæ prima claſsis decuriáque, cuius conſeſſus eſt in comitio curiæ auditorióque laqueato, ſic mihi Curia curiæ dici poſſe videtur, vt Græcia Græciæ vrbs Athenienſium à Pindaro appellata eſt. Et quemadmodū Muſeon Græciæ eædem ipſæ Athenæ ab Athenæo dictæ ſunt, ſic nō dubitarim curiam noſtram ſummā, Themidis quoddam delubrum in Francia, & Iuſtitiæ ſanctius domicilium appellare: ſiquidem maieſtatem conditæ primum curiæ, omnibúſque ſuis partibus coagmentatæ, æſtimare velimus, auguſtámque faciem priſcæ iuriſdictionis & exemplaris. Neque enim omnium temporū eſt ætatúmque Lycurgea curia, & nihil fugientius catorthomatica cōſtitutione ordinum muniúmque publicorum. Solenne certè & perpetuum eſt in vita, & penè ſemper fuit, vt nepotum ætas deterior auorum ætate fuiſſe videretur, & priſca virtus omni memoria requireretur.

Curia, Senatus eſt Franciæ. quanquam non magis Senatus eſt regalis ipſa curia, quàm armarium eſt principis regaliúmque placitorū, & quoddā quaſi conditorium Iuſtitiæ oraculorum. Si tamen opinionem adhuc aſſeruat maiorum merito, in curiæ huius vrbis vocabulo cōſecratam inuſtámque. Olim conuentus erat quotannis inſtauratiuus, cui legum, morum, iuriſdictioníſque regimen reges ſemper dederunt quaſi fiduciarium.

Regii Senatus principes quatuor viri, quos Præſides vocamus, vt huius quaſi theatri Iuſtitiæ inſignia ſunt, ita tales creari debēt & doctrina & grauitate & prudētia, & perſona numeris omnibus integra, vt ab eis regi tātus taliſque numerus hominū nō īdignetur, ac peneseos eſſe faſces (vt ita dicā) curiæ.

Apud curiā ſummæ iuriſdictíonis auſpicia ſunt, & exempla ius dicēdi prodentis, ſecundū quidem monarchiæ geniū, à quo veluti fonte regali & iurulēto, perennis manat iuriſdictionis amnis quoquoverſus profluens. Quædā autem areſta eius in primis exemplaria, in iudicandis cauſis citantur vt canones iuris dicendi. Quædam autem temporum fuerunt, nec iam imitanda eſſe cēſentur. Quædam etiam in ordinem redacta ſunt, nec inter exempla numeranda & quaſi curiæ catorthomata. Sicut Senatuſconſulta neceſsitate, aut tēporum iniquitate expreſſa: quæ ſi exemplum prodidiſſe, iuſque ſtatuiſſe hæc ætas aut poſteræ arbitrarēntur, iniuria iuris nomen, vicémque obtineret.

Curia interpres eſt iuris & æquitatis, edictorum & placitorum principū, bona eorum venia moderatrix & arbitra, duntaxat quæ in curia promulgari cū cognitione debent. Cum enim in ſanctiones regias iurata ſit, ſiquid placita à principe eblādita, aut obreptione ablata, à ſanctionibus aut æquitate diſcrepent, iudicium ſuum interponere more maiorum ſolet.

Stat ius in curia nostra non minus moribus quàm legibus, nisi in earũ causarum iudiciis quæ scripto iure censentur. Nam & Francia propriè dicta, moribus ius habet constitutum maxime, eóque nomine Consuetudinaria vocatur. At verò Prouinciæ quæ à iure scripto nomen habent, ita iurisdictionem iuridicam exercere dicuntur, vt tamen eorum iudicia eam ipsam ob causam non minus nõnunquam iniuriæ, quàm iuris dicere, id est æqui & boni videantur. Est enim ius aliquod iniustum, id est δίκαιόν τι ἄδικον: & Ius iniurium, τὸ ἀκριβοδίκαιον. Sicut ἡ ἀκριβολογία vitio vertitur ab Aristotele in 4. Moraliũ. Prouinciæ autem à consuetudine nuncupatæ, quasi auspiciis consuetudinis potius quàm iuris scripti administratæ, non tam iuris pedissequæ sunt, quàm Iustitiæ: quippe quæ iudicandi rationem vsúmque fori à iure Romanorum, nõ vt imperia sanctionum accipiat, sed tanquam consilia & responsa prudentũ: consiliariæ sunt iustitiæ, non legislatricis atque imperiosæ, sed æquitatis potius auctoris & magistræ. At huiusmodi Iustitiæ, quasi matronæ boni & æqui consultæ, vis afferri mihi videtur, cum iuris interpretatione subtiliori & arguta ius dicitur & redditur, præsertim ex cõmentariorum congerie, vel verius controuersi iuris iliade, quibus iuris prudentia excæcata est. Nam qui explanationum iuris facibus prælucere debebant iudicibus, hi tenebras offuderunt Cimmerias, caliginémque iudiciis in dies atriorem.

In curiæ ludo & comitatu, quasi in lautiore officina Promethei atque exactiore, homines finguntur non quilibet & vsus trãslatitii, sed ad magistratus atque honores gerendos idonei & perpoliti, & præsertim iuridicos. Quare & in basilica seminarium quoddam est magistratuum.

Aliud est Iustitiam exercere, & aliud Vexare iustitiã, variéque agitare: quod Indulgere est iuri formulario contra æqui boni dictamentum. Neque enim forensis Iustitia ius suũ vnicuiq; tribuit, sed adimit potius, quæ ius in iniuriã vertit iniqua religione iuris interpretandi. Vnde autem examen calumniarũ forensiũ enatum, nisi è solennibus formulis iuris experiundi, aut vtcunque lege agendi? At hæ captiones sunt non modo simplicium litigatorũ, sed hominum etiam peritorum, qui pendere pœnas coguntur, aut inertium cognitorũ, aut apparitorum vel sui muneris imperitorum, vel improbè negligentium: cum interim & cognitoribus ipsis & apparitoribus, tametsi in verba adactis solennis iurisiurãdi, impunè sit à iudicibus, à popularium actionũ curatoribus. Multi sunt huiusmodi solœcismi in vita ciuili moribus recepti, in noxam captionémque singulorum, conniuente cura publica. Profectò Iustitia nomine suo digna, iandiu foro cessit, vt rerum vænalium, sic etiam iudiciorum, quanquam inania eius auspicia in sermone hominum remanserint circunforaneorum, & persona ipsius histrionica, nominísque vsurpatio audi tu tantum vendibilis & veneranda, & verò nonnunquam sic quoque vænalis ac sese litigantibus imputans.

Olim & ferme semper in Curiæ vocabulo tanta fuit spes præsidii, vt quibus adempta esset aut pernegata facultas curiam appellandi, ademptũ ius certũ putaretur ius suũ obtinendi, Iustitiæque implorandæ fiduciam esse præcisam.

In consiliis celebribus censentium & pro sententia dicentium, quidam ita verba faciunt vt cordati iudices, ac causæ semper instantes sibíque, eorũ quæ causa complectitur, existimatores prudentes. Quidam quasi legis cuiusdã ciuilis pro iure docturæ è loco superiore enarratores: cæterum qua de re tũc agitur, non magnopere perpendentes, nempe quasi theseos sententiam rogati sint, & non hypotheseos potius: aut quasi quæstio in medio, non causa posita sit, & locus communis oratione explicandus sit. Quidam sententiosè disserunt, non etiam copiosè aut eloquenter. Alii quasi argutatores, & pro suggestu prælegentes. Alii verba fundentes inania, eò amplius identidem se reuocant, eandem sententiam sæpius ingeminantes. Alios pudet dicere quod alius occupauerit. Alii non verentur, quod alii dixerint, vt sibi præreptũ pro suo dicere, in eóque immorari, quasi homines inopes, nonnisi rarissimè in suo ære existentes, sícque se in ordinem cogere vrgentes. Verum qui in causa hærentes, semetipsos vrgere non desinunt, hos Commodos iudices vocãt, & eius quod agitur, intelligentes. Improbabilis est eorum consuetudo, qui diu ancipiti disputatione sententiam dicunt, nec in alterutram partem satis certò vergunt, quasi academicè censendum sit in iudiciis. Sunt qui ementitis legum canonúmque auctoritatibus, iurísque interpretum elogiis commentitiis sententias suas impudenter sanciunt, quasi auditoribus aliud agẽtibus. Quorundam vibranti & sonora oratione, sed non perinde sententiosa, aures personant audientium. Sunt qui iuris responsa sanctionésque ita laudant, quasi sententiæ suæ auctores, vt eas adnumerandas putent. Sunt alii qui appendant potius iuris auctoritates statera prudentiæ.

Pro imperio curiæ quippiam denuntiare aut exequi, hoc est, Iussu & mandato curiæ dicere se id agere.

Pro curiæ sententia dicere, est Per arestum.

Curia natalem habet actionum causarum atque altercationum, postridie Martinalium.

In albo curiæ nomina sunt Patrum Conscriptorum, & ex eo citantur, cum curiæ comitia habentur, vt postridie Martinalium, & diebus celebrium conuentuum & consultationum.

Antiqua indoles curiæ an ad nostram vsque ætatem peruenerit, vix ausim pronuntiare. Stat tamen hodie sua curiæ dignitas & auctoritas, ob maiorum memoriam meritáque in hominum opinione consecrata, vel ob temporum forsan conditionem. Virtus enim prisca, decúsque & maiestas iurisdictionis summæ, non tam fuit hominum, quàm disciplinæ temporum, quemadmodum & in Senatu Romano quódam fuisse notum est. Quin & omnium officiorum, consultorum, decretorum, tum vetustorum, tum nostræ fortasse auorúmque memoriæ auctoritates commemorandæ, & quasi catorthomata, aut iis rursus dissona, & memoriæ hominum eximenda: siquo pacto fieri posset, temporibus accepta magis referuntur, tẽporúmque auctoribus & potentibus, quàm viris temporũ æqualibus. Tametsi nulla fuit tã infelix ætas, quæ nõ Catonẽ aliquem, aut certè Thraseas, Heluidiósque tulerit. Verum vt vna (quod aiunt) hirundo, sic nec vnius aut alterius similis iam dictorum virtus

& sententia, Senatus & curiæ consulta. Haud ita pridem homo fuit, curiæ aliquandiu alumnus, è sinu eius progressus ad fastigium honorum, potentiámque inusitatam, fatis iam aduersis nationi mortalium virtuti studentium. Is post multa exempla summæ ac inauditæ improbitatis edita, vt specimē impotentis insolentiæ faceret, iuridicam iustitiam exarmare concupiuit, curiæ summæ auctoritatem, noménque pessundādo & obterendo. Id quod nō dubie perfecisset (qua erat audacia) nisi eius impotētiæ, ingenium principis obfuisset, Iustitiæ maiestatem tantopere minuere recusantis, vt pignus imperii Francici. Hūc fatum opportunū sustulit, hac ratione grassantem ad ius, bonum, æquum, honestum de medio tollendum, superstitem (vt est hominum opinio) tantæ potentiæ futurum, nisi repente arreptus esset. Nec tamen antè arreptus, quàm omneis reip. partes vestigiis luculentis impresit impotentis animi, audaciǽque antea inauditæ. Quibus monumentis memoriam sui nominis præcipuè posteritati mandādam, non etiam commendādam putauit.

Interdum per iustitiæ exactoris speciem coloremque, iustitium vnius causæ aut plurium statuitur. Id quod euenit nimium indulgendo certamen iandiu instans & in procinctu existens detrectantibus, aut litibus sæpius ampliādis quæ præsentanei sunt iudicii.

Ministerium scribarum, vel scriptum curiæ facientium, sunt ii qui Clerici vocantur actorum officii.

Semestria agere in auditorio magno, & semestria in Tholo quæsitorio Primani curiæ solent, vbi munia subinrelliguntur. Sic etiam semestria sua agūt Conscripti curiæ comitatus asseclæ.

Bimestribus abesse, & peregrè agere, id est, Vacationum tempore, qui quasi dies sunt curiæ halcyonii.

Augustam curiam habere princeps dici potest, quando lectisternium iustitiæ indictum, à principe cogitur.

Solennes quædam causæ sunt, quæ in curia primùm instituuntur, vt Regaliorum & Patriciatuum, & aliæ quædam. Aliæ autem curia demum appellata, iuris fiūt curiæ. Aliquæ etiam in curiam statim arcessuntur à principe, aut ante sententiam asciscuntur, ab aliis iudiciis auocatæ.

Solennis censura curiæ singulis mensibus agitatur, Mercurialis dicta.

A quinto Idus Septembris ad postridie Martinalium, anniuersarium est curiæ iustitium in omnibus conclauibus, etiamsi in Tholo quæsitorio delectorum numerus sedet præcipuè ad custodias exhauriendas.

Exoletæ vetustatis decreta curiæ arestáque, nunc placere non possunt.

Constituendæ iurisdictionis arbitrium curiæ est intra fines ditionis suæ in iis quidem quorum nulla extat sanctio.

Quatuor principum curiæ munus est, cum aliquot delectis Conscriptorū censuram gerere omnium curiæ partium, omniúmque officiorū curiæ subsignanorum. Censorum autem erat olim, sarta tecta tuenda templorum basilicarúmque locare, & exigere. Sartam igitur ac tectam tueri curiæ dignitatem & maiestatem præsides ipsi debent: vt ipsa vicissim curia Iustitiæ impe-

rium fidémque & præſidium, ſarta tectáque tueri debet, qua patet eius fines. Siquidem curia eo nomine cenſetur, quaſi fanum quoddã Iuſtitiæ, aſylúmque vi oppreſſorum. Et verò Deus numénque Iuſtitiæ præſes aram habere in curia ſemper viſum eſt. Tandiu autem curia curiam agere exercerêque videbitur, quandiu pro dignitate curiæ agere, ac veterem curiæ dignitatem tueri aſſereréque perget.

Conuentui baſilicano hominum noſtrorum magna pars, qui aliquo ſunt numero locóque, ſtipendiaria facta eſt, quaſique ob noxam data controuerſæ vitæ, atque peruicaciæ iuris experiundi, cum ipſe conuentus togatorum immunitate fruatur, & plus quàm iure Latii.

Iam pares non ſumus antiquæ iuriſdicendi ſeueritati, temporum (vt opinor) inclinatione. Eò enim mores iandiu vergunt, vt ſibi quiſque in primis conſultum velit, in medium ferè conſulant homines malè aut frigide de laribus ſuis meriti.

In quibuſdam iudicibus haud ita multum eſt iuris ſcientiæ, eſt tamen ſatis ingenii, iudicii, prudentiæ, & orationis ad obtinendam perſonam magiſtratus, ſpeciémque tuendam hominis non inconſulti.

Non omni tempore ſeueritas perinde vendibilis eſt, priſcǽque notæ integritas. Hæ enim iam à multis ad crudiora ſecula relegatæ ſunt, ex quo ſtrenua impudentia fortunatrix hominum eſſe cœpit. Atqui poſtliminii exigua ſpes non Aſtrææ tantum illi poëticæ, quæ ſalutem iam olim dixit mortalitati, ſed etiam Iuſtitiæ inter homines verſatæ poſt hominum memoriam, aut paulum ſupra.

Quidam iudices comiter, blandè, benignè litigatores appellantes, cauſas ſuas ſuppliciter commendantes, omnia etiam eorum cupere ſe dictitanteis, incautos intus euertunt, verbis peſsimè de iis merentes, à quibus gratiam vultibus inierunt.

Fama eſt familias quaſdam in vrbe gratioſas & potentes, coitiones inire de nece cauſarum iure ſuperiorum.

Conſcriptorum curiæ, quidam viri, quidam homines, quidam androgynorum generis, in ſentẽtia dicenda, nõnulli Tireſiæ aut Cænei, viciſsim viri fœminæq;, aut vice verſa è fœminis viri facti, & in melius tẽpore progrediẽtes.

Areſta curiæ & decreta panegyrica, Cõſultationes curiæ comitiales. Id eſt, Vniuerſæ coeuntis curiæ.

Iuſtitia eſt per quam obtinere quiſque debet quod ſuũ eſt, ſi ius experiri velit. Hæc iuſtitium eſſe incipit, cum tardigradam & fruſtratricem ſeſe exhibet,

Præſes de aduocatorum altercationibus ad conſilium refert, quãdo tribunal obit, & circulans ſententias ſigillatim rogat.

Baſilica curiæ, eſt ambulatio in qua Regum ſunt ſimulachra.

Curiæ exiſtimatio & auctoritas in quatuor Primorũ induſtria, dignitate, & prudentia, quaſi in cardinibus vertitur. Iuſtitiæ autem ius dicentis robur & imperium, in virtute & ſeueritate curiæ, quaſi in cardine ſummo verſatur.

Iuris ſui vnicuique tribuendi ratio in compẽdiis iuriſdictionis ſita eſt magna ex parte: quia litium diſpendia ſuo obtinendo, aduerſa ſunt, & ſæpe vi-

ctorias Cadmæas efficiunt. Multis enim vtilius esset cito causa cadere, quàm post tot annos vincere. Iudicum autem indulgentia improbitati ludificatorum fauens, callum vetustatis obduxit & in curia, & in omnibus penè foris, litigãtium moribus eorũmque cognitorũ : quod iam abstergeri non potest mulctis quidem penè ignominiosis, nedum increpationibus. Quod autẽ ad iudices pertinet, eò penè res euasit, eorum culpa, quos vel inertia, vel studio cunctatores esse non pœnitet, vt litigãtes numerum illis augeant assectarũ. Iustitia iam vt constans & perpetua sit voluptas ius suum vnicuique promittendi. Vsqueadeò quidam tanti æstimari volunt vltimam manum liti apposuisse, quã tandiu in manibus habuerunt. Atqui iustitia nõ modo maxima in iurisdictione summa, sed etiã optima esse debet, quæ appellationes summi Iouis apud antiquos fuerunt, qui à iuuandis hominibus dictus est. Optima autem est beneficẽtissima, vt Cicero interpretatur. Iustitia igitur à curia debetur singulis & vniuersis de fortunis suis ambigentibus, vt optima maximáque est, non vt qualibet.

Quædam in mores iudiciorum transierunt & recepta sunt, quæ à maiorum nostrorum auctoritate, id est annorũ, ius magis sumpsisse, quàm à iure, æquo bonóque videntur, aut ab exemplis ab antiquitate proditis.

In puluinato tribunali sedere & liliato moris est curiæ actionibus publicis, & foribus apertis. In subselliis autem sedere actionibus extra ordinem inductis, & occluso auditorio.

Curia aliquando de gradu auctoritatis non leuiter deiecta vnius hominis machinamentis, sensim in gradum penè reposita est, tum suapte vi & dignitate, tũ eius bona venia atque indulgentia, in quo omnia posita sunt. Nouit enim Princeps optimo iudicio præditus & ingenio, iustitiam violatam maiorum memoria in sinum semper curiæ confugisse, tanquam ad præsidiũ validissimum, quod semper ipse munitum & oppressis obuium esse voluit.

Iudicis viri boni officiũ est causæ studere, nõ personæ: iuris rationẽ, nõ amicitiæ ducere: nõ affectibus, nõ stomacho seruire, sed Iustitiæ præceptis. Scelus est autẽ, æquũ illi esse frõte, cui mẽte iniquus sis. quod vitiũ est nõ paucorũ.

Solidam & expressam Iustitiæ effigiem in iudiciis agnoscere difficile est, vt nunc iurium disciplina, ac iuris dicendi ratio comparata est. Adumbrata tantum vtimur, aut imagine fucosa, ve rámque ementiente. Itaque probitas & candor litigantis ad fori victoriam non facit. Illa verò & ab offensione propius abest, quàm astutia versipellis & calumnia.

Persona amicitiæ obsolescit in tribunali, & in consilio iudiciali. Deponenda igitur simul ac calculus in manũ sumendus est, assumẽdáque integritatis.

Obstruẽda aliquãdo ludificatorũ perfugia & infíciatorũ, aut iurisdicẽdi ratio in iniuriã merã tãdẽ degenerabit. Huius generis sunt intercessiones futiles, prouocationes improbæ, postulationes proteruæ & detrectatoriæ, eremodicia affectata atque impudẽtia. Quarũ rerũ tædiũ & molestia deuoranda iis qui iura sua persequuntur: vt nunc mittã fastidium iudicum qui obseruantia clientelari gaudent, & cruciatu iustitiam nequicquam flagitantium. Sed stomacho imperandũ, quãlibet bile rumpatur, qui litigare statuerit, aut animus

despondendus est, qui perferre ad extremum sibi imperare non possit.

Lites parente Discordia natæ, quæ malum olim aureum in medium côiecit, nutricante peruicacia mirè gliscunt, vt vlcera serpentia, alma & ipsa nutrice turbæ forensis & pragmaticæ.

Visa est aliquando curia dignitati suæ aliquãtû deesse, aut sui dissimilis esse velle: sed id, têporis fuit atq; necessitatis, nô iudicii, aut indolis degenerãtis.

In Rep. rectè & commodè constituta, iurisdictio ad certam rationis politicæ formam redigenda est, quàm fieri maximè potest. Sic tamen, vt locorum, temporum, personarum, causarum, qualitatum, quantitatúmque momenta euentorúmque expendenda sint: & vt æquitas in sentẽtiis, salis in cibo rationem obtineat.

Siquis litium curriculi dispendia commodè in compendia vertendi inuentor esse possit, dignum erit inuentum quamobrem hecatomben (vt dicitur) quasi votiuam Deo consecret. Quod olim Pythagoras fecisse Musis dicitur, ob inuentum vnum geometricum, si Athenæo credimus.

Id iniquè in vita comparatum est, quòd homines litium fugitantes, & cum homine improbo negotium habentes, salutem dicere foro nequeunt. Quippe qui si lites diuturnas, quas soluere nequeunt, abrũpere impetu animi instituerint, versuram illico facere se intelligent, altiúsque in luto negotiorû hærere. Statim enim prædones multi, vt iniuriæ obuium atque ignauum, certatim adorientur. Vnde fit, vt lis lite quasi vmbone propulsanda sit. Me miserû! Itáne verò subductam nauem iterum deducere necesse est, iterúmque & sæpius inuitum iisdem iactari fluctibus, æstibúsque forensibus? iterum in harpyias forenses incidere, labores hominum deuorantes?

Si in inchoandis litibus in mentem veniret hominibus calculos hinc inde ponere, minus turbarû esset in foro. Nã quoto cuique in exitu fori ea ratio constat, quam ingrediens iniit? Sed dantur vela dolori ob iniuriam orto, dantur existimationi, ne cessisse videamur improbè lacessenti. Tum aura quadã spei sinus cursus forensis implentur, fallacis sæpenumero & decoctricis.

AEtas nostra multarum rerum designatrix, sexagenarios de ponte deiecit curiæ comitiorum, nostrámque γερουσίαν recoxit in adolescentiam.

Iniquum est quod quidã vociferantur, sacculos litium è manibus eorum queribundè quidem, sed nequicquam desiderari, qui pro potestate susceperunt inspiciendos, impunéque rem abire à publica cẽsura in hac specie obaudiente aut conniuente. O mores! Olim, qui causas suas ad curiam detulerãt, suarúmque fortunarum pignora apud acta deposuerant, tam securi suarû rerum erant, quàm quibus prædiis (vt dicitur) prædibúsque cautum erat. Nunc ea est conditio eiusmodi depositorum, vt in vtranque aurem dormire non debeant, quorum res periclitantur. Id quod testificari possumus.

In basilica saltare, orchestra côtẽtionis & discordiæ, quibusdã iucundû est, quibusdã permolestû. immo verò tranquillitatis cupidis mortis instar est in litium mæandris côsenescere, & nûc porrò, nunc retrò vela facere, à ripa nûc propè nûc longissimè abesse. Sed danda sunt vela, dum fit flatus, & præsertim Fauonio spirante, dum à puppi vẽtus aspirat. Eluctãdæ manus interim turbæ

pragmaticorum,emunctricis aduenarum,& præsertim mucidorum, qui rerum forensium tyrocinium nondum fecerunt.

Tam incerti sunt euentus fori, vt interdum è re subito nata consiliũ in rei summam capiendum sit. Etsi enim primæ partes sint in iudiciis iuris & formularum,fors tamen & temeritas locum sibi inter illa aliquando obrependo vendicant.Latissimè enim patet eorum humanis in rebus potentia.

Aduocati periti& consulti,omnia legũ canonúmque capita,omnia prudẽtũ responsa,iuráque formularũ,in numerato(vt creditur)habentes, messem opimã in agris controuersis,sine controuersia faciunt,cum eo quoque(ô felicem vitæ conditionẽ!)vt gratiam ineãt ab iis qui se dominos esse perhibẽt.

Aresta curiarum sæpenumero non sunt quod Arresta vernacule dicta, vna litera addita,sonãt.Lora enim sunt potius aresta,& habenæ sine mora,id est, lubricæ.

Frugi litigarores sunt scitè & prudenter causis suis instantes, & quanti minimo fieri porest,& quàm frugalissimè in foro negotiãtes.Homo enim frugi(inquit Cicero in Tuscul.)omnia rectè facit.

Iustitia est propriè quæ ad charitatem ciuilẽ omnia referẽda putat, suúmque tribuendum vnicuique. Qui igitur ad quæstum præcipuè incumbunt, qui ambitiosa iurisdictione gaudent,qui ineundæ à potẽtibus gratiæ,aut necessitudinibus iudicatu comparãdis,non tam iustitiæ administri sunt, quàm iustitiæ adumbratores.

Curiæ iudicium deprecari non licet,nisi erroris patrocinio:nisi errorẽ causemur iudicibus obrepsisse. Cum curia expostulare licet supplici erroris patrocinio.Ad disquisitionem eiusdem curiæ denuo rem iudicatam referre licet obtentu erroris qui obrepserit.

Cũ honoris præfatione iudiciũ curiæ refutare,vt erroris obreptione factũ.

Erroris venia curiæ iudicium refellere supplicabundè,sanctione regũ permissum est.

Sub titulo erroris intercedẽtis, post curiæ arestũ quæstionẽ referre rei iam iudicatæ.vel,Ad disquisitionem reuocare litem aresto diremptam sub erroris titulo.vel,Per speciem erroris arestum curiæ in consiliũ rursus mittere.

Ab aresto curiæ ad eandem ipsam suppliciter prouocare ius est legibus ac moribus, errorem prætendentem , vel errorem prouocationi obtendentem cum honoris ac bonæ veniæ præfatione.

Ab arestis curiæ appellare nec principem nec aliam curiam, aut consilium licet.bonam autem veniam honorémque præfantes , & supplicantium specie,quæstionem referre eiusce rei ipsius,qua de re actum est,lege ac more licet,erroris & hallucinationis obtentu.Id quod si factum fuerit, seu in priorẽ sententiam,seu in aliam itum fuerit,iam vltima manus summáque controuersiæ imposita est.

Sentẽtiæ ad libellã æquæ, iudicii ad perpendiculũ recti in iis causis in quibus ius ambigitur,eo rariora sunt exẽpla hoc tempore,quo iuris interpretatione finessunt in dies ampliores, iccircóq; incertiores & cõtrouersiosiores.

Præuaricatio in causidico ignominiosa,in litis inspectore atque in enatra-

tore prope capitalis est.

Prouocationes causarum laborantium & afflictarum remedia præsentissima, non tamen temere & immodice iis vtẽdum, sed quasi elleboro, viro quidem prudenti & existimationis suæ studioso.

Plurimis litigantium Epimetheis esse contingit, sed Prometheis paucis. Vt enim sapere paucorum est, sic multorum resipiscere.

Iurisdictio nõ obnoxia, immo vero iustitiæ summa, cũ in manibus collocata est auctoritate regia hominis insolentis & inaudita confidentia Cyclopis, improbitate & versutia Sisyphi: quónam modo fremere & indignari Astræã illã credimus, ideam Iustitiæ? At ætas nostra eiusmodi hominẽ tulit, & serò ægréque ac post multorũ vota sustulit, postquam sub Minois persona, & verbis Rhadamanthi, iniustitiam quoquo locorum circuntulit.

Sunt potentes homines & gratia pollentes in aula, qui gloriæ sibimetipsis ducũt, ab hominibus facinorosis ac perditis, quos legibus eripuerũt, ciuicam (vt ita dicã) deferri aut deberi. Qui si misericordiæ atque humanitati hoc tribuerũt, nõ magnopere reprehendendã eorum culpam arbitror: sin sibi ac necessitudini acceptum referri volunt, quis non improbũ admissum esse dicat, leges ac iustitiam pœnis fraudasse ad exemplum pertinẽtibus? Quis denique non capitale, maleficis seruandis, nomina beneficiorum facere?

Mutuo plerũq; scabere curiales existimãtur. vnde causarũ diplomata trãslatiua nata sũt, quas Auocationes appellãt. Aiũt enim tõsores interse rasitare.

Cum alia quædam in iudiciis, tum hoc inique in causis ciuilibus comparatũ est moribus nostris, vt iudices veluti superficiarii sint, in alieno solo fundamentóque ædificantes, siquidem status causæ sit inficialis, & testibus inquisitum sit. Iudicant enim eorum fide qui testes interrogarũt, homines plerũque (fac sanè probos esse) iuris certe ignari lucripetæ, & capturarũ studiosi, quæ pro numero testium chartarúmque maiores aut minores sunt, cum interim causæ ius sumant è pondere significatúque verborum.

Nihil publice magis expetẽdum, quàm iurisdictionis præsertim summæ & exemplaris, Argum custodem esse, nõ vnum, sed etiam alterum, eósque peruigiles ac dracõteis oculis, nequid ambitioni, nequid cupiditati, nequid auaritiæ, nequid odio, aut studio in iustitiam liceret, virginem suopte ingenio integram, & ad perpendiculum rectã. Esse & Atistarchos aiunt oportuisse actorum rerúmque iudicatarum in consiliis, quæ posticum non habent.

Araneosa aiunt esse iudiciorum retia vinculáque, quibus præualentes & petulãtes coerceri non possunt nec irretiri.

Quid nõ ars histrionica designat? vidimus homines quæstuarios atq; assentatores apertos, qui diu Diogenis & Cratetis personas pertulerunt. Vidimus gratiæ & fauoris aucupes, qui Catonum æmuli videbantur. Vidimus Vatinios pro Aristidis sedentes in consiliis eiusdem artis cõmendatione & suffragatu.

Si Nomophylacii nostri præfecti & potentes, tantũ iurisdictioni rectæ tribuendum esse sibi persuasissent, quãtum naturæ Lucretiani, & corporis blandimentis Epicurei (de æqualibus nostris loquor) sanctius multo & religiosius iustitiæ sacra peragerentur in curiis & consiliis non obnoxiis.

Φιλοδικία, insaniæ species, albo nigróque veratro vix purgabilis, si quidem inueterarit.

Iustitia non viuis tantum atque superstitibus, sed etiam mortuis & de medio sublatis, vt Minos olim & Rhadamáthus, iura reddere debet, manibúsque parentare suppliciis sontium.

Iustitia non in tẽplo Martis opes suas, sed in delubro Pacis asseruat: arámque suam habet præcipuam asylúmque in templo Iani clauso. Pace fores obdo, ne qua discedere possit, inquit Ouidius in persona Iani.

Iustitia ius dicens sine æquitate præclarum facinus nullum edit. Ius enim sine æquo & bono, Hercules est aut Pirithous sine Theseo. Quanquam iustitiæ Theseus propriè dici potest affectus animi gaudens & dolens vicem publicam, prout res natæ sunt commodæ aut incommodæ populo, motus animi æmulus charitatis publicæ, sanciendæ reip. atque constituendæ desiderio flagrans. A Græcis ob id zelus dictus.

In causa iudicanda potentis atque inopis id facinus iniquitatis admissum est aliquando, quare plebs secedere in Auẽtinum posset, tribunitiúmque auxilium contra iniuriam flagitare iudicialem.

Iustitiæ summæ reuerentiam militaris ordo ferè grauate ferre solet, & quasi onus ceruicibus suis iniunctum excutere conatur idẽtidem & fremebunde, nisi imperio seueritatis strenuæ deterreatur. Quod iudiciorum ordo præses non satis animaduertere existimatur.

Malum olim discordiæ missum vel πλεονεξίας potius Astræá terris exegit, vt ipsa exultantius in foris iudicialibus, quasi in orchestris suis, moueretur.

Litigare, est ærumnas obire, ὑπὸ τῆς πλεονεξίας impetratas.

Auaritiam circunforaneam, id est Nationis pragmaticæ, sic aurum rapere quidam dixit, vt ignem naphtha rapit.

Iustitia olim acribus atq; intẽtis oculis, aspectu cõstanti & inflexo à Chrysippo descripta est. At nũc oculis subhebetibus, aut certè limis esse videtur, & multa trãsmittentibus, ideóque aspectu aspernabili. Ad cuius pictoris effigiẽ si nunc exigamus iustitiam, nusquam gẽtium nostrarũ inuenietur. Nam vbi est tandem illa ἀδιάφθορος, συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον καὶ δεδορκὸς βλέπουσα; Vbi autẽ τοῖς μὲν δικαίοις θάρσος ἐμποιοῦσα, τοῖς δὲ ἀδίκοις φόβον; Certe oculis atque auribus obtorpuit huius temporis iustitia, si cum illa componatur.

More parum probabili id inualuisse videmus, vt qui iniuriam deprecãtur, ius poscere extra ordinem ac beneficii numero videãtur. Imputantur enim, quæ muneribus debentur.

Multa in speciem famámque iurisdictionis rectæ & probabilis comparata sunt moribus, quæ re vera inania simulachra sunt germanæ iustitiæ.

Multa antiqua iurisdictionis summæ solennia sensim obsoleuerunt.

Interregnum iniri diuturnum principatus curiæ aut primi, aut secundi, aut sequentiũ, neque ex vsu est Reipublicæ, neque è curiæ decoro: quod tamẽ sæpe vidimus. Interregnum autẽ voco desiderium, quod instar est interregni.

Aliud est consiliarii publici munere fungi in iudicandis rebus, aliud auxiliarii priuati.

In baſilica palatina nundinæ ſunt iudiciales:& tabernæ inſtitoriæ, ſunt plutei cognitorii,& ſtationes aduocatorum.

In loculis litigiariis ſumma cenſus litigatoris interdũ condita eſt, omniáque vitæ ſubſidia:qui loculi ſi intercidát(quod frequẽtius eſt, quàm halcyonem videre)culpa & incùria litis ſequeſtris,litigatori & cauſa cadere,& facultatibus euerti cõtingit.At ob hãc pauperiẽ factã, nulla dãni iniuria dati actio prodita eſt, quæ quidem ad recuperatores non irritam perſecutionẽ habeat.

Quibuſdam in rebus in iure ambiguis,& cõtrouerſis inter iuris auctores,vnius claſſis placitum,aliis nõ eſt prærogatiuum. Adeo vnaquæque claſſis curiæ quippiam habet ſui,quod extra fines illius exemplum nõ ſtatuit.Alioqui Primanorum decuriæ,id eſt Cameratæ & Laqueatæ,cæteræ decuriæ faſces auctoritatis ſummittere libentes ſolent:quam vt oracularem religioſe adeunt in rebus nouis aut perplexioribus,quæ ab antiquo more ius ſumunt.

Curia nonnunquam in cauſis cognoſcendis ab imperio ad cõſilium & ſuaſoriam diſceptationem quodammodo deſcendit,aut quaſi ad arbitriũ quoddam honorarium:prius tamen hoc præſtruens, vt in auctoritate curiæ partes futuras ſe ſpondeant.Id fit certas ob cauſas,vt ſi inter parentem & liberos lis orta ſit,aut inter arcta neceſſitudine coniunctos, ne contentio gliſcẽs ignominioſa tandem ſit familiæ.

Dictatoria quondam curiæ imperia,ſenſim tranſlatitia facta ſunt ob ſeueritatis remiſſionem.

Sic eſt quibuſdam in foris iuriſdictio conſtituta,præſertim pontificia,vt omne officium iudiciale & turba pragmatica,non ad lites ditimendas, minuendáſque diſcordias, ſed ad cauponandas controuerſias (vt priſco verbo loquar)inſtituta fuiſſe videantur. Ibi autem ære prolato ſe tueri iúſque ſuum, certius eſt & conſultius ad iniuriam amoliendam , quàm iuris æquitatíſque præſidio. Auaritia enim & quæſtus ſordidi ſtudium, quam αἰσχροκέρδειαν Græci vocant,vbiuis propemodum gentium locorúmque graſſans,ſedibus ſuis expulit,id eſt,E' iudiciis, germanam iuſtitiam, illius antiquæ affinem , quæ in cælum remigrauit vnde erat oriunda.

In foro hodie operoſiſſima eſt vita,& maxime ſatagẽs,quaſi diſcordiæ alũna & ꝓpinqua,& pacis parũ affinis. At Cato muricatos aditus fori eſſe optabat.

Gratiæ vbiuis poti⁹,quàm in foro gratioſæ eſſe meditẽtur:niſi quatenus miſericordiæ comites erunt,& calamitatis vltimæ loco & tẽpore deprecatrices. Caueant autem iudices,ne legum ipſi adminiſtri,ſuam facere gratiam ſuſtineant,quæ nõ hominis eſt,ſed æquitatis & clemẽtiæ iuris. Alioquin gratiam inanem ineuntes ab hominibus,offenſam ſuam faciẽt in iudicio Dei. In rebus enim criminibúſque iudicandis iudices, non humanitus gratiam inire debent,ſed diuinitus,ſiquidem nomine ſuo digni ſunt.

Vt quiſque honoratiſſimo loco ſedet in curia, ita poſtremus ſententiã togari plerũque ſolet,in cauſis quidem ordine iudicãdis, præter litium enarratorem,qui primus ſentẽtiã dicit.Quod cõtra fiebat in Senatuſconſultis Romæ faciendis.Vnde Trãquillus in Claudio Cæſare , Atque ex eo nunquã non in Senatu nouiſſimus conſulatium ſententiam dixit, ignominiæ cauſa poſt

omnes interrogatus. Id autē bene de rep. meritis honoris loco donabatur. Cic.in Verr.act.6.& vltima, Ob earū rerū laborem & sollicitudinē fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togā prætextam, sellam curulem, ius:imagines ad memoriā posteritatémque prodendā. Vbi ius imaginū, fortasse legendum est. Cum autem extra ordinem Conscripti rogantur sententias, hic ordo non seruatur, vt in curiæ consultis & deliberationibus: sicut & olim fiebat. Gel.lib.4, Aliàs primus rogabatur qui princeps in Senatu lectus fuerat: aliàs qui designati consules erant. Quidā ē cōsulibus studio aut necessitudine aliqua abducti, quem iis visum erat, honoris gratia extra ordinem primum sententiam rogabant.

Augustus Cæsar (inquit Suetonius) ne periculū memoriæ adiret, aut in ediscēdo tempus absumeret, instituit orationes suas in Senatu, atque etiam sententias de scripto pronuntiare. Quem morē aliquando ante Augustum fuisse ex Cicerone intelligimus, qui in oratione pro Plācio ita inquit, Nihil autem me noui, nihil temporis causa dicere, nónne etiam illa testis est oratio, quæ est à me prima habita in Senatu? Et paulo inferius, Recitetúrque oratio, quæ propter eius magnitudinē dicta de scripto est. Idē Suetonius, Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua grauiores, nonnisi in scriptis, & ē libello habebat, ne plus minúsve loqueretur ex tēpore. Hoc si maiores nostri animaduertissent, nunquam (vt opinor) contra ius scriptum morem instituissent aresta curiæ memoriter pronuntiandi, quæ quidem ore Præsidum pronuntiantur: in aliísque rebus iactandam memoriam esse duxissent.

Sic est disquisitionis ratio in rebus iudicādis cōstitura, vt tunc is, cuius auspicia sunt rei cuiusque iudicādæ, vocem habeat ille quidem vnius tantū calculi vicem præbentē: cæterū in ancipiti disceptatione, & paulominus vtrinque adæquanti, auctoritatis suæ pōdere, iudicii librā inclinet, vtro visum est.

Non ius tantum reddendum de re controuersa ambigētibus, sed absoluēda iurisdictio, & sacra (vt ita dicam) Iustitiæ petagēda. Hoc est, Lis omnino dirimenda, nec lis lite resoluenda: quod sæpenumero euenit.

Cato forum sternendum muricibus cēsuerat, vt auctor est Plinius. Id ego esse puto, Pœnas sancire calumniosarum litiū, & æstimationes seueras ac censorias cōtrouersiarū in multos annos extractarum. Contrà verò, Forum velis inumbrare, quod fecit Marcellus Octauiæ Augusti sororis filius, est Hominibus natura & moribus cōtrouersis indulgere, quod iudicum plerique faciūt: improborúmque litigatorum ἢ φιλοδίκων τὰς δικοδυσίας καὶ φυγοδικίας intendere, per speciem iurisdictionis eremodicia nō captantis, inauditósque iudicantis magna cū religione. Id enim ferè excusant quidam iudices benignitatis gratiam aucupantes apud improbos, sibíque comparantes, dispēdio ius suū persequentium, summáque cum molestia. Ad hoc inuitamentum in foro basilicano negotiandi, accedit tēporis conditio, & iuris prudentiæ sinuosa ratio, & pene labyrinthosa, in qua eo vsque iam vita profecit ad inaurandū iustitiæ vulgo dictæ diuersoriū late patens qua profanæ, qua sacræ, vel sacratæ potius, vt lites sic hæreant patrimoniis atque sacerdotiis, vt lapparū echini vestibus hærere solent. Profecto Iustitia impleuit orbem inanis ac festiui nominis sui

plausu,ex quo Astræa in cælum emigrauit.Certè quidem hac ætate aures hominum Iustitiæ laudibus circunsonant,præsertim in iudicio, vnde tamē audit pessime inter homines.

Non vna eadémque causarū amicitia,hominúmque esse debet in iudicio.

Multæ labes causarum iure germano & æquitate superiorū, annis melioribus ignotæ fuerunt,quæ iurisperitorum perdita subtilitate natæ, vsu inualuerunt,in consiliáque receptæ sunt,non saluis tamen Iustitiæ ex bono & æquo ius dicentis,aut ambiguis admodum auspiciis.

Ignis æternus Romæ à Vestalibus summa vigilātia asseruabatur, vt pignus imperii.Iustitiæ autē ius dicentis genius summáque,in Francia manibus interdū nō satis exploratis credūtur,& verò nónunquā parū liquidis auspiciis. Quod Palladium esse imperii nostri non dubium est de cælo seruantibus.

Iurisdictio admodū quæstuaria, nō tam Iustitiæ vice fungitur ius suū vnicuique tribuendo, quàm cupiditatis œconomicæ messem in alienis agris faciendo. Libētius igitur de se suáque familia in persona publica, quàm de populo meretur. Hic tamen sensus longe latéque in foris,in curiis, in cōsiliis, quasi in mente Iustitiæ insidet,in præcordiis multorum sedet & placet.

Non cani cynomyia infestior atque odiosior, quàm homini literarū otiíque non inertis cupido, litium memoria, & velut veteris morbi admonitio identidem refricans.

Iudices Iustitiæ dati administri, id minime plerunque agere vidētur quod maxime in iudiciis agitur. Id est, Vt vnusquisque suarum rerum fructum pacatum habeat,& lites inter ciues minuātur quàm fieri potest maxime,& primo quoque tempore. Vt mittam quòd multi ita iuris dicendi cupidi sunt,vt sibi non minus,quàm priuatis,ius dicere gaudeant. Et fuit tēpus,cum ab hasta tribunalium,iudicialísque calculi,nemo submoueretur, qui nosset vti foro,aut stipulatoris nundinarii operam conducere.

Iuris iniuria non gentilis est,sed iuri sæpe agnata esse videtur, vt nunc ius est constitutum.

Fuit homo litiū aliquādo insolēs,quē cū pacatæ vitæ,reíque familiaris mediocriter cōpositæ pœniteret,Peripateticæ ille quidē disciplinæ in basilica operā dare cōcupiuit:libénsq; ac gestiēs fecit,vt iuri experiundo rationes vitæ suæ cōpararet. Sed magna mercede litigādi tyrociniū se fecisse ferī' paulo sensit, Id est,Cōturbata iā ratione,atq; ita perplexa, vt resipiscēdi locus nō esset.

Vsura falsi gaudii multos annos multi ad curiā prouocati,vtuntur, qui lōgo interuallo aduersa aresta sententiis suis ferūt,prouocatoribus cōtrà exultātibus & sæpe insultantibus. Nō rarissime enim euenit,vt causæ quæ æquis iniquísque perinde probabiles videbantur etiam consultis basilicæ, atrum calculū auferāt, vnde nemo metuendū putasset. Sed sic est alea iuris experiūdi.

Qui de summa fortunarū ambigūt, aut de parte multo maxima, tātisper, id est,perdiu inter felices ac miseros, liberos ac seruos status ambigui sūt,ob noxie non modo iudices obseruātes colētésq; (quod seruitutis genus est,aut certe iniquæ libertatis & arbitrio imminutæ)sed etiā aduocatos,cognitores,

pragmaticos, quod instat est ergastulariæ cōditionis. Et sic quoque fora vndas litigantium æstuantes assidue hauriunt ac reuomunt. Adeo est hæc ætas controuersa, aut lites sunt Sirenes hominum tranquillitatis intolerantium: & iudicia, Sirenum sunt scopuli, patrimoniorúmque naufragia. Quin & è basilica quosdam victos & exhaustos sic abire videmus, vt Aiax apud Homerū è prælio discedit, ἐντροπαλιζόμενος, ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων.

Aduocatis quibusdam iandiu excessit ætas è palæstra forensi, qui tamen basilicam almam suam nutricem vltimùm salutare ante diem fati nequeunt. Tam blanda est capturarum consuetudo.

Litium curriculum in curia plerũque vltra quatuor aut quinque spatia porrigitur: & præclara eorum sors esse putatur, qui septimo circi basilicani spatio cōfecto, id est post ærumnam septennii exhaustam, ad palmā peruenerunt. Græci δολιχοδρόμους appellant. Et huius tamen palmæ fructus non statim plerunque, nec sine pulueris tactu percipi solet.

Quot & quantas controuersias excitauit olim inter philosophos dogma principiorum, finiúmque bonorum ac malorum, tot tantásque, atque etiam longe plureis grandioreísque interpretatio iuris, eadem multorum fortunatrix pluriúmque •

Huic operi colophonem mors auctoris inuidit.

LVTETIAE,

EXCVDEBAT ROBERTO STEPHANO TYPOGRAPHO REGIO, CONRADVS BADIVS, ANNO M. D. XLVIII. VI. NONAS MAII.